Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXI
C
21
NAPOLI

XXI.
C.
21.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

GERH. FELTMAN, JC.

& Anteceſſoris primarii

TRACTATUS

DE

CADAVERE INSPICIENDO.

In cujus receſſu, præter ea quæ in fronte promittuntur, varia de funeribus, ſepulturis, Medicis, vulneribus, venenis, cruentationibus, ſimilisque argumenti rebus ediſſertantur.

Adjicitur Diſceptatio alterplex

Ad. L. Per agrum. XI. *C. de ſervit. & aquâ.*

Quarum prior eſt

DE TRANSITU EXERCITUS

Altera

DE VEHICULIS SIBI OBVIIS.

Cum florum ſparſione & indice.



GRONINGÆ,

Typis REMBERTI HUYSMAN, Prov. & Acad. Typographi Ordinarii; CIↃ IↃCLXXIII.

Reverendiſſimo & perilluluſtri domino.

D*OMINO. OTHONI. LIB. BARONI. à SCHEWERIN. Dynaſtæ veteris Landsbergæ, Oldwigshagæ Drewiſæ, Nidavi, Zachani &c. Electoratus Brandenburgici Camerario hereditario. Sereniſſ. & potentiſſ. principi Electori Brandenburgico à conſiliis arcaniſque Imperii, conſiſtoriorum cunctorum veluti ſanctioris, feudalis rationalis & eccleſiaſtici atque etiam ſupremi tribunalis præſidi ſummo, cathedralis eccleſiæ Brandenb. præpoſito, præfecturæ Uraniobutgenſis Capitaneo ſupremo &c.*

GERH. FELTMAN

Felicitatem precatur perpetuam.

MIhi quantò plura præteritorum temporum, quibus hoc opuſculum ſuam debet originem,

revolvo, tantò magis ludibria rerum mortalium cunctis in negotiis obverſantur. Annus jam agitur ſextus quo te, perilluſtris domine, licebat coram Teutoburgi in Clivis affari: in quam urbem tunc convenerant Sereniſſ. & Potentiſſ. Elector Brandenb. & Sereniſſ. princeps Neoburgicus, ut de pacto inter ſereniſſimos iſtos principes convento & fœdere æterno ultrò citròque ſibi gratularentur atque inter præſentes amoris redintegratio fieret. Probaſti tunc meos conatus hortatusque es, ut de hoc argumento ſcriberem, verbis quæ timido mentem addere poterant. Adgreſſus id fui poſteà tuis auſpiciis, perilluſtris domine, ſed quantum hæc tempora mutata ab illis? Omnia ridebant eâ tempeſtate & propter pacem Cliviæ, Juliæ cæterisque iſtis provinciis redditam *non modo ii quibus natura ſenſum dedit, ſed etiam tecta atque agri mihi lætari* atque inſpicientibus videbantur inſuſurrare pluris ſe æſtimari oportere. Facies Germaniæ inferioris erat hilaris & quaſi ad ludum jocumque facta cum primum de cadaveribus inſpiciendis cogitare cœpi, jam verò cum ad finem id perducere cogor, tanquam in publico non unius gentis nationisque luctu; eſt ſqualida & ad triſtitiam compoſita atque, ut uno verbo dixero, cadaveroſa. Sic *ex ſumma læ-*

titiâ

titiâ atque laſciviâ, quæ diuturna quies perperat, omnis triſtitia invaſit, armis, cadaveribus, cruore atque luctu omnia compleri videas, ut non ſuavis ſed mœſta ſit laborum præteritorum memoria & ejurare animum inciperem niſi tanti Principis, inter cujus miniſtros nec non amicos primarios jure meritoque tuo cluis, lectiſſimæ copiæ me ſecurum eſſe juberent atque priſtina tempora reditura ſponderent. DEUS principem illum ſanctiſſimum, patriæ patrem opt. max. & cui optimè convenit illud Homeri

. . . . ἀνὴρ ἠΰς τε μέγας τε
Ητοι μὲν κεφαλῇ καὶ μείζονες ἄλλοι ἔασι.
Καλὸν δ' ὔτο ἐγὼ ὔπω ἴδον ὀφθαλμοῖσιν,
Οὐδ' ὔπο γεγαρόν. βασιλῆϊ γὰρ ἀνδρὶ ἔοικε:

TERRIS. DIU. COMMODET. ACTA. HIC. Scipionis Africani, Achillis Germanici aliorumque majorum ET. ANNOS. VINCAT. AC. FACIAT. UT. QUAMDIU. MORTALIS. ERIT. NIHIL. EX. DOMO. SUA. MORTALE. ESSE. SENTIAT. SERA. ET. NEPOTIBUS. DEMUM. NOSTRIS. DIES. NOTA. SIT. QUA. ILLUM. GENS. SUA. COELO. INLATUM. CERNAT. Eſt non ſolum laudatiſſimus hic princeps & dominus meus clementiſſimus armorum exercitio, diſciplinâ caſtrorum uſuque miltiæ ſed & togæ artibus clarus, quod ut

infinita alia non memorem, vel ex edicto, cujus hic libellus eſt interpretamentum, liquidò probatur, quod tibi, perilluſtris domine, jàm olim dicatum nunc tandem in vulgus editum, exiguum quidem & exiguæ curæ ſed non exiguæ in te, perilluſtris domine, voluntatis & devotæ meæ mentis monumentum accipe. Vale perilluſtris domine. Dabam Groningæ in Friſiis. Pr. Kal. ixbris. CIϽIϽCLXXII.

Nomina

Digitized by Google

Nomina Reſpondentium.

Diet. Georg. Schmitz, *Suſato Marcanus.*
Joh. Elias Sinder, *Hoërdâ - Marcanus.*
Theod. Herm. Zur Megede, *Iſerlohnâ - Marcanus.*
Theod. Buttinghauſen, *Cliviâ-Clivius.*
Cornel. van Berckeloo, *Vianâ Batavus.*
Albr. Tobias von Linſtou, *Eq. Meklenburg.*
Gerard. Ten Bergh, *Amſtelodamo-Batavus.*

DE TRANSITU EXERCITUS

Phil. Carol. L. B. de Wilack & Lottum *Eq. Clivius.*

DE VEHICULIS SIBI OBVIIS.

Matthias Junius, *Groninganus.*

Digitized by Google

ERRATA.

Pag. 12. lin. 35. Voculam *non* præmitte verbo *omnes*. P. 14. l. 24. verbo *Regis* ſubjice *Galliæ &c*. P. 36. l. 11. pro 25. repone 24. P. 46. l. 3. lege *præſidiarium*. & l. 14. pro *moruus* repone *mortuus*. P. 50. l. 2. pro *infamiam* ſcribe *infamia*. P. 64. l. 15. vocabulo *cadavera* addeſis *prona*, *virorum*. p. 68. l. 6. pro *l.* 62. reſcribe *l.* 60. p. 73. l. ult. *prægnans* p. 77. l. 15. lege *die nefaſto*. p. 81. l. 15. *epilepſiâ*. p. 95. lin. penult. lege γοάιο. p. 107. l. 31. σωμάτον p. 140. l. 12. lege *flagitia*. & l. 15. *differre*. p. 143. l. 30. ſcribe *vulueris*. p. 151. l. 2. verbo *frangi* adjice *contigiſſet*. p. 159. l. ult. pro 34. reſcribe 4.

In diſcept. *ad l.* 11. *C. de ſervit. & aq.*

Pag. 15. lin. 2. abundat vocula *non*. p. 31. l. 19. lege *dubito*. p. 33. l. 29. pro *ab monere* repone *ab onere*. p. 34. l. 23. *fœm*.

TRACTATUS
DE CADAVERE INSPICIENDO.
DISPUTATIO I.

Reſp. Diet. Georg. Schmitz, *Suſato Marcano.*

Caput I.

Cadaveris origo & definitio.

De Q. Antiſtio Labeone memoriæ noſtræ prodidit A. Gellius 3. *noct. Attic.* 10. quod *latinarum quoque vocum origines rationesque percalluerat, eâque præcipuè ſcientiâ ad enodandos pleroſque juris laqueos utebatur*: Hoc etiam inſtitutum egiſſe alios juris legumque peritos & id ſequi in vitâ civili adprimè utile eſſe planius demonſtravi *in tract. de jure in re & ad rem. c.* 1. *n.* 1. *& ſeq.* Quare ſcripturus de inſpectione cadaveris, neceſſarium mihi viſum fuit in utriusque verbi non originem tantum ſed & ſignificationem inquirere.

2. Cadaver autem unde dicatur? non benè conveniunt nec in unâ ſede morantur auctores. Nam Servius Honoratus non levis interpres Maronis *ad Æneid. lib.* 8. ſcriptum reliquit; *cadaver eſt corpus nondum ſepultum; dictum cadaver quod careat honore ſepulturæ*: Hæc autem non eſt etymologia ſed alluſio, quæ tamen nec ſcita nec vera. Ea quoque valdè luxurians eſt, quæ in *vet. vocabular.* exſtat & per quam *cadaver* creditur eſſe verbum compoſitum ex tribus vocibus *caro data vermibus*: quaſi earum primæ ſyllabæ ad rei ſignificationem pertinentes tantùm remanſiſſent.

3. Quod ſi autem alij id ſibi licere putent, hoc mihi quoque inſcribere audebo, quod fortè melius cadaver appelletur inde quod homo quandò mortuus eſt *cadat vermibus*. Hiſce enim cedit & cadit in eſcam. Unde etiam cadaver Belgis *een aes* ideſt *eſca* interprete Kiliano & Germanis *ein aas* ab *eſſen* dicitur. Nam exſtinctum corpus fit eſca & vermium & alitum ferarumque: *Ierem.* 16. 4. *Matthai.* 24. 28. nec non domicilium draconum & ſerpentum. Hi enim naſcuntur ex

Digitized by Google

medullâ cadaveris humani, ſi fidem habere velimus Plinio, 10. *hiſt. nat.* 66. Plutarcho *in vitâ Cleomenis.* & Camerario 1. *oper. ſubceſiv.* c. 11.

4. Admonendi tamen ſumus, quod hodiè à cultioris linguæ gnaris & cunctis utriusque gentis hominibus, quorum de meliore luto per diſciplinam morum præcordia ficta, verbum *aas* vix aliter quàm de animali bruto uſurpetur. Et ideò ſacri codicis optimi interpretes Belgæ 1. *Regum* 13. 29. ubi tam in Tremellii quàm in vulgari verſione habetur *cadaver*: nos ſari docent *een doot lichaemb*: & Lutherus ſimpliciter den leichnamb: quemadmodum & Piſcator id vertit. Neque aliter Galli. Norunt enim benè diſtinguere inter *charogne* & *corps mort*: iſtud animanti muto, hoc homini emortuo attribuentes.

5. Latinè autem loquentibus cadaveris appellatione etiam hominem mortuum contineri, vulgò notius eſt, quàm ut dici debeat; *l.* 3. *ff. de jus voc. tot. tit. ff. de cadav. punit.* Joſeph. Caſtalio 10. *obſerv. in Criticos c.* 8. Vocis origo quoque argumentum præbet fortiſſimum. Etenim à cadendo dictum, quia homo & ſi naſcitur & ſi moritur cadere dicitur. Prius exploratum eſt. *l.* 3. *C. de poſthum. hered. Sapient.* 7. 3. P. Papin. Satius 5. *Sylvar.* 5. 69.

tellure cadentem
Excepi & vinctum genitali carmine fovi.
Poſcentemque novas tremulis ululatibus auras,
Inſerui vitæ.

Ad quod etiam alludere videtur Claudianus *lib.* 1. *in Rufinum*, cum canit.

Quem prima meo de matre cadentem
Suſcepi gremio:

6. Hic autem loquendi mos originem traxiſſe videtur ex inſtituto priſco. Antiquiſſimis enim temporibus infantem ilicò ubi natus eſſet, in terram ſternebant & invocabant opem deam ideſt terram, auctore Feſto, Varrone *de L. L. lib.* 1. atque Macrobio 1. *Saturnal.* 10. Quod ideò faciebant ut iſta naſcenti auxilio eſſet. Auguſtin. 4. *de civit. Dei.* 11. *Ipſe opem ferat naſcentibus excipiens eos ſinu terræ & vocetur Ops.* Sueton. *Auguſto. c.* 5. *ſe eſſe poſſeſſorem ac velut ædituum ſoli, quod primum D. Auguſtus naſcendo attigiſſet: & Nerone c.* 6. *natus eſt exoriente ſole, penè ut radiis prius quàm terrâ contingeretur.* Nec ſilere debeo quod etiam

Digitized by Google

etiam Homerus verbo græco *cadere* pro *naſci* uſus ſit, uti ex Iliad. *lib.* 19. conſtat. Sic namque fatur.

> ἦ μὲν τὸν πάντεσσι περικτιόνεσσιν ἀνάξειν
> Ὅς κεν ἐπ' ἤματι τῷδε πέσῃ μετὰ ποσσὶ γυναικὸς:
>
> *Certè quidem hunc omnibus circum vicinis dominatum iri,*
> *Qui in die hoc cadet in pedibus mulieris:*

7. Poſterius etiam planiſſimè conſtat. Naturale quippe erat ut is qui naſcendo cadit, ubi iterum denaſcebatur & ex hac vitâ migrabat, cadere diceretur. *arg. l.* 35. *ff. de R. I.* Tertullian. *adverſ. Marcion. lib.* 5. *cadere dicimus corpus in terram per mortem*: Homo enim conſtat animâ & corpore. Illa ſi perpetuò ab hoc diſſolvatur, tunc mors contingit mortali uti docui *in ſpicil. ad pr. I. quib. mod. patr. pot. ſolv. verb. mortuo, n.* 2. Vid. Cardin. Tuſchus *lit. M. pract. concl.* 390. *n.* 1. Renè Des Cartes *des paſſions de l' Amè. part.* 1. *art.* 6.

8. Et corpus ſic ſine animâ amplius ſe fulcire nequit ſed cadere cogitur, ideoque mortui animalis, tam ejus quod ratione præditum erat quàm quod eâ carebat, corpus à cadendo appellatur cadaver. Atque hæc veriſſima hujus loci eſt etymologia, quam & video placere cl. Claubergio olim præceptori & poſteà collegæ meo dum viveret amiciſſimo, *in Theol. diſp. ſel.* 1. §. 3 & veteribus probatur. Servius *ad Æneid. lib.* 6. *Qui bello ceciderint, ideſt mortui à cadendo. Unde & cadavera dicta.* Iſidorus epiſcopus Hiſpal. 11. *Orig.* 2. *cadaver nominatum à cadendo, quia jam ſtare non poteſt.*

9. A quibus non eſſe alienos Ebræos accepi, cum corpus animalis exſtincti נְבֵלָה à *nabbàl* ideſt *cadere*, vocare ſoleant. Græci id etiam appellant πτῶμα ab inuſitato verbo πτοῶ *cado*, pro quo deinde πίπτω dixerunt. Eductum notat corpus quod ab alio cecidit ſive diſſolutum ſive cujus forma deſtructa eſt. Divus tamen Hieronymus verbum civitate Romanâ donatum præferendum exiſtimat *in Matthæi c.* 24. *verſ.* 29 ubi inquit; *Poſſumus autem corpus ideſt* πτῶμα, *quod ſignificantius latinè cadaver, ab eo quod per mortem cadat, Chriſti paſſionem intelligere*:

10. Satis jam conſtare arbitror cadaver nil aliud eſſe, quàm corpus ſive hominis ſive bruti eâ animâ carens, per quam utrumque animal dicitur, quamque *ſenſitivam* Philoſophi appellant, cum qui-

bus aliquandò loqui cogimur teſte Alfeno *in l. 76. ff. de judic.* Cadaver bruti animalis non eſt hujus loci, nam id ei inſpiciendum damus qui Exquiliis habitat.

11. De cadavere hominis nobis ergò tantum erit ſermo. Hoc autem Romanorum linguâ non modò *homo mortuus* audit; *LL. XII. tabb. Hominem mortuum in urbe ne ſepelito: & alia. Homini mortuo oſſa ne legito:* Sed etiam corpus defuncti appellatur. *l. 1. l. 3. ff. de cadav. punit.* Ratio ejus rei eſt, *quia complevit vitæ officium. Nam dicimus defunctos officio, qui officia debita compleverunt.* Iſidor. *d. c.* 2. Vernaculo autem ſermone cadaver multa accepit nomina. Nam ſolemus id appellare einen todten vel verblichenen cörper / leib aut leichnamb. Imò ſæpè ſimpliciter leib / leichnamb / cörper quin & den todten vel entleibten dicimus. *rubr. Nemes Karul. art.* 149.

12. Non tamen idem Germanis eſt vox eine leich aut Belgica *een lijck.* Utraque enim gens eo nomine appellat funus. Hoc autem à cadavere diſtat. Iſidor. *d. lib.* 11. *cap.* 2. *Omnis autem mortuus aut funus eſt, aut cadaver. Funus eſt ſi ſepeliatur. Cadaver eſt ſi inſepultum jacet.* Funeris etymon id oſtendit. Dicitur enim à funibus incenſis feretro adhuc hodiè, ſi Reges & Principes mortui ſint, alibi præferri ſolitis, uti non tantum Iſidorus præfato loco declarat ſed & ex Donato & Servio probat Kirchman. *de funer. Roman. lib.* 2. *c.* 3. Inſpectionem funeris relinquemus avidæ novarum rerum plebeculæ & curioſis qui coire ſolent in eum locum quò funus divitis aut potentis alicujus ducitur ut vel inſpiciant vel inſpiciantur. Sed id nil ad nos, verum id tractemus, quid per verbum *inſpicere* intelligi oporteat?

13. Liceat mihi tamen prius depromere aliquid quod ad lectionem ſeveram pertinet Dixi loco ſuperiore cadaver hominis cedere vermibus, ſi verò bovis ſit, aliter aliquando accidit atque ex eo apes prodeunt. Æn. Gazæus *in Theophraſto p.* 20. narrat quod bos arctiore cellâ concluſus fuſtibus cædatur ad necem & fores omnesque ſtabuli rimæ adcuratè obturentur, ne quid aeris penetrare in id poſſit. Linquitur ibi quadraginta dies, poſt quod tempus ſi redeas cadaver putredine ſolutum & loco unius infinita animantia reperis. Idem in cadavere leonis miraculo eveniſſe traditum nobis. *Iudic.* 16. 9. De tauri cadavere idem copioſè fatur Maro *Georg. lib.* 4. repetitque ratione hac additâ quod *unius interitus ſit mille apium origo:* idem Gazæus. *d. l. p.* 68.

CAPUT

Caput II.

Verbum inſpicere *in multis uſurpatum, hic plus ſignificat quàm in rubrica* de ventre inſpiciendo.

1. INſpicio dicitur ab *in* & *ſpecio*, ideſt *video* vel *intueor*. Eſt autem verbum *ſpecio* antiquatum & in ejus locum nunc in compoſitis verbis venit *ſpicio*. Præpoſitio autem *in*, cum ſit nota augens, efficit ut *inſpicere* nil aliud ſit quàm *diligenter* & *adcuratè intueri*; atque hanc ejus vocis eſſe vim & poteſtatem ex variis cauſarum figuris intelligere datur.

2. Et ut à gentilium ſacris ordiar, credebant priſci pravis erroribus imbuti, eſſe in extis aliquid quod declararet futura, unde & *exta inſpicere* atque adcuratè intueri ſignificatione eâdem reperias. Solebant autem ea inſpicere ut ex habitu, colore & notis eorum pericula vel commoda portendi divinarent. Cicero *de divinat. lib.* 1. & 2. Briſſon. *de form. P. R* p. 19.

3. Pari ratione *inſpicere* tribuitur iis, qui ex *vultibus hominum mores colligunt*, uti non unus nequitiarum magiſter Petronius *in Satyr.* ſed & Suetonius dixit *Tito cap.* 2. *Metopoſcopum à Narciſſo Claudii liberto adhibitum ut Britannicum inſpiceret, conſtantiſſimè adfirmaſſe: illum quidem nullo modo, cæterum Titum, qui tunc propè adſtabat, utique imperaturum:*

4. Sic inſpicere dicitur emptor, qui rem, quam precio mercaturus & ære, curioſè contemplatur. Columella 1. *de Re Ruſt. c* 3. *Portius quidem Cato cenſebat in emendo inſpiciendoque agro præcipuè duo eſſe conſideranda*: Sueton. *in Othone. c.* 6. *quaſi venalem domum inſpecturus abſceſſit:* Martial. *lib.* 6. *Epigram.* 82.

> *Quidam me modò Ruſe diligenter,*
> *Inſpectum velut emtor:*

Et iterum *lib* 9. *carm.* 60.

> *Inſpexit molles pueros oculoſque comedit:*

Alios locos etiam conlegit Budæus *annot. reliq. ad l. ult. ff. de mun. & honor.* quem non exſcribo.

5. Similiter venter inſpicitur, ſi mulier mortuo marito, ſe ex eo prægnantem eſſe, dicat, *tot. tit. ff. de ventre inſpic.* vel puella virgo vulgò habita de partu edito & clam ſublato ſit ſuſpecta. *Nemes. Karol. art.* 35. uti conſultus, ex facto cum quæſtio incidiſſet, reſpondi *die* 15.

Maji 1669. Suidas *verb.* Ἰησοῦς. & Clem. Alexandrin. στρωμ. ζ. narrat divam Mariam quæ mortalium ſervatorem ſalvâ virginitate & concepit & enixa eſt, propter rei novitatem mandato eorum qui tantæ rei fidem adhibere nolebant, inſpectam & haut interfectæ virginitatis notas certiſſimas deprehenſas fuiſſe. Sed pedem hinc moveamus & ſacra prophanis miſcere deſinamus.

6. Sic etiam *inſpicere nomen* eſt diligenter cautionem examinare atque eam intueri. Tullius *orat. pro Balbo..cum ipſius tabulæ circumferrentur, inſpiciendi nominis cauſâ*: Valer. Maximus 2. *rer. memorab.* 10. *tabulæque ejus ab accuſatore expoſtulata ad nomen inſpiciendum circa judices ferrentur.* Eſt quoque *inſpicere domum* veteribus uſurpatum pro diligenter ſcrutari & cernere quid in domo ſit, quidque in eâ lateat. Virgilius hanc in rem teſtis eſt *Æneid. lib.* 2. 47.

> *Aut hæc in noſtros fabricata eſt machina muros.*
> *Inſpectura domos.*

7. Magiſtratui quoque nominatim inſpectio tribuitur apud Ciceronem, quod is cautè & adcuratè omnia examinare debeat & videre ne quid detrimenti capiat reſp. Locus eſt orat. *Philipp.* 44. *ſect.* 81. *Vide ne etiam facilius, nos enim nuntiationem ſolùm habemus, conſules & reliqui magiſtratus etiam inſpectionem.*

8. Apud Ebræos & verbum & ritus inſpiciendi in re aliâ quoque in uſu fuit. Nam *ſacerdos* de *leprâ* cogniturus, hominis corpus *inſpicere* dicebatur & hoc ſi fecerat vel morbo iſto occupatum, *Levit.* 13. 3. vel ſolutum pronuntiabat. *Levit. d. c.* 13. 6. *& ſeq. Matthai.* 8. 4. Hoc inſtitutum inſpiciendi leproſos eodem verbo vernaculo beſichtigen quo exprimimus cadaveris inſpectionem, ad Medicos & Chyrurgos tranſtulit Sereniſſ. Elector Brandenb. *edicto promulg. Cliviæ* 20. *Aug.* 1663. quo cautum eſt, ut leproſi qui duodecim pluresve annos in Cliviâ & Marcâ habitarunt tantum tolerentur iique per Medicos & Chyrurgos à Principe conſtitutos inſpici ſe patiantur atque ab illis teſtationem lepræ petant ſingulo triennio tranſacto.

9. Liquidò nunc ex dictis arbitror conſtare quod cadaver inſpicere nil aliud ſit, quàm diligenter & adcuratè id intueri & oculis quaſi comedere, adeò ut inſpiciens obſervare debeat omne quod viſu percipi poteſt. In quo tamen non adquieſcet, accidere enim poſſet

Digitized by Google

ut alicui vel os fractum vel membrum ruptum eſſet vel alio malo lethi genere periiſſet, nec tamen ejus rei notæ ullæ adparerent, quare ad *tactum* atque etiam *ſectionem* progredi neceſſe habet is, qui cadaver inſpicit. Quod licet nullâ vel juris peritorum auctoritate probaretur, natura tamen nos id docet, à quâ rectè argumentum trahitur. *l.* 220. *§.* 3. *ff. de V. S.* Everard. à Middelb. *Topic. in præamb. n.* 15.

10. Unde adparet quod inſpiciendi verbo in re nobis propoſitâ plus contineatur quàm in edicto Prætoris de *ventre inſpiciendo*. Id enim vetat, ne qua mulierum dum inſpicit, invitâ muliere eâ quæ uterum ſe dicit gerere, ejus ventrem tangat. *l.* 1. *§.* 10. *pr. ff. de ventre inſpic.*

CAPUT III.

Quo jure *cadaverum inſpectio introducta & quibus caſibus fiat quidque nominatim* novis legibus *de eâ cautum?*

1. Fit autem cadaveris inſpectio vel cum dolo aut culpâ alterius quis necatus, vel cum ſuo fato aut caſu periiſſe dicitur. Utrumque Italis dicitur *Viſum & repertum*: Franciſc. Caſonus *tract. de indic. cap.* 2. *præmiſſ. de viſo & reperto fac.* quod verba prima formulæ, quâ plerumque ab iis, qui ab actis ſunt, conſignatur literis alicujus cadaveris inſpectio, ſic habeant. Tranquill. Ambroſin *de modo form. proceſſ. informat. lib.* 1. *c.* 1. *n.* 25. Hippol. de Marſil. *pract. crim. in princip. n.* 4. *in fi.* Jul. Clarus *lib.* 5. *recept. ſent. §. fi. q.* 4. *n.* 4. Quâ in re Romanos æmulari videntur qui actiones & interdicta primis verbis edicti, in quo à Prætore proponebantur, aliquandò appellarunt, uti videre ex inſcriptionibus titulorum *de condictione triticiariâ*, *Quorum bonorum*, *Quod legatorum*, *aliis*.

2. De inſpectione cadaveris, ſi homo ab alio occiſus dicatur, prius agère in animum inſtitui meum. Hæc enim prior eſſe debet & celeriter magis expedienda, ut inquiri ilicò in reum queat & is non evadat & aufugiat. *arg. l.* 25. *pr. ff. ad L. Aquil. junct. l.* 3. *l.* 6. *ff. de cuſtod. & exhib. reor.*

3. Hoc inſtitutum inſpiciendi cadaver ab Ebræis fluxiſſe videtur. *Deuteron.* 21. 1. *& ſeq.* Ab his per manus Græcorum uti alia multa, ſi credimus, uti fas eſt Nobiliſſ. viro Joh. Henr. Daubero JC. & Haſſiæ Prin-

Prin-

Principis arcanorum participi, copioſe & ornatè eâ de re differenti *in Orat. inaug. dictâ Bredæ anno* 1646. id acceperunt Romani. His enim hanc cadaveris inſpectionem uſurpatam fuiſſe indicant fragmenta juris ab illis conditi. *l.* 1. *§.* 24. *junct. §.* 25. *ibi; omnem inquiſitionem. ff. ad SC. Syllan. l.* 6. *ff. de cuſtod. & exhib. reor.*

4. Quare & juri civili eam convenire iſta lege motus tradit Franc. Marci *p.* 2. *decis. Delphinat. q.* 181. *n.* 1. Ut fruſtrà ad quæſtionem & tormenta eam reſtringat Jul. Clarus *lib.* 5. *recept. ſent. §. fi. q.* 4. *n.* 1. Quamquam idem auctor rectè tradat quod totius mundi conſuetudine hæc inſpectio ſit recepta. *d. q.* 4. *n.* 4. *&* 5. Ægid. Boſſius *pract. crim. tit. de delicto. n.* 2. *&* 24. Ambroſin. *d. c.* 1. *n.* 7. Marci. *d. deciſ. n.* 3 eamque laudat Carpzov. *p.* 1. *prax. crim. q.* 26. *n.* 23.

5. Et licet id fieri quoque obſervaverim in aliis regnis agens & uſu non tantum Belgii ſed & inferioris Germaniæ, veluti Cliviæ, Marcæ, Veſtofaliæ totius cæterarumque ejus provinciarum id comprobatum eſſe probè ſciam atque factum fuiſſe viderim, tamen ſocordiâ vel malitiâ judicum aliquandò iſta cadaveris inſpectio omittitur, uti ipſe perſpexi ex quæſtionibus criminum quorum cognitor fui datus & queritur Juſtus Oldekop. *tit.* 4. *obſerv. crim.* 47. *n.* 1. atque apertius videre eſt ex edicto Sereniſſ. Electoris Brandenb. quod mox ſubjiciam.

6. Cum autem magis obſervare ſoleant homines quod ſingulari lege cavetur; Wehner. *obſerv. pract. verb. bey ſtraf ungehorſambs.* Wilh. Ant. à Freundenberg. *de reſcript. morat. concl.* 71. *n.* 31. 32. *&* 33. ideò non generali voce *inquiſitionis*, quam ex jure Romano tantum habemus, quaſi ex naufragio per Triboniani facinus facto, ſuperſtitem, hodiè legumlatores contenti, ſed ne judices hanc cadaveris inſpectionem negligi poſſe exiſtiment, ideò expreſſè eam fieri præcipiunt. Nam quæ ſingulari commemoratione digna ſunt, ſi nominatim non fuerint expreſſa, habentur pro neglectis. Andr. Knichen. *de pact. inveſtit. p.* 4. *c.* 1. *n.* 265. *& ſeq.* Joh. Stuckius. 1. *conſil.* 21. *n.* 9.

7. Hæ fuerunt cauſæ cur integro capite de hac inſpectione cadaveris cautum ſit in Nemeſi Carolinâ *art.* 149. ad quam etiam recurrunt Belgæ fœderati, ſi caſus contingat, qui legibus ſuis aut moribus definitus non ſit. Sed & Belgæ cuncti, Gelri, Brabanti, Hollandi,

Hollandi, Zutphanienſes & Trans Iſalani legibus latis cadaveris inſpectionem præcipiunt *LL. Velav. cap. 3. art. 10. & 12. Zutphan. tit. 11. art. 14. 15. & 16. Leydenſ. art. 161. Trans Iſal. p. 1 tit. 21. art. 1 & 2. Daventr. p. 4. tit. 4. art. 4. Anton. Anſelmo Cod. Belg. verb. Dootſlagen. art. 9.*

8. Quod ergò in *Sylloge LL. Amſtelod. cap.* 10. *art.* 4. habetur *occiſum ſepeliri poſſe & poſteà tamen peragi accuſationem*: id ex primis verbis *ſi judici conſtiterit aliquem manu hominis interemptum eſſe*: declarari debet, per ea quæ tradunt Burſatus 3. *conſil.* 228. *n.* 64. & *conſ.* 30. *n.* 131. Klock. 2. *conſil.* 23. *n.* 9. 12. & 14. Neque enim judex certus eſſe poteſt an ab alio mors inlata niſi cadavere inſpecto, cum id ex vulnere aliisque notis aut ſectione cadaveris adparere debeat. Ambroſin. *d. c.* 1. *n.* 4. Clarus *d. q.* 4. *n.* 4. *ibique* Anton. Drochus *in not. lit. b.*

9. Etiamſi autem memoratis legibus hac de re ſancitum ſit, non tamen curatius ullus unquam conſtitutionem de eâ fecit quam laudatiſſimus Elector Brandenburgicus, cujus tenorem dignum duxi huic operi inſerere. Sic autem ait Princeps Germaniæ potentiſſimus: *Notum facimus noſtris Satrapis, miniſtris, judicibus cunctisque quibus juriſdictio criminalis in noſtris provinciis Cliviâ & Marcâ conceſſa vel ea ab antiquis competit temporibus, nec non cuivis alteri. Cum ex pluribus ad Clivenſe & Marcanum regimen transmiſſis relationibus & de homicidiis confectis per noſtros miniſtros eosque quibus juriſdictio data, actis conſtiterit, quod cum inſpectione interemptorum non fuerit actum eo modo, quem Cæſaris Caroli V. & ſacri Rom. Imperii conſtitutio criminalis obſervari præcipit, & quod per eam miniſtrorum noſtrorum negligentiam ordinaria homicidii pœna evitetur. Idcò clementiſſimè edicimus, ut judex loci, in quo occiſus eſt mortuus, cum duobus Scabinis vel judicii adſeſſoribus, & judicii ſcribâ etiamque uno, vel ſi eorum copia haberi queat, pluribus doctoribus Medicinæ aut chyrurgis, qui prius jurare debent, cadaver tàm citò ut fieri poteſt, prius quam id ſepeliatur, diligenter inſpiciat, illatas noxias & vulnera aperiri, eorum qualitatem, locum & numerum cum omnibus circumſtantiis conſignari curet, an vulnus, noxia vel ictus lethalis ſit vel non & quanam ſymptomata acceſſerint, etiamque cauſas cur chyrurgi vulnus cenſeant eſſe lethale aut non enuntiari & diligenter ad acta publica referri jubeat. Quod ſi contingeret cadaver ſepultum eſſe, prius quàm inſpectio ejus ritè peracta fuerit,*

id miniſtri noſtri iterum effodi curabunt atque ex modo præſcripto agent. Iubemus ergò vos omnes & ſingulos ut ſecundum prædicta agatis, aliàs pœna vos manebit arbitraria & ſi memorata cuncta non obſervaveritis expenſarum eam in rem factarum onus feretis. Clivis die 28. *Febr.* 1665.

10. Hactenus generaliter oſtendiſſe ſufficiat quemadmodum legibus ſingularibus cautum de inſpectione cadaveris, ſi homo ab alio occiſus dicatur, ſequitur jam videre an idem quoque factum ubi caſu homo periit? Sanè de iis qui merſi in aquis mores quoque idem præcipiunt. Marci *d. deciſ. n.* 5. *& ſeq.* Groenewegen. *de LL. abrog. ad tit. C. de bon. cor. qui mort. ſibi conſciv.* Vix autem in legibus Principumve conſtitutionibus de horum cadaverum inſpectione quid reperias. In veteribus tamen nobiliſſimæ Amſtelodamenſis reip. privilegiis vernaculè *Hand-veſten* dictis *pag.* 92. nec non in magni privilegii formulâ Hollandis à Margaretha Burgundâ 13. *Martii* 1476. conceſſi *art.* 45. de eâ cautum atque etiam in mandato *Executoris Groningani* vulgò *Inſtructie van Stadts Pander.* 29. *Ian.* 1640.

11. Utroque tamen caſu fieri debet, ut magiſtratui conſtet an ab alio homo cæſus vel in aquas jactus aut detruſus fuerit atque ita ad ἀνάκρισιν & quæſtionem de reo habendam perveniri poſſit, cujus præparatio quædam eſt iſta occiſi inſpectio. *arg. l.* 6. *ff. de cuſtod. & exhib. reor.* Eſt enim actus inquiſitionis generalis, qui fit ut de corpore delicti conſtare queat, ut noſtrorum hominum ſermone utar. Caſonus *d. c.* 2. *præmiſſ. n.* 2. Proſper. Farinac. *prax. crim. lib.* 1. *tit.* 1. *q.* 2. *n.* 6. Papon. *lib.* 24. *corp. Iur. Gall. tit.* 8 *arreſt.* 2.

Caput IV.

Ad eos pertinet cadaveris inſpectio qui de criminibus & cæde cognoſcunt.

1. Cum verò inquirendi poteſtas nemini competat, quàm illi qui habet merum imperium; Angel. de Aretio. *tract. de maleſic. verb. hæc eſt quædam inquiſitio. n.* 1. Farinac. *d. tit.* 1. *q.* 1. *n.* 56. ſequitur cadaveris inſpectionem tantum ad eos pertinere, quibus poteſtas animadvertendi in facinoroſos data eſt. *arg. l.* 2. *ff. de juriſd. junct. Nemes. Carol. art.* 147.

2. Quæ quidem in jure Romano non aliter quam merum imperium vel gladij poteſtas appellatur, *l.* 3. *ff. de juriſd. l.* 1. *§.* 1. *ff. de offic. ej. cui mand. juriſd. l.* 70. *ff. de R. I.* Obtinuit tamen à tempore

Impe-

Digitized by Google

Imperatoris Friderici Ænobardi ut *juriſdictio criminalis* diceretur. *tit. de pace Conſtantiæ. in pr. verſ. Nos Romanor.* atque ideò in edicto memorato *c.* 3. *n.* 16. ait Sereniſſ. Elector Brandenb. *cunctisque quibus jurisdictio criminalis conceſſa*:

3. Interpretes quoque promiſcuè vel meri imperij vel jurisdictionis criminalis actum exerceri ajunt, quando cadaveris inſpectio fit. Bald. *ad l. ſi plures. C. de condit. inſert. n.* 15. Burſat. 3. *conſil.* 235. *n.* 29. Cothm. 3. *reſponſ.* 47. *n.* 64. Belold. *de jure territor. c.* 3. & de generali Germaniæ conſuetudine teſtis eſt Klock. 1. *conſil.* 10. *n.* 475. atque ab Ordine JCtorum Acad. Francofurtanæ reſponſum memorat Cl. Brunneman. *ad l.* 1. *C. de ſepulchr. viol. in fi.* Nam peragitur in cauſis meri imperij, ut ex qualitate cauſæ principalis & hic actus æſtimari debeat. *arg. l.* 13. *C. de R. V. l.* 3. *C. de interdict. d. l.* 2. *ff. de juriſd.* Bocer. *de juriſdict. c.* 5. *n.* 13.

4. Huic autem obſtant multa, per quæ videtur ad cujusvis judicis officium pertinere inſpectionem cadaveris, etiamſi notionem criminum non habeat ſed tantum de civilibus & pecuniariis cauſis judicare poſſit. Primò quia Sereniſſ. Elector Brandenb. *d. c.* 3. *n.* 16. non tantum poſteà dicit ſimpliciter eam ſpectare ad eos qui habent *jurisdictionem*, ſed & pro ſecundo illa inſpectio ad *judices* generaliter referatur in legibus adductis *d. c.* 3. *n.* 13.

5. Sed ſcire oportet quod verbum *juriſdictio* non capi debeat de *civili* nunc vulgò ſic dictâ ſed eo veniat *criminalis*. Etiamſi enim hoc vocabulum deinde adjectum non ſit, mihi tamen placet perinde id habendum eſſe, ac ſi hac parte edicti vox *criminalis* adjecta fuiſſet. Nam Principem qui hanc legem tulit, contentum fuiſſe quod prima parte eo verbo uſus eſſet. *arg. §.* 16. *I. ad L. Aquil.* Neque novum eſt ut poſteriora verba ad priora trahantur; *arg. l.* 28. *ff. de ll.* & ut ſequentia ex antecedentibus declarentur, uti docent auctores memorati *c.* 3. *n.* 14.

6. Ad alterum quod adtinet fateor non tantum in memoratis legibus ſed & in Karulinâ Nemeſi traditum eſſe quod ad *judicem loci* inſpectio cadaveris pertineat. *art.* 149. Quod autem id non de alio judice accipi oporteat, quàm de eo qui habet merum imperium, id ex legum iſtarum capitulis primis in quibus de magiſtratuum officiis tractatur, cuivis eas intuenti facile judicare, & experientia

confirmat & hoc axiomate probatur, quod verba generalia ad habile ſubjectum reſtringenda ut loquar cum Gœddæo. *ad l. 6. ff. de V. S. n. 23.* Sichardo *ad l. 18. C. de procurat. n. ult.* & Weſenbecio *ad §. 1. I. de inutil. ſtip. n. 1.*

7. Non obſtat tertiò quod in Drenthiâ cadaveris inſpectio fiat per *Schultetum*, penes quem tamen nec imperium merum nec jurisdictio eſt. Nam ubi ab ejusmodi perſonâ inſpicitur cadaver, ibi ſemper ajemus eam vicariam operam vel ex ſpeciali conceſſione vel ex mandato generali præſtare abſenti Satrapæ vel ei cui criminum cognitio competit. *arg. c. quod quis. de R. I. in 6.* Cur enim non alter pro hoc ſi abſens ſit facere poſſet? cum & ipſum merum imperium propter abſentiam mandare queat. *l. 1. pr. ff. de offic. ej. cui mand. juriſd. Nemes. Carol. V. art. 2.* Quodque per alium inſpectio cadaveris juſſu ejus qui habet merum imperium expediri poſſit è loco dicetur, docentque Farinac. *p. 3. de crimin. q. 84. n. 30.* Remus *ad Nemes. Carol. art. 149.*

8. Pro quarto non movere nos debet auctoritas Carpzovii qui inſpectionem cadaveris generaliter ait eſſe actum judicialem *p. 1. prax. crim. q. 26. n. 30.* Verbum *judicii* enim ad merum imperium & criminum cognitionem pertinere, totus de *publicis judiciis* tractatus oſtendit, & firmatur loco Taciti 1. *Annal. 44. vinctos trahunt ad legatum legionis primæ Cetronium qui judicium & pœnas de ſingulis in hunc modum exercuit:* & alio *d. lib. 1. c. 72. Nam legem majeſtatis reduxerat, cui nomen apud veteres idem, ſed alia in judicium veniebant:*

9. Idque vernaculo ſermone ſequimur, ſecundum quem peinlich Gericht: *Nemes. Carol. art. 1. & 2.* aliquandò ſimpliciter Gericht dici ſolet. *d. Nemes. art. 47.* Brechæus etiam rectiſſimè *ad l. 15. ff. de V. S.* annotavit, peculiari nomine *judicis* olim appellatos fuiſſe eos, quos prætor ſortiebatur ſubſortiebaturque ut de publicis criminibus cognoſcerent.

10. Quintò videtur obſtare quod tam in ſanctione Karulinâ quàm in aliis legibus Scabinorum & Adſeſſorum operam adhibere debeat judex: *Conſuet. Veluv. cap. 3. art. 12.* atque ſic juriſdictionis *civilis* actus videatur, cum omnes Scabini de criminibus cognoſcere poſſint, & ii quibus ea poteſtas data alibi nomine proprio Blut-Schöpfen appellentur.

11. Re-

11. Reſpondeo non aliter Scabinorum præſentiam eſſe neceſſariam, quàm ſi etiam criminum cognitionem habeant. *Nemes. Karol. art. 1. pr. & art. 4. 12. 13. 72. 88. 91. 94. & 149.* Quare tunc à judice adhibendi, cum ſine illis judicium hodiè aliàs non conſtituat in iis locis ubi judices habent adſeſſores. Weſtnbec. *ad Schneidewin. comment. ad Inſt. de teſtam. rubr. de ſolemni teſtam. n. 17. lit. f.*

12. Quod in re propoſitâ vel eò magis obtinet quod hic agatur de judicio extra tribunal conſtituendo, nam hoc caſu Scabinos requiri ſcriptum reliquit Carpzov. *p. 3. I. F. conſt. 3. def. 17. n. ult.* qui etiam rectiſſimè docet ad minimum duobus Judicem ſtipatum eſſe debere. *p. 1. prax. crim. q. 26. n. 32.* In Cliviâ quoque & Marcâ duos ſufficere patet ex edicto enarrato *c. 3. n. 16.* Sed ubi etiam tunc ſi in aquis homo periit omnes ſcabini ſeptenario pletumque numero clari judicem comitantur, vetuſta iſta obſervatio vicem legis obtinere debet. *l. 1. §. 23. ff. de aq. pluv. arc.* & maximopere cuſtodienda ſi ab alio quis cæſus dicatur. *arg. l. 1. §. 5. ff. de Carbon. ed. nam vel magis conſulendum eſt his quibus majus periculum intenditur:*

13. In iis autem locis, in quibus Scabini vel Adſeſſores judicibus non ſunt additi, hi ſoli adhibito eo qui ab actis & adparitore cadaver inſpiciunt, de quibus locis vide id quod tradidi *in tract. de juram. perhorreſc. c. 6. n. 15.*

Caput V.

Princeps quâ ratione juriſdictionem habeat inquiritur? & ſi hanc alteri dederit, tunc hic cadaver inſpicit, licet juriſdictio perſonalis ei competat.

1. His conſequens eſt quod inſpectio cadaveris non ſit actus *juriſdictionis territorialis* quam jure *αὐτοκρατορίας* exerceri conſtat ab Imperii Romano-Germanici Ordinibus. Andr. Knichen. *de jurisd. territor. c. 1. n. 373. & 386.* Thom. Michael. *de jurisdict. concl. 44.* Georg. Frantzke *ad tit. ff. de jurisd. n. 57.*

2. Minus rectè eam ad jura majeſtatis quoque retuleris etiamſi magiſtratuum creatio pertineat ad Principem; *l. un. ff. ad L. Iul. de ambitu.* & ab hoc ſpecialiter lege merum imperium illis dari ſoleat. *l. 1. pr. ff de Offic. ej. cui mand. jurisd.* Nam ubi Princeps alteri, ſive is Baro ſit ſive nobilis, etiamque Univerſitati aut municipio conceſſit merum imperium, tunc non judex Principis nomine jus dicens ſed

iſta Univerſitas aut Baro cadaveris inſpiciendi jus habet. *arg. l.* 80. *ff. de R.*

3. Neque obſtare credas, quod Princeps ſit fons meri imperii à quò fluit & ad quem refluit tanquam ad mare omnis judicandi poteſtas. Alexand. ab Imolâ. 5. *conſil.* 24. *n.* 1. Ruinus 1. *conſil.* 22. *n* 7. Paurmeiſter. *de juriſd. lib.* 2. *c.* 4. *n.* 22. *& ſeq.* Carol. Tapia *ad rubr. de conſtit. Princip. c.* 4. *n.* 11. quodque non *privativè* ſed *cumulativè* imperium in alios transferat, uti ait Hieron. Muſcorn. *de juriſdict. n.* 34.

4. Hoc poſtremum enim ſic intelligi debet quod mortuo eo, cui merum imperium dederat, vel negligente magiſtratu fungi ſuo munere, alteri id iterum largiri queat, non autem ipſe Princeps *formaliter*, uti Philoſophi dicerent, ſed tantum *radicaliter* & *effectivè* juriſdictionem vel merum imperium habeat, uti nobis doctum *in tract. de jure in re & ad rem. c.* 21. *n.* 55. *&* 56.

5. Non ergò ſequitur territorium cadaveris inſpectio, cum illud abſque juriſdictione vel mero imperio eſſe poſſit, & unus queat habere juriſdictionem criminumque coercitionem alter verò provinciæ aut territorii poſſit eſſe dominus, uti Italorum Jureconſultorum eruditiſſimus Camill. Borellus poſt Hieron. de Monte, Brunum, Beccium & Paſetum reſpondit *in conſil.* 86. *n. ult.* & ex ſexcentis appellationum cauſis conſtare dicitur apud Gylman. *tom.* 1. *Symphor. p.* 1. *tit.* 3. *vot.* 2. *n.* 15. Et egregiè firmatur ex pronuntiato Legatorum Regis Sueciæ, ad quorum arbitrium lis anteà inter Reverendiſſ. Elect. Moguntinum & Sereniſſ. Elect. Palatinum orta, fuerat rejecta & Heilbrunnæ deciſa 7. *febr.* 1667. In cujus §. *Quidquid:* continetur ut ei cui jus viæ publicæ competit, etiamſi alter habet territorium, facinoroſos tamen punire & cadavera tollere poſſit.

6. Illud porrò rectiſſimè hinc conlegitur cadaveris inſpectionem non tantum pertinere ad eam juriſdictionem criminalem, quæ cohæret territorio. Gars. Marſtrilli. *de magiſtrat. lib.* 6. *c.* 8. *n.* 99. Alex. Raudens. *deciſ. Piſan.* 44. *n.* 5. Perez. *C. de excuſ. mun. n.* 19. Criſtoph. Creſpi de Valdaura *tom.* 1. *obſ.* 15. *n.* 41. & pago vel prædiis inhærere dicitur veluti nebula paludi. Merlin. *controv. for. c.* 99. *n.* 5. Conrad. Hartz. *de juriſdict. concl.* 5. *n.* 3. *& ſeq.* Jacq. Corbin. *deciſ. du droit. q.* 50.

7. Oſtendi

7. Oſtendi enim quod ea inſpectio generaliter ad juriſdictionem criminalem ſpectet, ut fruſtrà id reſtringas ad eam quæ ratione territorii competit, cum oratio haut finita pro univerſali habeatur. *l. ſi pluribus. ff. de legat.* 2. Damaſus. *reg. Canon.* 122. Quod hîc vel ideò fortius dicere audeo, quia in ſpeciebus eadem ratio, Mynſing. *decad.* 7. *reſp.* 61. *n.* 23. & à lege eâ mente prolata, ut regulæ loco habeatur. Jacob. Concennat. 4. *QQ.* 2. *n.* 16. A quâ regulâ non eſt recedendum; ubi non invenitur caſus *juriſdictionis perſonalis* exceptus. *arg. l.* 1. *fi. C. de reb. cred. l.* 5. *ff. de probat.* Præſertim cum hæc ſit longè nobilior nec anguſtis agrorum finibus tantum definita. Cothman. *reſponſ. Acad.* 1. *n.* 336. *& ſeq.*

8. Sive ergò hos ſpectamus quibus perſonalis jurisdictio non civilis tantum ſed quoque criminalis vel hæc ſola conceſſa eſt ſive Principem vel reip. rectores qui eam dederunt, ſemper dicendum, quod juriſdictionem criminalem beneficio Principis perſonis non habitâ ratione territorii conceſſam, quàm pleniſſimè nos interpretari debeamus. *arg. l.* 3. *ff. de conſtit. Princip.*

9. Adeò ut nulli prætores vel judices audiendi ſint, qui ſub prætextu publicæ utilitatis aliis juriſdictionem perſonalem habentibus quæſtionem movent & allegant iſtud axioma, quod vult ut verba generaliter prolata generaliter quoque intelligantur, non locum capere niſi cum publicus id ſuadet favor. Concennat. 4. *QQ.* 1. *n.* 13.

10. Cum hi qui juriſdictione perſonali prædíti ſint, veluti Epiſcopi & eccleſia Pontificia, Boerius. *deciſ.* 225. *n.* 2. Loyſeau *des Seigneuries. c.* 15. *n* 57. Præfecti militum & Magiſtratus Academici. Vultej. *ad l.* 1. *C. de juriſdict. n.* 10. Benius *de privil. Iureconſ. pr.* 16. *r.* 1. Beſold. *de jure Academ. c.* 6. *n.* 4. quibus adjice Adſeſſores Cameræ Spirenſis, Auditores rotæ Rom. & Pares curiæ. Schrader *de feud. p.* 10. *ſect.* 8. *n.* 14 *& ſeq.* Schiurpf. 2. *conſil.* 79. *n* 1 Knichen. *de ſublimi territ. jure. c.* 1. *n.* 199 *&* 202. non minus ac iſti prætores boni publici cauſa id agant, atque ejusmodi actum meri imperii non nomine proprio ſed quatenus Principis miniſtri ſunt exerceant. *arg. d. l.* 2. *ff. de juriſdict.* Qui etiam verbis *criminalis juriſdictionis* utramque ſpeciem tam eam quæ perſonæ quam aliam quæ territorio inhæret, complexus eſt. Alexand. ab Imola *ad l. Gallus. §. & quid ſi tantum. ff. de lib. & poſthum. n.* 2. Jaſon. *ibid. n.* 8.

11. Praxis

11. Praxis hæc omnia recepit. Nam ſi Spiræ Nemetum cadavera aut vulnera eorum, qui juriſdictioni ſummi Imperii tribunalis quod in eo loco conſtitutum ſubjecti ſunt, inſpicienda, tum ab hoc non verò à magiſtratu urbis Medici advocantur. Rutg. Ruland. *de Commiſſar. p. 1. lib. 4. c. 15. n. 2.*

12. Si miles occiſus tunc non à judice loci in quo hybernat aut præſidium eſt, ſed à judicio militari inſpicitur cadaver, uti non ſemel in Germaniâ inferiore fieri vidi & hic quoque Groningæ uſu ſervatur, docetque Beſold. *oper. jurid. polit. diſſ 6 c. 1. n. 2.*

CAPUT VI.

Cadavera ſtudioſorum non à magiſtratu urbis ſed Academico, ſi huic merum imperium datum, inſpiciuntur. Reſponſa JCtorum Heidelbergenſium & Helmæſtadienſium.

1. PAlpare nunc quilibet poteſt, quod mortui ſtudioſi cadaver non magiſtratus Urbanus ſed Academicus inſpicere debeat ſi hic quoque merum habeat imperium, cum hujus & ſequela & præparatio quædam ſit. *arg. d. l. 2. ff. de juriſd.*

2. Controverſum tamen id memini fuiſſe, cum Duiſburgi in Clivis quidam ex domeſticis meis Pandectarum auditoribus Joh. Koël Conſulis Durſtani filius ſe lavans in *Rhura* flumine, vehementiſſimo aquarum impetu, à quo id nomen accepiſſe & Rhur à ruhren tractum videtur, ad fundum raptus 29. *Iunii* 1666. periiſſet. Liceat mihi hic obiter tangere quod iſtud flumen à *Rorico* Francorum Regis Clodovæi filio dictum eſſe quod is in eo merſus fuerit ex Spanhemio memoriæ prodiderit Jacob. Scopper *Hiſtor. German part. 1. c. 5.*

3. Memoratus triſtis caſus cum mihi tunc Rectori Academiæ Teutoburgenſis nuntiatus eſſet, ex decreto Senatus Academici cum tribus Profeſſoribus & eo qui ab epiſtolis Univerſitati literariæ ad cadaver inſpiciendum ivi: Cum id ex juris præſcripto ordine factum & cadaver è ripâ per Studioſos, quod cives operam ſuam hanc in rem locare nollent, ad viam vicinalem tranſlatum eſſet, ut inde carrucâ deferri poſſet in urbem, mihi meiſque collegis magiſtratus Urbis obvius venit, qui eâ mente ſed jam nimis ſerò prodierat ut cadaver iſtud inſpiceret.

4. Verba

Digitized by Google

4. Verba tunc ultrò citroque facta fuerunt. Nos præter ea quæ ſuperiore loco de naturâ juriſdictionis perſonalis ediſſertavi, ampliſſimo ordini civitatis Duisburgi allegabamus quod paucos ante annos in eodem loco aliud cadaver hominis anteà ſtudioſi à magiſtratu Academico inſpectum fuerat, atque ideò quaſi poſſeſſionem iſtius juris nobis adquiſitam eſſe cum illa non niſi unum deſideret actum. Menoch. *remed. 3. retin. poſſ. n.* 586. Richter. *p.* 1. *deciſ.* 15. *n.* 22. Joan. Bapt. Pontanus *de Spol. lib.* 2. *n.* 174. Ludov. Poſtius *de manuten. obſ.* 31. *per tot.*

5. In contrarium adferebatur quod *fortè* ſe ignorante id anteà contigiſſet. Cui reſpondebatur *fortè non.* Et hoc audacter adſerere non dubitabamus quod ejuſmodi actus non *clam* exerceatur ſed in ejuſmodi civitate non adeò vaſtâ nemo id ignoret, ſi ergò magiſtratus ſolus hoc neſciverit, latæ culpæ id imputandum eamque ipſi nocere. *l.* 9. *§.* 2. *ff. de jur. & f. ign. junct. l.* 6. *ff. eod. l.* 203. *ff. de R. I.*

6. Res hæc à magiſtratu civitatis memoratæ rejiciebatur ad Sereniſſimum principem qui tunc Clivis arbitrum agebat pacis Belgico-Monaſterienſis laudatiſſimum. Quem exitum hæc lis habuerit dicam poſteà, nunc prius hic connotabo argumenta quæ pro magiſtratu facere videbantur.

7. Primum eſt, quod in territorio Teutoburgenſi cadaver eſſet repertum atque ideò ad *magiſtratus Teutoburgenſis* officium iſtius inſpectionem pertinere; nam territorium eſſe juriſdictionis ſubjectum. *arg. l. fi. ff. de juriſd. l.* 239. *§.* 8. *ff. de V. S.*

8. Contrà ſecundò Academicum Senatum ſibi illud territorium vindicare non poſſe atque ideò in eo pro privato cenſeri. Alex. ab Imola. *ad l. ult. n.* 5.

9. Tertiò abſurdum eſſe in rep. rempublicam ſtatuere & in uno territorio reperiri diſcretas juriſdictiones, cum inde diſcordiæ ſint metuendæ quas communio parit. *l.* 77. *§.* 20. *ff. de legat.* 2.

10. Pro quarto juriſdictionem Academicam inhærere perſonis, morte ergò eam finiri cum ea ſolvat quæ perſonis cohærebant. *Nov.* 22. *c.* 20. *pr. Conſult. Saxon. p.* 4. *q.* 6. *n.* 2. Petr. Gregor. *prælud. opt. JCti. lib.* 2. *c.* 43. *n.* 3.

11. Quintò Profeſſoribus datam eſſe jurisdictionem in ſtudioſos, quos conſtet per mortem tales eſſe deſinere. Nam mortuus non retinet dignitatem nec poſteà appellatur doctor. Boer. *deciſ.* 316. *n.* 11. *in fi.*

12. Reſpondetur ad primum, quod licet cadaver inventum ſit in territorio *materialiter* pro univerſitate agrorum intra fines civitatis Duisburgenſis tantum ſumpto, Zaſius 2. *conſ.* 16. *n.* 43. & nunc barbarè *diſtrictu* dicto, *c.* 3. §. *porrò. de elect. in* 6. uti videre apud Ahaſ. Fritſchium poſt hæc ſcripta viſum *in tract. de diſtrictu Univerſ. c.* 1. §. 2. non tamen ideò magiſtratum ejus civitatis jurisdictionem & imperium ſolùm in eo exercere poſſe, cum hujus ſubjectum recipiens non tàm ſit iſte *diſtrictus* quàm perſona cui ea conceſſa. Bocer. *de jurisdict. c.* 3. *n.* 93.

13. Atque ideò rectè defenditur ratione ſtudioſorum reliquorumque civium Academicorum Profeſſores Duisburgenſes poſſe jure dici magiſtratum Duisburgenſem, & ſic cadavera ſibi ſubjectorum in territorio Duisburgenſi inſpiciendi poteſtatem habere. Hanc enim alias ad cadavera in auditoriis vel horto Academico inventa reſtringeres, quod cogitare abſurdiſſimum foret. Beſold. *op. polit. diſc.* 4. *de Jure Acad. c. ult. n.* 4.

14. Quamquam, ſi dicere fas eſt, non ea jurisdictio atque imperium Profeſſoribus datum, tantum iſtius territorii finibus continetur, quemadmodum in magiſtratu urbano tamen veriſſimum eſt, quia hujus ratione territorium Duisburgenſe à confinibus territoriis diſtinctum, quod in his minimè ſed tantùm in ſuo territorio in ſuos cives imperium exercere eorumque cadavera inſpicere poſſit. *arg. d. l. ult. ff. de jurisdict.* Natta *conſil.* 204. *n.* 1. *& ſeq.* Dan. Claſen. *de jure aggrat. c.* 7.

17. Profeſſoribus autem ex naturâ jurisdictionis perſonalis cadavera civium Academicorum, etiamſi extra territorium ſive diſtrictum civitatis Duisburgenſis reperta fuerint, inſpiciendi jus eſt, uti ex dictis conſtat. Nec dubitationem recipit ſi cadavera jaceant in territorio provinciæ pertinentis ad Principem, qui jurisdictionem atque imperium Academiæ conceſſit, uti Helmæſtadienſes JCti quoque reſponderunt *hoc cap. n.* 44.

16. Licet & tunc ſi in aliâ provinciâ confini veluti Montanâ aut Moerſanâ reperta eſſent ſtudioſorum cadavera, idem ſtatuere liceat, quod à Cæſare Maximiliano Academiæ Duisburgenſi poteſtas data omnes actus judicis ordinarii exercendi atque adeò ei conceſſa ſit jurisdictio omnis in cives Academicos etiamſi eorum cadavera in alieno quàm Principis ſui fundatoris territorio inventa ſint, per tradita nobis

à Be-

à Beſoldo *op. polit. diſ.* 4. *de jure Acad. c. ult. n.* 4. & Paurmeiſtero *de juriſdict. lib.* 2. *c.* 4. *n.* 20.

17. Quod adtinet ad ſecundum, meminiſſe nos oportebit, quod territorium non tantum ſignificet *diſtrictum* ſed *publicè atque univerſaliter dixerunt, intra quos fineis jus dicendi eſſet.* Sicul. Flaccus *de condit. agror.* & *quidquid ad* alicujus univerſitatis *privilegium pertinet, territorii jus appellant.* ait Frontin. *de limit. agror.*

18. Hac ratione & Academia habet territorium *formaliter*, cum jus dicendi poteſtatem habeat & imperium ad ejus privilegia pertineat. Hujus rei fortiſſimum argumentum præbet origo vocis territorii. Dicitur enim à terrendo, *all. l.* 239. §. 8. *ff. de V. S.* ideſt ſubmovendo, quod magiſtratus P. R. lictores cum faſcibus habebat quibus mandabatur ut turbam ſubmoverent, unde & ſubmovere pro terrendi jure cœptum eſt. Alciat. *ad all.* 239. *in fi.* Jam verò de miniſtris Academicis nunc *pedellis* dictis, alibi peda, Duisburgi autem ſceptra propter *ſceptrigeri* ſui fundatoris potentiſſimi ſingularem auguſtamque dignitatem, præferentibus dici debet.

19. Hinc & ipſi ſtudioſi cæterique cives Academici poſſunt dici *de territorio* eſſe, quod intuitu magiſtratus Academici terreri poſſint, ut loquar cum Aug. Berojo. 3. *conſ.* 22. *n.* 22. & Andr. Knichen. *de jure territor. c.* 1. *n.* 18. Et ſic *formaliter* ſumpto territorio, verum eſt quod quævis juriſdictio deſideret territorium, Borell. *conſil.* 86. *n.* 7. cum ſine territione illa ſit nulla. *arg. l. fi. ff. de offic. ejus cui mand. juriſd. l.* 1. §. 1. *in fi. ff. eod. l.* 2. *ff. de juriſd. l.* 1. *pr. ff. Si quis jus dic. non obtemp.*

20. Sed & ſi poſtremum hunc juris Romani locum penitius inſpiciamus municipio vel civitati quæ antea libera nunc verò Principi ſubdita, haut *territorium* formaliter defendi poteſt, cum non penes magiſtratum Urbis hodierno loquendi uſu ſic dictum, ſed penes prætorem vel judicem à Principe conſtitutum terrendi poteſtas ſit uti Duisburgi publicè diſputavi *in ſpicil. ad §.* 5. *Inſtit. de Attyl. tut. n.* 11. & *ſeq.*

21. Illud nunc facilè quilibet advertere poteſt, quàm fallax ſit ea ſimilitudo, per quam territorium non niſi *materialiter* accipiunt & illud veluti paludem, juriſdictionem autem veluti nebulam effingunt. Poteſt palus ſine nebulâ & contrà ſpectari. Guil. Onciacius QQ. *jur. Philoſ.* 25. 1. Et unus poteſt habere proprietatem territorii *materialiter* ſic ſumpti alter verò juriſdictionem atque ita territorium *formaliter* accep-

C 2 ptum

ptum. Hieron. de Monte *de fin. regund. c.* 11. *n.* 14. Petr. Ant. de Petra *de jure quæſ. non toll. q.* 18. *n.* 33. *& ſeq.* Fritſchius *d. tract. c.* 8. *§.* 2. Neque enim à territorio ad juriſdictionem territorialem inferre licet, cum & hæc nunc pro *αὐτοκρατορία* ſumatur & ad Principem, cui civitas ſubjecta, competat, uti dicere repræſentavi, *c.* 5. *n.* 1. & propriè territorium Principis ſit. Cothman. 3. *reſp.* 47. *n.* 128. *&* 194.

22. Quare nunc ad tertium properemus eique id reponamus quod non magis hac ratione reſp. in republicâ ſtatuatur, quàm cum olim in urbe alius prætor inter cives, alius verò inter peregrinos jus dicebat, quod nec diſcordias olim peperit, ſed contra boni ordinis ſervandi cauſâ olim introductum atque uſurpatum fuit. *l.* 2. *§.* 27. *&* 28. *ff. de O. I.*

23. Hac tempeſtate id etiam frequenter contingit uti oſtendit integro libro Caſp. Leipold. *de concurr. juriſd.* apud Arumæum. *de I. P. diſc.* 13. *q.* 13. *fol.* 287. & pleræque Germaniæ Belgiique Univerſitates literariæ id liquidò demonſtrant. Vel uno quoque exemplo cameræ Spirenſis id comprobatur. O. C. *p.* 1. *tit.* 63. *pr. Receſſ. Imper. Auguſtæ Vindel.* 1654. *§.* hingegen aber. Blumen. *proceſſ. Cam. tit.* 26. *n.* 1. *&* 2.

24. Perſpicuum etiam id eſt in Epiſcopis, qui ratione ſibi ſubjectorum clericorum etiam in liberis Imperii civitatibus veluti Coloniæ Agrippinenſi & Auguſtæ Vindelicorum, non minus quam magiſtratus Urbani in cives, exercent juriſdictionem. Sed & Bochumæ in provinciâ Marcanâ alius judex eſt à Principe alius à magiſtratu Urbano datus, & in memoratæ provinciæ territorio Mengedano & generoſiſſ. D. à Bodelſwingh & D. à Buren ſimul juriſdictionem exercent.

25. Quartum autem nullius momenti eſt tum quod Academica juriſdictio non tàm *paſſivè* quàm potius *activè* atque ita Profeſſoribus inhæreat, idque dicatur ideò quod non cum territorio habeat communionem nec tamen ita perſonalis ſit ut cum individuis & Profeſſoribus exſtinguatur, quippe cum *cauſa* & *ejuſdem profeſſionis* perſonis ſemper competat. *arg. l.* 196. *ff. de R. I. ibique DD.* Tum quoque ideò quod mors conſervet perſonam in eo ſtatu, in quo erat cum decederet vitâ. Cardin. Tuſchus *lit. M. conclus. pract.* 397. *n.* 1.

26. Nec majoris argumenti eſt poſtremum, cum dignitas non moriatur, ſi audimus Sebaſt. Medices *tract. Mors omnia ſolvit. p.* 3. *n.* 73. & communicandum defuncto quod communicabatur viventi. *c.* 11. *x. de ſepult.* etiamque Barbatiam *ad c. un. de relig. & vener. ſanct. in* 6.

aliter

aliter ſentire tradat Boerius, eumque ſequi videtur ipſe, quandò cadaveri injuriam fieri docet *d. deciſ. n.* 12. propter quam & fidei commiſſo privatur qui cum viduâ defuncti coit. Sebaſt. Medices. *d. p.* 3. *n.* 62.

27. Et licet ſubtili ratione diſputandi, dici poſſit non amplius ſtudioſum eſſe eum qui mortuus eſt, tamen ſcire debemus quod multa contra eam pro utilitate communi recepta ſint, uti innumerabilibus rebus probari poteſt. *l.* 51. §.2. *ff. ad L. Aquil.* Sufficere ergò debet quod communiter mortuus eo nomine appelletur quod geſſit vivus & ſtudioſum mortuum vel doctorem defunctum dicamus. *Non enim ex opinionibus ſingulorum ſed ex communi uſu nomina exaudiri debent*: uti ait Celſus *in l.* 7. §. *ult. ff. de ſuppell. leg.*

27. Denique nec hoc reticendum quod apud Romanos nullum aliud fuit imperium aut jurisdictio quàm quæ perſonalis nobis dicta. Oldekop. *tit.* 1. *obſ. crim.* 1. *n.* 1. 2. & 3. Juſt. Sinold. dictus Schutzen. *de jure publ. vol.* 1. *diſp.* 6. *th.* 5. *lit.* g. Et tamen imperium quoque durabat in cadavera. *arg. l.* 1. *ff. de cadav. punit.* Quæ cauſa fuit cur à Pilato Chriſti ſervatoris corpus licet audens fidens petierit Joſeph. Arimathæus uti ſcribit Emund. Merillius *ad evang. Ioan. c.* 18. *n.* 41. Duaren. *ad tit. ff. de cadav. punit.*

29. Hæc ferè erant quæ ex decreto ſenatus ſcripto complexus fui & ad Principem curata cum precibus, ut tempus nobis prorogaretur donec ab Academiis, ad quas memorata noſtra argumenta miſeramus, reſponſa eſſent data. Annuit id Princeps pro ſingulari & ſemper in poſteros fandâ clementia. Fuit autem ab Ordine JCtorum antiquiſſimæ univerſitatis Heidelbergenſis reſponſum his verbis; *Deprehendimus quod memorata fundamenta juris urgentiſſima ſint & laudata Univerſitatis Duisburgenſis petitio juſtâ ratione nitatur. Præſertim cum & in hac Academiâ atque in aliis moribus introductum ſit, ut jurisdictio Academica, quod ad inſpectionem cadaverum civium Academicorum etiam extra urbem exerceatur: Heidelbergæ* 28. *Aug.* 1666. Helmæſtadienſes Anteceſſores nobiliſſimi ſic ajebant; *De jure conſulti reſpondemus, quod ne ullam quidem rationem reperiamus, cur Iudicium & Prætor iſtius loci ipſi Univerſitati inſpectionem cadaveris ejusque tollendi poteſtatem iſtius in Rhurâ flumine ſuffocati atque in territorio Brandenburgico-Clivenſi reperti defuncti ſtudioſi, negare & ſibi tribuere poſſint. Ideoq; illud ſcriptum, ſi factum ſe ita habeat, in cunctis juri conveniens pronuntiamus & Academiam*

Electoralem Brandenburgicam in juribus meritò tueri oportaat, & magiſtratui ejus loci feriò interdicendum, ne ſimiles aliasve exactiones contra auth. habita. C. ne fil. pro patre ſtudioſis extorqueant. Helmaſtadii. 16. Iulii. 1666. Et ſereniſſimus Princeps tandem hanc litem ſecuit vincente Academiâ.

Caput VII.

Academicus Senatus etiam cadavera inſpicere poteſt licet ad mortem damnandi jus non habeat.

1. Evidentiſſimè autem ex ediſſertatis firmamentis conſequitur, quod ea Univerſitas cui jurisdictio civilis tantum data eſt, cadaveris inſpiciendi poteſtatem non habeat. *arg. l. 1. pr. ff. de offic. ej. cui mand. juriſd.* Num autem videatur errare magiſtratus Academicus, qui cum judicii publici coercitionem non quidem in gradibus excellentioribus ſed infimo habeat ſibi conceſſam, etiam cadaveris inſpiciendi jus ſibi tribuit, belliſſimè quæritur? Tres enim ſunt imperii meri gradus.

2. Primus complectitur pœnas quibus mors naturalis inrogatur. *l. 21. l. 28. ff. de pœn.* Secundus adimit vitam civilem. *l. 2. ff. de publ. judic. d. l. 28.* Tertius autem continet relegationem & coercitiones leviores. *d. l. 2. l. 5. C. de modo mulct. Nemeſ. Carol. art.* 198. Treutl. 1. *diſp. 3. th. 5. lit. c. & ſeq.*

3. Hunc poſtremum habet ſibi conceſſum Academia Groningano-Omlandica, ſed ſi pœna mortis aliave quæ relegatione major reo inroganda, tunc *magiſtratus civilis* ejus rei eſt diſceptatio uti Lex ait XXIV. *In delictis ſi pœnis ſit opus ea ſunto: mulcta pecuniaria, carcer, nominis ex Academia albo diſpunctio, relegatio aut momentanea aut perpetua. Majores in criminibus gravioribus, quæ pœnam corporalem aut capitis merentur, magiſtratui civili manento:*

4. Cum itaque Senatus Academicus non ad mortem poſſit condemnare reos, nec ei inſpectio cadaveris ſed magiſtratui *civili* tanquam modus ſine quo ad condemnationem perveniri nequit, ea adtribuenda videbitur. *arg. l. 2. ff. de jurisdict.* Pro quo etiam facit iſtud axioma juris interpretum, quod jurisdictio ſuper principali extendatur ad connexa. *arg. l. 1. §. 1. ff. de offic. ej. cui mand.* Felin. Sandeus *ad. c. ſuper literis. de reſcript.* Hippol. de Marſil. *ad rubr. ff. de fidejuſſ. n. 188. & ſeq.* Richter. *p. 1. deciſ. 15. n. 11.*

5. Hæc

5. Hæc autem tanti non ſunt ut ideò magiſtratui Academico poteſtas inſpiciendi cadavera ſtudioſorum defunctorum negari debeat. Nam à condemnatione hic ceſſante fruſtra inferas ad ceſſationem inquiſitionis præſertim generalis, ad quam cadaveris inſpectio refertur. *arg. c. ſicut olim. x. de accuſat.* Treutl. 2. *diſp.* 31. *th.* 1. *b. in fi.* Carpzov. *p.* 3. *prax. crim. q.* 107. & 108.

6. Congruit ergò officio Rectoris & Senatus Academici cadavera inſpicere atque ſi per inquiſitionem hanc generalem ad ſpecialem contra hunc vel illum ſuo imperio & jurisdictioni Academicæ ſubditum deſcendatur, uti plerumque ilicò hæc illam veſtigare ſolet, Bachov. *ad Weſenbec. ff. de accuſ. n.* 2. Hahn. *ibid.* hoc caſu Senatus Academici eſt æſtimare an ſua ſit cognitio? Si enim crimen ſit notorium & morte vel corporali pœnâ expiandum ſtatim rem rejiciat ad magiſtratum civilem, ſi verò factum tale ut non dolo ſed culpâ contigerit ex lege de ſuo imperio per Ordines provinciæ latâ judicet.

7. Cum verò initio ſparſæ de cæde aut ſuffocatione ſtudioſi famæ minimè de his cunctis adpareat, iſta cadaveris inſpectio & generalis ea inquiſitio, non tantum neceſſariò magiſtratui Academico incumbit, ſed & ſpecialis contra hunc vel illum reum ſuæ jurisdictionis hominem ipſi permittenda, cum id quod benignius eſt ſemper in dubio ſequamur, nec conſtet dolo malo crimen patratum atque ſic non morte ſed relegatione aliave pœna fortè plectendum, quæ in poteſtate ſit Senatus Academici. *arg. l.* 56. *ff. de R. I.*

8. Cuncta hæc egregiè firmat locus Marciani *in l.* 6. *ff. de cuſtod. & exhib. reor.* docentis, quod olim inquiſitio facta fuerit etiam per eos qui damnandi poteſtatem non habebant, ad quorum exemplum ſi exquiſitis diligenter & fideliter per magiſtratum Academicum argumentis, ipſi conſtiterit, ſibi nullam competere cognitionem, reum cum elogio ad *magiſtratum civilem* ideſt *politicum* mittat.

9. Quanquam alias plus juris conceſſum ſit Profeſſoribus, quam priſcis illis Irenarchis, de quibus Marcianus loquitur, & cum quibus videtur convenire is qui Groningæ *præfectus aquis* vernaculè *Waterſcholt* appellatur. Hic enim ſolus ſi homo in aquis periit cadaver inſpicit & argumenta ad Conſulem ordinis ampliſſimi præſidem referre debet, uti cautum SCto cujus mentio facta. *c.* 3. *n.* 18. *in fi.* Nec in hac urbe refert cujus conditionis homo ſit mortuus, adeò ut non tantum civium,

Digitized by Google

civium, ſed & militum atque ſtudioſorum cadavera inſpiciat, cum tacitè omnes magiſtratus id ei mandaſſe, intelligantur atque vicariam operam iis exhibere videatur.

10. Quanquam indiſtinctè cadavera ſtudioſorum qui in aquâ extincti, inſpicere poſſint Profeſſores, idque factum accepi à collegis atque eos etiam res mortui curaſſe. Quid ſi autem ponamus mortuum fati diem acceleraſſe, an quia Senatui Academico relegandi poteſtas data & de ſepulturâ ejusque negatione jus habebit, cum par ratio videatur? *arg. l. 2. ff. de cadav. punitor.* Minimè! Id enim ad majorem ſecundum imperii gradum pertinere conlegitur argumento ejus quod in progreſſu notabitur.

11. Ubi autem cæde ſtudioſus interemptus cadaver ipſos inſpicere poſſe vel hinc quoque conlegas quod in cauſis meri imperii & homicidii examen teſtium ſi cives ſint Academici, ad Profeſſores rejiciatur uti ex ipſis rerum monumentis non ſemel contigiſſe obſervavi.

12. Amplius & ex illis erudimur *ſalvum conductum* vulgó ſic dictum iis, qui cædis rei fuerant poſtulati, ab Academiâ indultum fuiſſe. Non enim majeſtatis ſed imperii actus eſt eum largiri uti demonſtratum dedit Carpzov. *p. 3. prax. crim. q. 112. n. 22. & ſeq.* Cum ergò meri imperii gradum infimum habeat literaria univerſitas & inquirere debeat an ſua ſit notio etiam ea poteſtas illis competit, quod ſine præſentiâ rei ad eam perveniri nequeat. *arg. l. 2. ff. de juriſdict.*

13. Neque tamen inde conlegas jure magiſtratus iſtum meri imperii gradum Academiæ eſſe conceſſum ſed ideò eum exercet quod ſpecialiter ab Illuſtriſſimis hujus Provinciæ Ordinibus is ei datus ſit: juriſdictionem autem habet jure magiſtratus, nec enim ab alio magiſtratu ejus exercitium Academiæ conceditur ſed à principe eam accepit ut propria ſit non aliena, non enim Princeps niſi cum contumeliâ dicitur juriſdictionem habere, quid majus enim habet & ſumma penes eum eſt rerum divinarum humarumque poteſtas, cujus quidem effectus eſt juriſdictionem alteri tribuere, illa tamen penes ipſum non eſt. *arg. l. 63. ff. de uſufr.*

DISPUTATIO II.

Reſp. Joh. Eliâ Sinder, *Hoerdâ-Marcano.*

Caput VIII.

Aliquando cadaveris inſpectio peragi poteſt non tantum ab eo qui juriſdictionem civilem ſed & nudam notionem tantum habet.

1. EA quæ hactenus diſputata tunc vera ſi in eo loco in quo cadaver jacet ſit judex mero imperio præditus. Quod ſi verò nullus alius ibi exiſteret quam cui juriſdictio de privatis & civilibus cauſis competeret, tunc & hic illud inſpiciendi poteſtatem habet, *arg. Nov.* 90. *c.* 5. propter compendium tum ſumptuum, tum quoque temporis, nam criminales cauſas citò expediri reip. intereſt. *l.* 13. *pr. C. de judic.*

2. Atque hac ratione inſpectionem hanc indiſcriminatim actum judicialem appellavit Carpzovius memoratus *c.* 4. *n.* 14. Nam ubicunque prætor vel judex ſalvo more majorum juriſdictionis actus exercet, is locus ſive in urbe is ſit ſive extra urbem in ſaltibus aut ſylvis vel in ripâ fluminis, rectè jus & judicium appellatur. *l.* 11. *ff. de I. & I. l.* 4. *§.* 1. *ff. de interrog. in jure fac. junct. §. ult. I. de interdict.*

3. Hæc cauſa eſt cur in Drentiâ Schultetus loci in quo cadaver inventum eſt, illud inſpicere queat, quamvis & ſpecialiter id ei tributum vel ab abſente Satrapâ mandatum atque ſic ex variis cauſis illi adſertum ſit, uti præfatus *c.* 4. *n.* 11. Groningæ autem executor qui & audit *præfectus aquis* habet ex SCto poteſtatem inſpiciendi cadavera eorum qui in fluminibus aut aquâ perierunt ſpecialiter ſibi tributam, Irenarcha autem qui vernaculè *Scholte* appellatur ſolus alia cadavera quoque inſpicit, quemadmodum & Tremoniæ in Veſtofalis *Camerarius*, quod judicis officio fungatur Ordo ampliſſimus, penes quem ſummum in urbe tàm divinarum quàm humanarum rerum arbitrium eſt atque adeò ſalva majeſtate imperii ſui is actus ab ipſo exerceri nequeat. *arg d. l. pen. ff. de I. & I.*

4. Sed ubi jure cadaveris inſpectio alicui data non eſt, qui eam operam judici cauſarum criminalium præſtet, ibi ipſe judex eam peragere debet, uti apud Germanos uſu ſervatur & præcipit tàm Nemeſis Karolina quam conſtitutio Sereniſſ. D. Electoris Brandenburgici. Hinc illud quod ſcripſi *c.* 4. *n.* 14. vel accipiendum de iis locis ubi leges non deſiderant judicis præſentiam; hoc namque caſu actus per alium

 expe-

expediri poteſt; Lauterbach. *de Nuntio c. 7. th. 35. n. 2.* Vel id tunc demum verum ſi abſens ſit judex vel morbo aliâve cauſâ ſonticâ impeditur, ſecundum tradita *d. c. 4. n. 12.* idque 8. *Febr.* 1667. à Judice Eſſendienſi factum ſcio, qui inſpectionem mandaverat aliis veluti ſcribæ ſuo & adparitoribus, quod propter atrociſſimam podagram ipſe lecto fixus hæreret. *arg. l. 3. C. Qui morbo ſe excuſ.*

5. Quamvis autem hoc tunc judici permiſſum ut aliam idoneam perſonam eligat quæ cum actuario cadaver inſpiciat, id tamen non aliter ei licet quàm ſi ſolus judicare ſoleat, qualis eſt Eſſendienſis. Si verò adſeſſores habeat aut Scabini illi additi, inter hos primus, qui ideò tunc Judicis vicarius audit, ejus perſonam geret, quod praxis confirmat & nominatim cavetur *Monaſter. Iudicii Provincial. Ordin. part. 1. tit. 6.*

6. Accidere quoque poteſt ut illi cadaver inſpicere poſſint, qui ne quidem juriſdictionem multò minus imperium, ſed tantum notionem habent atque priſcis pedaneis judicibus ſimiles ſunt. Quid enim ſi ad Jureconſultos partium ſtudiis non abreptos & vulgò *Impartiales* dictos, judex acta litis criminalis de homicidio curaverit, uti fas & jura non modò ſinunt ſed & præcipiunt? quemadmodum docui *in tract. de juram. perhorreſc. c. 19. n. 2. & 3.*

7. Hi Jureconſulti planè mihi videntur convenire cum veteribus judicibus, quos prætores dabant. Nam ſententiam tantum dicunt, ejus autem exequendæ poteſtas eſt penes magiſtratum aut judicem à quo notio ipſis data, quod & olim prætorem feciſſe ubi pedaneus datusve judex pronuntiaverat explorati juris eſt. *l. 15. pr. ff. de re jud.* Quis verò dubitabit hos Jureconſultos poſſe cadaver inſpicere, ſi ex actis obſervent non rectè id factum, vel adſequi intellectu nequeant ea quæ de vulneribus aliisve argumentis ſcripſerit is qui ab actis? quid ſi malignè non omnia retuliſſe Irenarchen ipſis adpareat? *l. 6. ff. de cuſtod. & exhib. reor.*

8. Si reſpondeas rem ad judices à Jureconſultis rejiciendam eſſe ut iterum cadaver inſpiciant, & ſi non ex fide bona Irenarcha retulerit, vindicent *in exemplum ne quid & aliud poſteà tale facere moliatur* uti inquit Marcian. *in d. l. 6. in in fi.* Novâ hac allegatione utendum mihi iterum erit, quod hoc poſtremum de vindictâ allatum judicibus facilè largiar, ſed inſpectionem cadaveris, ſi adhuc exſtet ut tractari poſſit, ad eos

referam,

referam qui de crimine cogniturì, cum in his cauſis cunctæ probationes debeant eſſe luce meridianâ clariores. *l. ult. C. de probat.*

9. Si ergò Jureconſulti notionem exercere debent & ea perfectè noſſe debent ſinè quibus ad eam perveniri non poteſt. *l. 2. ff. de juriſd.* Maximè cum habitus quo inſtructi eſſe debent, non ſit σύνησις uti iis injuriâ imputat Felden. *in præfat. Ariſtot. Polit.* ſed prudentia & juſti atque injuſti ſcientia. *l. 10. §. 1. ff. de I. & I. §. 1. I. eod.* Unde veritatem ex cauſis cognoſcere debent, ubi eas adſequi poſſumus.

10. Quis verò inficiabitur veritatem magis oculatâ fide quàm per aures aut annotationes aliorum animis hominum infigi? *§. ult. I. de gradib. cognat.* Quis neſcit paræmiam *proprios oculos non fallere*: & illud apparere quod oculis cernimus, Angel. de Peruſio *conſil. 317. n. 2.* nec non per inſpectionem atque rei evidentiam ſenſu proprio perſpectam omnem aliam probationem ſuperari? Argentræ. *ad conſuet. Britann. tit. 6. art. 133. gloſſ. 1. n. 2.* Knichen. *de ſublim. territ. jure c. 3. n. 85. & ſeq.*

CAPUT IX.

Judicis officium generaliter indicatur quidve facere oporteat eos qui cadaver ex aquis extrahunt & cur ejus pedes in illis linquere debeant? traditur & vetus in ſcriptio *novè allegatur, atque explicatur quid* religio *ſignificet?*

1. PRoximum nunc eſt poſt enarratas perſonas quibus inſpectio cadaveris competit, tradere ex ordine naturali quemadmodum ad eam perveniatur. Si judex vel is cui ea de re cura data eſt ex famâ acceperit publicâ aut nuntiatum id ei ſit hominem in aquâ periiſſe vel cadaver humanum in ſaltu vaſtove campo aliove loco jacere, miniſtrum vel adparitorem ſuum mittere debet, ut is id quærat & de loco deinde referat, tum ne judex ipſe vagari & curſitare per nemora cogatur vel in ſcopulo aut ripâ fluminis cum jacturâ ſuæ dignitatis morari teneatur, tum quoque ut cognoſcat an ſua ſit jurisdictio. *arg. l. 5. ff. de judic. l. 2. ff. ſi quis in jus voc. l. ult. ff. de jurisd.*

2. Jubere quoque debet adparitorem, ut cadaver quæri & ex aquâ extrahi curet conductis ad id hominibus, quibus merces aut honorarium ſi mortuus non reliquerit bona vel à nemine alebatur, more majorum ex fiſco præſtabitur, vel quoque ab Irenacha, ſi ad hujus juſſum id fecerint. Cui ideò honorarium Groningæ datur quod arbitrio Conſulis, ad quem relationem fecit, relinquitur in SCto ſæpius memorato. *c. 3. n. 18.*

 3. Quan-

Digitized by Google

3. Quanquam cuncti mortales etiamſi id facere juſſi vel rogati non ſint, ſpontè queant cadavera ex aquis extrahere & ſi hoc fecerint honorarium petere. *LL. Baivvarior. tit.* 18. *c.* 6. §. 1. Nam ſumma eſt ratio quæ pro religione facit: *l.* 43. *ff. de religioſ. & ſumpt. fun.*

4. Veteribus autem religionis vocabulo omne id dicebatur per quod cadavera humana ad ſepulturam & quietem transferebantur. Sic apud Phædrum *in fabulâ* 27. de oſſibus humanis à cane theſauri cupiditate effoſiss;

Injecta eſt illi divitiarum cupiditas
Pœnas ut ſanctæ religioni penderet:

Ubi *ſanctæ religioni* ideſt violato ſepulchro. Et apud Ciceronem 2. *de legib.* 22. *Iam tanta religio eſt ſepulchrorum, ut extra ſacra & gentem inferri fas negent eſſe.*

5. Credebant enim animas non quieſcere, niſi corpora eſſent ſepulta atque ideò cenotaphia pro iis excitabant & apud illa vocibus animas eorum qui in mari aut fluminis fluctu perierant quorumve cadavera in ſaltibus inſepulta jacebant & propter hoſtilem metum alioſve caſus inveniri atque inde tolli non poterant, ciere ſolebant. Kirchman. 3. *de funer. Roman.* 27.

6. Hæc cenotaphia pro religioſis locis fuerunt habita. *l.* 6. §. *fi. ff. de rer. diviſ.* quod ad ſepulturam eſſent deſtinata & brevi in ea inferri cadavera ſperarentur. *arg. l. pen. ff. de mil. teſtam.* Ejuſmodi tumulos etiam clade Variana occiſis militibus, quorum reliquiæ Varique in Teutoburgenſi ſaltu inſepultæ, exſtruxiſſe Cæſarem Tacitus. 1. *Annal.* 62. memorat, adjiciens *gratiſſimo munere in defunctos*:

7. Similis quoque pietatis fraternæ monumentum æternum cernitur Clivis juxta fontem in lapide antiquo Veteribus eo tralato, quo nullum clarius rei huic inluſtrandæ exſtat teſtimonium:

M. CÆLIO. T.F.	*Marco Cælio Titi filio*
LEM. BONO. Ɔ.	*Lemovici Bono Centurioni*
LEG. XIIX. ANN.	*Legionis octavæ decimæ, annorum*
LIII.	*Quinquaginta trium*
... CIDIT. BELLO.	*Occidit bello.*
VARIANO. OSSA.	*Variano, oſſa*
. NFERRE. LICEBIT.	*inferre licebit*:

8. Quod autem Divi fratres contrà reſcripſerunt *l.* 7. *ff. d. t.* eosque ſecutus Ulpianus negaverit cenotaphia eſſe loca religioſa: *l.* 6. § 1. *ff. de*

Digitized by Google

relig. & ſumt. fun. id de iis capiendum quæ ad nudam tantum memoriam peregrè mortui aut ſepulti facta erant, cujus generis exempla occurrunt apud hiſtoricos multa. Sueton. *Claudio. c.* 1. Lamprid. *Alexandro. c.* 63. *Cenotaphium in Galliâ, Romæ ſepulchrum ampliſſimum meruit:*

9. Et licet hæc veterum quà Græcorum quà Romanorum religio à noſtrâ religione aliena & ſuperſtioni imputetur, ipſa tamen erga mortuos reverentia firma apud nos manere debet. *arg. §. pen. I. de I. N. G. & C.* Nam *hæc una res eſt cujus exemplum ad omnes pertineat*: uti ait M. Fab. Quintilian. *declam.* 6.

10. Quis ergò vetabit, ne ſi quis voluerit miſericors ad litus expellere cadaver aut ex aquis extrahere id in honorem pietatis faciat, cum fortè per tot fluctus volutatum corpus intumuit, tot illiſum ſcopulis tàm ſpacioſis ſæpè tractum arenis? Propter hanc pietatem & laudabitur à cunctis qui damnatorum cadavera ex aquis extraxit etiamſi ea in fluctus repellere potuiſſet. *arg. l.* 1. *§.* 3. *ff. de peric. & commod. rei vend. l.* 15. *ff de cond. inſtit.* Nam *etiamſi qua jura ſunt quæ obſtent, ſi tamen anguſtus ſaltem detur acceſſus, per quem intrare humanitas poſſit, vera clementia occaſione contenta eſt*: Quintilian. *d. declam.* 6.

11. Niſi magno exemplo propter nefarium crimen aliquis vel culleo inſutus vel ſacco incluſus aut tabulæ alligatus in flumen vel mare projectus eſſet cum titulo ut repelleretur in fluctus, ſi enim tunc ab eo qui ſubjectus eſſet Principi cujus nomine ſententia in reum dicta fuit, extraheretur, extra ordinem puniendus foret, non tantum quia non obſequitur imperio magiſtratus ſed & efficit ne metus ad plures perveniat qui eo ſupplicio deterriti à malis facinoribus abſterrerentur. *l.* 28. *§. famoſos. ff. de pœn.*

12. Qui autem cadaver ex aquis extraxit duo obſervare debet. Primum eſt ut velamento tegat inferiorem corporis partem. Gregor. Nyſſenus *in epiſt. ad Letoïum.* ὡς μὴ ἀναδειχθῆναι τῷ ἡλίῳ τὴν ἀσχημοσύνην τῆς φύσεως: *ne ſoli oſtendatur id quod dedecori eſt humanæ naturæ:*

13. Secundum ut cadaver in ripâ fluminis juxta aquam ſic ponat ut calcanei linquantur in aquis, quod ubique moribus cuſtoditur, nullibi tamen ſcito id expreſſum repperi præterquam memoratâ lege privâ per Margaretham Burgundam Batavis indultâ *art.* 45. nec non in *Privileg. reip. Amſtelod. tit. van die haer ſelven verdoen, Kelingen. p.* 92.

14. Videtur autem id ab antiquiſſimis tractum temporibus. Nam apud Quintilianum loco memorato de cadavere hominis in aquâ ſubmerſi dicitur quod dum agitur cauſa defuncti, *putreſcit interim corpus nec totum in ſicco jacet*: Niſi id quis eo malit referre quod pluviæ expoſitum fuerit. Quod tamen ea quæ ſequuntur non admittunt. Nam pergit; *Cadaver ab incurſu avium ferarumque tantum miſerantium corona cuſtodit*: Cur enim hæc non tralatitiâ pietate quoque uſa fuiſſet & cadaver à pluviâ conſervaſſet?

15. Mihi hæc legenti in incerto judicium, quare iis qui certiora adferent herbam lubens dabo, nec ergò mihi iraſcentur ſpero ſi ego in veterum chartis explicandis operam ponere adgreſſus ſim: non enim hæc ut fixa ſed ut homunculus probabilia conjecturâ ſequens propoſui. Sufficiat nobis quod vetuſtate temporis hic mos comprobatus, hanc autem vicem legis obtinere conſtat. *l.* 1. §. *ult. ff. de aq. & aq. pluv. arc.*

16. Atque hunc tam religioſe Groningenſes nautæ colunt ut ſi ex flumine intra urbem cadaver extrahant idque in ejus ripâ, quod flumen muro contineatur, reponere nequeant, funem illi injiciant atque ex navi aut ſcaphâ cum pedibus id in aquas demittant.

17. Obſervavi quoque quod in diocœſi Eſſendienſi, ſi in fodinis carbonariis quæ ibi frequentes ſunt, homo pereat uti ſœpiùs contingit, cadaver ubi effoſum eſt, in ſuperficie terræ donec inſpectio ejus facta ſic linquatur ut imi pedes crepidinem foveæ occupent. Hoc accidit quoque 8. *Febr.* 1667. in ejusmodi ſcrobe ſuffocato Henrico Wemmers.

18. Cauſam ejus rei invenire difficile, ſi divinando quid præſtare licet, ajam id pro titulo innocentiæ habendum eſſe, quam repertor cadaveris oſtendere vult, cum hac ratione indicet quo genere mortis homo is defunctus ſit. Videri quoque poteſt id inde fluxiſſe, quod flumina & amnes plerumque fines provinciarum conſtituant, atque in medio eas à ſe ſecent; Luchin. de Curte. *fin. reg. n.* 40.

19. Contingere autem poſſe ut in ripam aliam extrahatur cadaver quam eam cui proximior jacebat mortuus, quod aliquandò vidi fieri ideò quod illi qui cadaver repererant ab eâ parte habitarent aut in eam princeps cui erant ſubjecti, imperium haberet. Hoc ſanè caſu ne & viderentur alterius Principis, qui ab alterâ parte jurisdictionem

habeat,

habebat, jus violaſſe: cum imis pedibus mortuum ſemper liquerunt in aquis, ut ſignificarent eum adhuc ita ſpectandum eſſe ac ſi adhuc in imis aquis eo loco jaceret ubi à ſe inventus eſſet.

20. Sed & hæc ejus inſtituti videtur cauſa quod per id cadaver in in eodem ſtatu conſervetur nec pereant indicia quæ ex ventre tumido aquisque pleno & muco naribus diffluente trahuntur, de quibus dicturus *c.* 21. *n. ult.* Plures enim ſœpè ſunt rationes propter quas quid pro jure receptum. § 5. *I. de exhered. lib. pr. I. de mil. teſtam. junct. l.* 1. *pr. ff. & l.* 3. *C. eod. pr. I. de L. Falcid. junct. l.* 71. *ff. eod.* Bachov. *ad d.* §. *n.* 4. *& ad d. pr. n.* 1.

CAPUT X.

Oſtenditur privatis non eſſe permiſſum cadavera à ſe reperta humare idque à multis contrariis ab antiquitate repetitis argumentis vindicatur.

1. FAcilè vel hinc intelligas non licere privatis cadaver è ripâ tollere ſi id à judice vel eo cujus ea de re curæ commiſſum, illud inſpectum non ſit, minus iis permiſſum eſſe id ſepelire ſive in aquis ſive terris id reperiant, quod & ſcribunt Vaſquius 3. *illuſtr.* QQ. 96. *n.* 10. Fr. Marci. *p.* 2. *deciſ. Delphin. q.* 1. *n.* 4. Carpzov. *lib.* 2. *Iuriſpr. Conſiſtor. tit.* 24. *def.* 375. *n. ult.* & expreſſè ſancitum *LL. Trans-Iſal. p.* 2. *tit.* 21. *art.* 2. *Velav. c.* 3. *art.* 10.

2. Privatis autem licere cadavera à ſe reperta ſepelire multis argumentis probari poſſe videtur. Nam inter jura non ſcripta ſed omnibus ſcriptis certiora ponit Seneca pater humum porrigere cadaveri. *lib.* 1. *Controv. cap.* 1. Apud bonos auctores egregia virtutum nomina huic officio tributa. Humanitatem, manſuetudinem, miſericordiam, religionem, miſerationem communis naturæ, ſortis humanæ commercium, memoriam conditionis humanæ, clementiam, juſtitiam, & opus benignum vocabant uti ex veterum monumentis tibi cognoſcere promptum apud Grotium *de Iure p. & b. lib.* 2. *c.* 19. *n.* 1.

3. Petronius in multis rerum juſtus arbiter *tralatitia humanitatis* verbis id explicat & propius tangit noſtrum argumentum, quando ſcribit, *vel ſi voluerit miſericors ad idem litus expellere aut præteriens aliquis tralatitiâ humanitate lapidabit*: atque ita indicare videtur cuivis licere condere ſepulchro eum qui in aquis periit. Horatius idem docet. *lib.* 1. *Ode* 28.

Aſt tu

At tu nauta vagæ ne parce malignus arenæ
Oſſibus & capiti inhumato
Particulam dare:

Et poſteà pergit;

Quanquam feſtinas, non eſt mora longa, licebit:

4. Quintilianus in adductà declamatione id confirmat quod *ignotis quoque corporibus tranſeuntium viatorum collatitia ſepultura, & injecta ab alienis humus*: atque ſic non modò illud permiſſum eſſe ſed de hoc dubitari non oportere oſtendit, quin cadaveri ignoto humum congerere poſſit. Hæc non Romanis propria ſed omnium gentium jura fuerunt, adeò ut apud Athenienſes lege conſtitutum fuerit, ſi quis in inſepultum hominis cadaver incidiſſet, ut terram ei injiceret & ſepeliret ut ad occaſum ſpectaret. Ælian. 5. *Varior.* 14.

5. Tobitus etiam ab angelo Rephaele laudatur, *Tobiti c.* 12. 13. quod gentis ſuæ mortuos homines furtim ſepeliviſſet. *c.* 1. 20. & 21. *c.* 2. 2. & 7. Apud Ebræos Pontifex Max. cum alioquin ulli rei funebri intereſſe vetaretur, repertum tamen hominem inſepultum humare jubebatur. Grot. *d. c.* 19. *n.* 3.

6. Et cum ipſa barbaries totum terrarum orbem inundaſſe videbatur, id tamen legibus præſcriptum invenitur. Nam in LL. Baivvarior. *tit.* 18. *c.* 6. §. 1. exſtat; *Et ſi à quolibet mortuus fuerit repertus & eum humanitatis cauſa humaverit, ut neque à porcis inquinetur*, ei mercedem deberi *quia ſcriptum eſt, Mortuos ſepelite*: Hæc omnia ſuperat id quod inveni apud Senecam 5. *de benefic.* 20. *Patrem alicujus in ſolitudine exanimem inveni, corpus ejus ſepelivi nec illi profui, quid enim illius intererat quo genere dilaberetur? nec filio, quid enim per hoc commodi acceſſit illi? Dicam quid conſecutus ſit: officio ſolemni & neceſſario per me functus eſt. Praſtiti patri ejus, quod ipſe præſtare voluiſſet nec non & debuiſſet. Hoc tamen ita beneficium eſt, ſi non miſericordiæ & humanitati dedi, ut quodlibet cadaver abſconderem: ſed ſi corpus agnovi, ſi filio tunc præſtare me cogitavi. At ſi terram ignoto mortuo injeci, nullum habeo hujus officii debitorem, in publicum humanus?*

7. Hic mos veteribus adeò probabatur ut & pietatem avibus tribuerent, quæ cadavera humana, ſi inſepulta jacebant, devorabant. Caſſiodor. 2. *Varior.* 19. *Fiat ergò paſtus pii vulturis*: Neque enim hæc res intra humanæ ſortis conſortium ſtetiſſe ipſis dicitur ſed & ad animantia muta tranſlata credebatur. Laudatur enim formicarum pietas quod inter ſe mortuos ſepeliant. Plinius 11. *hiſtor. nat.* 30.

Digitized by Google

9. Hæc ſunt quæ videntur deſtruere opinionem initio capitis propoſitam. Si verò curatius ea cuncta examinèmus nil aliud inde infertur quàm *mortuos eſſe ſepeliendos* uti adducta Baivvariorum lex loquitur. Nec enim edocenter aut explanatè ullo in loco exſtat privato licere ſepelire cadaver, ſi facinore alieno & quidem recente periiſſe hominem præſumptio adeſſe queat, id enim vetitum. Carpzov. *lib. 2. Iurispr. Eccleſ. tit. 24. def. 375. n. ult.* Sed omnes memorati auctores loquuntur de corporibus eorum, quos certiſſimum erat ſuo fato eſſe exſtinctos quosque humare negligebant ii ad quos ea cura pertinebat, atque adeò deſerti erant uti benè ad Senecam *d. c. 20.* annotavit Lipſius.

10. Res fiet clarior ſi ſingula loca ordine luſtraverimus. Primum ex Seneca patre curam ſepulturæ commendat. Hanc & ego maximè probo, quod ex omnis generis morticinis cœlum peſtilens evadat ideoque ea humari reip. intereſt. *l. 1. §. ult. ff. de via publ.* Ziegler. Vir Cl. *ad Grot. d. c. 19. §. 2.*

11. Et pro ſecundo fateor benè iis convenire virtutes & officia ex inluſtri Grotio enarrata, qui juſta mortuis faciunt & eorum cadavera non linquunt eſcæ alitum ferarumque. Id enim non ſolum religio gentilium Romanorum linguâ ſic dicta ſed & Chriſtiana prohibet. Hæc namque deſiderat ut res eò recipiatur unde ſumpſerat primordium atque ideo dum ſpiritus cœlum redit, corpus terræ reddatur. *Iobi* 10. 9. Carpzov. *p. 2. deciſ. 162. n. 3.*

12. Sed id volo ut ordine legibus moribusque præſcripto humatio cadaverum fiat, nec cum detrimento publicæ ſalutis præcludatur occaſio inquirendi in facinoroſos, quibus ut provincia careat magiſtratus operam dare atque ideò ut de eorum criminibus conſtet mortuos prius inſpicere debet. *arg. l. 13. ff. de Offic. praeſ. junct. l. 1. §. illud. ff. ad SC. Syllan. l. 2. ff. de juriſd.*

13. Tertium ex Petronio allatum capiendum de cadavere hominis quem caſu periiſſe conſtabat & in eo loco deprehendebatur, ubi magiſtratus copia non erat nec inſpici ſolebat atque ideò malè ad noſtrum argumentum inde infertur. *arg. l. 13. ff. quod met. cauſ. l. 176. ff. de R. I. junct. l. 1. C. Quando lic. unicuique in ſuâ cauſ.* Sic quoque exemplum Simonidis cape memoratum Val. Maximo 1. *rer. memorab. 7. in extern. exempl. 3.*

14. Nemo uti opinor negabit ſic quoque Horatium quem pro quarto memoravi, accipiendum eſſe quanquam nec hic nec Petronius nec alii plures id genus ſepulturæ intelligant per quam cadaver totum obruitur, ſed tantum terræ injectionem quæ ter plenâ manu à tranſeunte fiebat, uti diſcere datur ex Acrone & Cruquio *ad Horat. l. Ode* 28. Planiſſimè id conſpicitur ex loco Quintiliani, quem pro quinto memoravi. Is enim ideò *collatitiam ſepulturam* dixit, quod ex multorum viatorum injectionibus tandem humo tegeretur cadaver.

15. Sextò fuit in contrarium adducta lex Athenienſium. Hanc autem non minus juſtius quàm tutius eſt intelligere de cadavere in quo recentis cædis nulla veſtigia adparent, ſed ubi hominis figuram penè conſumpſit vetuſtas lentaque tabes in terram defluxit atque ſoluta cute oſſa nudata ſunt.

16. Vel id interpretor de cavavere quod magiſtratus inſpexit vel quod ſit hominis quem omnes norint ſine alterius facto defunctum eſſe cuique juſta facere negligant ii, quibus ea res curæ eſſe deberet. Tobitus pro ſeptimo fuit in ſcenam productus, ſed ſi *qui ex hoc libro veritatem petunt aut ſe confirmaturos putant, eos perinde facere atque ſi molem graviſſimam ſtatuminare velint arundine*, ſcribit Tremell. *ad Tobiti c.* 12.15.

17. Deinde ex illo ipſo codice intelligimus quod *requiſita à Rege corpora eorum* quos ille clam ſepeliebat, *non inveniebantur*: uti eſt *in c.* 1. 21. & ideò ad mortem eum quæri juſſerit, *d. c.* 1. 22 atque bona ejus in fiſcum coacta, *d. c.* 1. 23. nec non à vicinis irriſus fuerit quod mortem non metueret. *c.* 2. 8. Ut jure huc pertineat quod noſtri homines omnibus enarratis reponerent, non exemplis ſed legibus judicandum, *l.* 13. *C. de ſent. & interloc. omn. jud.*

18. Nec videndum quid Tobitus ſummo erga ſuos ſtudio Ninive fecerit, ſed quid ex ratione juſtitiæ propter quam cadavera rex Sancherib requiri jubebat *d. c.* 1. 21. fieri debuiſſet. *l.* 12. *ff. de Offic. præſ.* Octavum exemplum à Pontifice Max. Ebræorum deſumptum nullius eſt quoque firmamenti. Ut enim non memorem quod ea omnia quæ ad legem Athenienſium allegavi huc quoque transferri poſſint; nulla ſiniſtra contra eum effluere poterat præſumtio propter majeſtatem muneris quod is gerebat.

19. Baivvariorum jus ne Jovem quidem lapidem juravero idem velle quod memorata lex Athenienſium atque ideò eodem modo decla-

declarari debet. Si enim recens cædes facta ſit, deſideratur ad probandam innocentiam cæterorum humatorum, ut ii qui mortui ſunt neceſſarii prius humum injiciant, ne iſti rei eſſe videantur homicidii. *d. LL. Baj. c. 6. §. 2.*

20. Largior Senecæ pro nono adducto, quod filii officium ſit humare patrem qui exanimis in ſolitudine jacet exſtinctus quodque alter qui hoc fecit beneficium filio præſtitit & inpublicum ſimul humanus ſit. Aſt id non aliter licet quàm caſibus in tertio atque ſexto exemplo explicitis. Summa enim impietas eſt, ſi juris ordo non refragetur, negligere ſepulturam cadaveris humani atque ipſam quaſi humanitatem atque jura non nuper ſed ab omni ævo vigentia ejurare, eritque hæc ſævitia ultra humanarum irarum fidem eo atrocior, ſi cadat in filium aut ſervum de quo eſt ſermo apud Caſſiodorum decimo loco adductum. Id enim apud eum ſequitur; *Tali potius ſepulchro* ſcil. vulturis *recipiatur qui dominum reddidit inſepultum.*

21. Poſtremum eſt à formicis, quarum pietatem ſi non imitentur homines, arbitrio judicis puniri poſſunt. Quid enim ſi ad litus expulſum cadaver humanum repellat quis in fluctus? Lex Baivvariorum *d. tit. 18. c. 2. §. 2. Et ſi ipſum cadaver à fluminis alveo ad ripam projectum fuerit, & à quolibet inventum, qui iterum cadaver de ripâ impinxerit & exinde probatus fuerit, cum XII. ſol. componat:*

22. Similiter ſi quis cadaver *in flumine ejecerit vel in talem locum ejecerit, ut cadaver reddere non quiverit inprimis cum XL ſol. componat;* uti habet *d. tit. 18. c. 2. §. 1.* Ratio ibi adfertur, *eò quod funus ad dignas exequias reddere non valet.* Cum enim ſit honoris ſignum defunctum pulcrè humari eo ſublato calcar ad virtutem auferri quis negaverit? Robert. Scharrock. *de Offic. ſecund. jus nat. tit. de Innocent. n. 13. §. 1. art. 4.*

23. Nec ſingulis id permittendum ut cadaver iterum in fluctus aut mare projiciant, etiamſi id ejus hominis ſit, qui civis fuerit ejus populi apud quem noſtra corpora ſi defuncti ſimus, irato mari committere ſolent, quod Batavis apud Iappanenſes mortuis accidit. Fr. Caron. *deſcript. Jappan. in append. p. 146.*

25. Non enim privatis licere debet quod publicè fieri oportet per magiſtratum, ne occaſio oriatur majoris mali & ſicarii impunè ſua ſcelera exerceant. *arg. l. 176. ff. de R. I.* Quam obrem ſi quis homi-

nem in aquas projeciſſe viſus vel humaſſe dicetur cadaver, quod nuntiatum à ſe non erat judici, cum ejus copia eſſet, onerabitur ſuſpicione cædis à ſe patratæ, uti non obſcure indicat præfata lex Baivvar. *d. c. 6. §. 2.*

26. Et conſtat doli præſumtionem contra eum oriri qui quid clam facit. Menoch. 5. *præſumpt.* 3. *n.* 107. & conſultus reſpondi 15. *Maji.* 1669. Sed & qui non ſepelivit cadaver quod ex aquâ extraxit, aſt idē ripâ ad domum mortui tranſtulit antequam id judici eive cui res ea curæ nuntiaret atque inſpectum fuerit, pro modo culpæ mulctari poteſt vel ære vel carcere per tradita à Mario Giurba *conſil. crim.* 25. *n.* 19. *&* 22. & à me adducta in reſponſo dato 20. *Iunii.* 1668.

27. Ante annum cum quidam in Drentiâ ſubmerſus eſſet in aquâ, obſervavi ex actis ab Illuſtri viro D. Munſtero de Bernſau Drenthiæ Satrapâ ad me de eo caſu miſſis, quod ruſtici cadaver ad ædes mortui tranſtulerant, & ſimul deprehendi cauſam aliam ejusque facti propriam cur id fieri non debuiſſet antequam inſpectio, quæ poſteà in ædibus defuncti facta fuit, ritè in ripâ peracta fuiſſet.

28. Cum enim domi pectere vellent mortui capillos atque pectinem quærerent in ejus ſaccis, ecce in uno reperitur ejus pileus, quod facilè tunc celari poſſet & ſi quid ſit ſimilis argumenti ſic judex ignoraret, qui tamen inde conlegere poteſt an non ſe ipſum præcipitaverit in flumen, uti reſpondi *die* 9. *Iunii.* 1670.

CAPUT XI.

Exponitur cur judex properare debeat ad cadaver inſpiciendum. Injuria committitur & violatur territorium alterius ſi in illo alius cadaver inſpiciat.

1. QUandò judici eive cui ea cura data nuntiatio iſta facta, ilicò ad inſpiciendum cadaver properent non tantum ſi cæde periit, uti præcipit conſtitutio Clivo-Marcana & poſteà rationibus firmabo, ſed & tunc ſi homo in aquis ſuâ morte exſtinctus aut diu cadaver in ſolitudine jacuiſſe dicatur. Primò ne juſtiſſimo dolore moti propinqui nolentes ferre ut inclementiæ aeris & cœli cadaver amplius exponatur, id tollant & domum deducant, vel tumultus majoris occaſio inde oriatur, quem facilè excitarent ſtudioſi & milites ſi ſui ordinis hominem mortuum, cernerent à judice negligi, nam

nam neſcio quo arctiore amicitiæ vinculo cuncti iſti trahantur magis ac cæteri mortales ad miſerationem ſui quondam ſodalis.

2. Pro ſecundo ſi forte judici cum alio lis ſit de juriſdictione vel imperio in eo loco, ubi cadaver jacet, exercendo, tunc per inſpectionem cadaveris à ſe factam probabit quaſi poſſeſſionem meri imperii. Burſat. *conſil.* 235. *n.* 29. Hæc enim præcipua ejus nota eſt, uti ſcripſi *c.* 4. *n.* 4. apertiuſque tradunt Georg. Everhard. 1. *conſil.* 12. *n.* 12. Beſold. *theſ. pract. lit. W. n.* 16. *in addit.*

3. Sed tunc nudâ inſpectione non ſatis facit. Si enim poſt eam alter veniat & cadaver non ſolum inſpiciat ſed & vulnera adcuratè annotari curet, & ipſum cadaver vel membrum ejus aut quid de veſte defuncti ſumpſerit, prior per hunc qui pignus cepit Bavaris frais pfand dictum, præventus dicetur. Ludov. Gilhauſen. *arb. jud. civ. c.* 4. *ram* 1. §. 10. *n.* 22. Beſold. *theſ. pract. d. verb.*

4. Quanquam ſi nullo jure id egerit, alterius territorium atque imperium violaſſe intelligatur, Beſold. 1. *Polit.* 12 *n.* 78. atque injuriarum actio locum habeat, uti docet Carpzov. *p.* 1. *Iuriſpr for. conſt.* 32. *def.* 27. *n.* 3 & reſpondi conſultus 20 *Junii* 1668.

5. Adeò ut quæſitum fuerit in ſupremo tribunali Spirenſi an quoque contra ejuſmodi turbatorem mandatum decerni poſſet ex conſtitutione Imperii contra pignerationes editâ? Quod quidem olim in causâ *Wertheimb.* contra *Wurtzburg* fuiſſe negatum nonnullis tamen adſeſſoribus aliud placuiſſe quantum ad reſtitutionem annotationis vulnerum, teſtis eſt Petr. Friderus Mind. *lib.* 1. *de proceſſ. ex Cam. extrah. c.* 36 *n.* 15.

CAPUT XII.

Cadavere infinibus diverſorum territoriorum invento ad quem ejus inſpectio pertineat indagatur & de eâ re prima regula proponitur obiterque docetur hodiè conatum pro effectu non puniri.

1. QUid autem ſi in finibus plurium territoriorum cadaver jaceat? Hic quidem is qui id reperit ex affectione erga ſuum principem aut judicem huic id nunciabit, ſed an hic vigilaſſe & præveniſſe alios ſufficit? In hac quæſtione juſto longior eſt Limnæus, rectè notatus à perſonato iſto Severino de Monſambano, nam cui bono tum longa oratione aliorum verba hac de re referre? *in lib.* 4. *de Iure publ. c.* 8. *n.* 189. *& mult. ſeq.* 2. Vi-

2. Vigilantibus hoc caſu jus eſſe ſcriptum & preventionem quam vocant, hoc caſu admittunt Treutlerus 1. *diſp.* 19. *th.* 4. *lit. a.* Beſold. *Oper. Polit. diſc.* 6. *de jure territor c.* 3. Niellius *diſp. feud.* 11. *in corol. lit. c.* Sed primus poſtea ei id tribuit in cujus territorio caput jacet. *arg. l.* 44. *ff. de religios & ſumt.* quod rectè refellit poſtremus hac ratione, quod non à præſtantia partis ſed à loco cædis deciſio petenda ſit. *d. corol. lit. a.*

3. Qui tamen quoque ipſe, inconſtantiam ſuam prodit, dum *d. coroll. lit. d.* ad eum id refert in cujus terrâ inferior pars cæſi pedesve ejus ſoli jacent, quod & placuit Wiſſenbachio *diſp.* 1.9 *th.* 16. Unde iſte à Bachovio *ad Treutl. d. th.* 4. *lit. a.* proprio argumento refutatur. Dicit enim popularis meus quod locus cædis ſpectandus. Aſt rariſſimè contingit ut homo globo enſe aliove teloictus abſque ullo motu cadat in terram & pedes deinde jaceant ibi ubi ſtetit cum vulnus accepit etiamſi cor aut cerebrum trajiciatur.

4. Hæc cum examinarent alii, totam hanc rem ad arbitrium Principis aut ſuperiores magiſtratus pertinere, ut ii ex circumſtantis definiant cujus inter plures erit de crimine cognoſcere, ſtatuunt Carpzovius *p.* 3. *prax. crim. q.* 110. *n.* 35. *& ſeq.* Ant. Matthæi *de crimin. tit. de accuſat. c.* 5. *n.* 6.

5. Sed ita ipſi nil definiunt. Quis enim neſcit ſuperioris magiſtratus eſſe cognoſcere de litibus ſibi ſubjectorum, ſi hi arbitros non elegerint? Dabo illis quod ſi hi aut Princeps ſecundum te pronuntiaverint alterius præventio tibi non obſtet quo minus de crimine cognoſcere queas. *arg c. non præſtat. de R. I. in* 6. Aſt hæc tamen tibi in eo nocuit, quod lite eâ apud ſuperiorem inſtitutâ actoris partes ſuſtinere coactus fueris, quod primus ad illum provocaveris ob inſpectionem factam ab altero *arg. l.* 2. *§.* 1. *ff. comm. div.*

6. Si dicas unum in cuſtodiâ habere reum alterum verò cadaver inſpexiſſe, nec id curabit hic etiamſi prior de cæde cognoſcat, qui enim cadaver inſpexit allegabit ſemper quaſi poſſeſſionem neque eam per notionem & pœnam de reo ſumptam ſibi auſſerri affirmabit, cum de criminibus etiam ſupplicia ſumi poſſint in iis locis ubi ea patrata non ſunt, *l.* 1. *C. ubi de crimin.* & hodiè remiſſiones rerum ad locum delicti tantum urbanitatis & comitatis non verò neceſſitatis ſint. Gudelin. *lib.* 4 *de Iure noviſſ. cap.* 2. Rittershuſ. *p.* 9. *ad Novell. n.* 10. *n.* 57. Sande *deciſ. Friſ. lib.* 1. *tit.* 1. *def.* 6.

7. Quo

7. Quocunque ergò te vertas vides te fore actorem ſi ad ſuperiorem ſit recurrendum. Et quid hic ex circumſtantiis arbitrabitur aliud, quando teſtes non adſunt qui cædem fieri viderint, quàm id quod ſitus cadaveris, ſanguis aut veſtigia in terrâ oſtendunt? Ex his ſolis circumſtantiis lis utique judicari debet.

8. Quod cum veriſſimum ſit, quare non Carpzovius & Cl. Matthæus ex illis generaliter definiunt quis inter duos vel plures qui confinia territoria habent cadaver inſpicere debeat, ut ſi caſus contingat ex juris ratione ſciant cui id faciendi poteſtas ſit & ita regulas generales ad hypotheſin transferant? Sic concordia inter homines conſervatur, quâ nil unquam inter homines præclarius aut præſtantius extitit. *Nov.* 30 *c.* 1. Hoc pacto & ſumptibus apud ſuperiorem in lite faciendis parcitur & lites minuuntur, quod utrumque cordi nobis ſeriò eſſe debet, uti ſcripſi *in tract. de jurej. in alt. anim. c. ult. n.* 18.

9. Breviter ergò pro inſtituti ratione regulas quaſdam hac de re hic conſignabo. Prima eſt, ſi teſtes vel viderint cædem fieri vel ilicò atque ea facta acceſſerint & obſervaverint ſicarium occidiſſe hominem in territorio Titii, cadaver autem in finibus plurium territoriorum poſuiſſe, ut dum inter horum judices altercatio eſt ipſe omnium manibus elabatur, & à notario aliove arbitro ilicò electo examinati id adnimaverint, tunc Titius cadaver inſpiciet ſolusque de crimine cognoſcet.

10. Cæteris tamen poteſtas eſt capiendi facinoroſum. *d. l.* 1. *C. ubi de crimin.* Quia & id licet, etiamſi judex cadaver nondum inſpexerit ſed tantum cædes ei nuntiata fuerit. Facilius quippe eſt captum liberare quam liberum capere. Jul. Clarus *d.* §. *fi. q.* 4 *verſ. quandò verò.* Ambroſin. *d. cap.* 1. *n.* 10. 11. 12. *&* 13. Brunneman. *de proceſſ. inquiſ. c.* 7. *n.* 11.

11. Hic autem oritur iterum alia diſputatio quid ſtatui oporteat ſi conſtet ſicarium in alio ſtetiſſe territorio? Sunt qui tunc hujus judici non verò ei in cujus territorio jacet cadaver inſpectionem tribuunt, *arg. l.* 24. §. 2. *ff. de bon. libert. l.* 1. *C. ad L. Corn. de ſicar. l.* 1. §. 3 *ff. eod* & à tempore ad locum argumentum trahunt. *arg. l.* 22. *ff. ſi. cert. pet.* atque ſic olim ſe cenſuiſſe ſcribit Limnæus *d. t.* 8 *n.* 199. Alii verò id ad dominum territorii in quo cadaver repertum eſt, ſpectare judicant, quod in hoc crimen conſummatum ſit; idque ſentiunt

tiunt Bald. *ad l. 5. C. de epiſc. & cler. n. 6.* Zanger. *de exception. p. 2. c. 1. n.* 89. & Petr. Theodoricus *colleg. crim. diſp. 4. th. 3. lit. b.* Sed ad utriusque territorii dominum id ſpectare atque præventioni locum fore arbitrantur Farinac. *oper. crim. q. 7. n. 44. & ſeq.* Leipold. *de concurr. juriſd. q.* 14. Andr. Gerhardi *exerc. Iuſtin. decad. ult. q. 8.*

12. Ego mediam viam ingredi Baldique veſtigia premere non perhorreſco, quod in eo territorio cædes patrata ſit, hæc enim non niſi mortuo eo apparuit. *l. 15. §. 1. ff. ad L. Aquil.* Deinde quod patientis non verò agentis hodiè ſit habenda ratio, quia conatus non non amplius punitur tanquam effectus: Weſenbec. *parat. ff. ad L. Corn. de ſicar. n. 15. & 16.* Groenewegen. *de LL. abrog. ad §. 5. I. de publ. n. 5.*

13. Hanc ſententiam ad effectum inſpiciendi cadaver cum ejus poteſtas ſit penes eum qui in loco ubi invenitur, merum habet imperium; Schwanman. *p. 1. de proceſſ. c. 12. n. 21. & ſeq.* admittere videtur Limnæus *d. c. 8. n.* 200. Nam parum ſibi conſtans à caſu certo tranſit ad incertum, cum tamen anteà tractaſſet hoc argumentum eo modo quo nobis de eo ſermo. Dicit autem quòd ſi plurium fines premat cadaver & clam cædes patrata, ejus inſpectionem pertinere ad eum in cujus territorio jacet corporis pars læſa.

14. Sed id ad caſum incertum pertinet, nos autem adhuc agimus de caſu certo, de quo antequam ad illum digrediamur, novum iterum oritur dubium. Quid enim ſi teſtes ſint qui viderint vulnus illatum eſſe in territorio Titii, ſicarium ſtetiſſe in territorio Mævii & vulneratum paululum à loco deceſſiſſe atque exſtinctum eſſe in Caji territorio, interea verò dum teſtes ad judicem Cajum properaverint cadaver à facinoroſo in finibus poſitum deinde reperiatur?

15. Hoc caſu etiamſi tres memorati judices eodem tempore concurrant ad cadaver, ejus tamen inſpectio ad Cajum pertinebit. *arg. §. 13. I. de R. D.* Nam inſpicitur mortuus, qualis nemo niſi ſecutâ morte & ſeparatione animæ à corpore in Caji territorio factâ dici poteſt & etiamſi jam moriebatur in territorio Titii, tamen tunc adhuc vivebat, quia mortuus non moritur ſed vivus. *l. 18. §. 1. ff. de man. teſtam.* Ant. Faber. *ration. ad l. 50. pr. ff. de petit. hered.*

CAPUT

Digitized by Google

DISPUTATIO III.

Reſp. Theod. Herm. Zur Megede, *Iſerlohnâ-Marcano.*

CAPUT XIII.

Altera regula de re dubiâ & eo caſu quo ex ſitu corporis judicari debeat ad quem cadaveris inſpectio pertineat.

1. TRanſeamus nunc ad aliam regulam. Secunda ergò eſt, ſi teſtes non adſint & cadaver in plurium finibus jaceat. Hoc caſu ei inſpectionem tribuit Limnæus in cujus territorio pars corporis læſa jacet. Rectius tamen poſteà *d. c.* 8. *n.* 205. conſentit Gotfr. Müllero *diſp. feud.* 3. *th.* 11. dividenti an in uno tantum territorio ſanguis adpareat, tunc enim ajunt ambo ad ejus judicem inſpectionem pertinere.

2. Hic autem iterum obſtat id quod anteà allegavi, *c.* 12. *n.* 27. Quare præter ſanguinem deſidero veſtigia pedum in terrâ vel arenâ ex quibus colluctatio duorum hominum arguatur, aut ſi globo è longinquo ictum fuiſſe defunctum ponas, ſicariorum tamen veſtigia apparebunt, quia non tàm facilè de loco in locum humanum cadaver movetur. In cujus ergò territorio iſta veſtigia conſpiciuntur, ille inſpiciendi tollendique cadaver jus habebit, cum non niſi ſtudio & dolo ſicariorum id in finibus, ut eos omnes occuparet, poſitum præſumi poſſit.

3. Tertia regula erit, ſi nec ſanguis aut notæ vel veſtigia adparent. An tunc ex parte corporis læſâ id æſtimabimus? Minimè! quod fieri naturaliter vix unquam ſoleat, ut ſpontè ſic cadat cadaver ſed uti ſæpè dixi dolo ſicariorum id in diverſis finibus ponatur. Accedit quod mortuus potuerit eſſe cum ſtaret in territorio Caji & poſt animæ amiſſionem tamen cadaver prolapſum fuiſſe in territorium Titii cum parte eâ quâ lethale vulnus accepit. Quid ergò ajemus, an is inſpiciet tolletque cadaver in cujus finibus jacet caput? Id communiter magis placuiſſe atque in praxi receptum tradit Limnæus *d. c.* 8. *n.* 182.

4. Sed quod eſt os patroni, qui ſine juris ſcientiâ & ſanâ ratione vetante id probabit? Sequamur ergò Baldum aliosque ſuperiore loco memoratos, qui hic vigilanti jus ſcribunt & præventioni locum ſtatuunt. Nam in pari cauſâ melior eſt conditio poſſidentis,

atque ita quoque ſentit Joh. Franc. Balthaſar. *p.* 3. *tit.* 11. *reſol. pract.* 1. *n.* 54.

5. Nec hic uti Limmæus *d. c.* 8. *n.* 203. putat de alieno nimis ero liberalis, quid enim hujus vel alterius ſit id non adparet, ergò ſi nullius pro certo ſtatuatur occupanti cedet, vel ſi omnium eſſe dixeris cuncti ſimul adſpicient cadaver illudque tolli jubebunt & ſinguli aliquod pignus criminale de veſtibus aut corpore capient.

6. Neque obſtat quod apud Ebræos, ſi inſpectio cadaveris fiebat ex præſcripto *Deuteron.* 21. 1. *& ſeq.* nec ab umbilico aut naſo ſed à maximo vulnere menſi ſint. Cum à ſeparatis vitiolè inferatur & non rectè trahatur argumentum à Rabbinis qui contra legis rationem negant iſti ſanctioni locum eſſe ſi homo è arbore ſuſpenſus, quod legis verba deficiant.

CAPUT XIV.

Judex non excutiet loculos *ejus qui in fluctibus periit, quem aliquandò & tollere & ſepelire fas eſt antequam cadaver inſpectum. Si ignoretur quis ſit, quid obſervandum?* Deportatorum & perduellium *non humantur.* Stuferi *etymologia.*

1. QUandò ergo is qui cadaveris inſpiciendi jus habet ad illud acceſſit, tunc examinare debet ſummatim eos qui præſentes ſunt, an probè ſciant quod caſu in aquâ forte vel ſuo fato ſubitò is homo ſit defunctus? Si hoc contigiſſe intellexerit, non corpus nudari aut loculos excuti jubebit. Nam delatoriam curioſitatem jus improbat. *l.* 6. *ff. de jur. & f. ign.* Neque ferenda eſt ſcrupuloſa iſta inquiſitio, quippe cum leges non prohibeant ſecreta patrimonii ſui clam alios haberi. *arg. §.* 6. *in fi. I. de hered. qual. & diff. ibique DD.*

2. Permittet itaque judex tunc neceſſariis aut propinquis mortui ut cadaver ilicò tollant. Nam & hoc ipſis permiſſum, ſi defunctus in multorum hominum conſpectu periiſſet, licet judex non venerit ad inſpiciendum uti intelligere datur ex ediſſertatis *c.* 10. *per tot.*

3. Nec enim tunc propinqui poſſunt puniri, ſi tollant cadaver antequam id inſpectum, quippe cum tum ratio ceſſet cur id fiat & mors ea fortuita omnibus nota ſit atque ideò probatione non egeat. Vultej. 4. *conſil. Marp.* 25. *n.* 113. Nec hic opus inquiſitione, aut ordine juris, cum enim tunc non ſervare eſt ordinem ſervare. *c. quæ Lotharius* 2. *q.* 1. Gail. 2. *de P. P.* 3. *n.* 22. *& ſeq.*

4. Uſu

Digitized by Google

4. Uſu id ſervatur ubique. Cum paucos ante annos Cl. viri Adr. Beeckerts à Thienen Juris apud Lugdunenſes in Batavis Anteceſſoris filius præſente patre & ſpectante multorum mortalium coronâ in Rheni fluctibus ſubmerſus eſſet, ſtatim conductis à parente hominibus domum tranſlatus fuit non exſpectato qui id inſpiceret. Recordor etiam quod Clivis, unde mihi origo eſt, cum Conſul in aulâ & alius in *cancellariâ* atque civis ad tiliam illam celebrem quæ extra pomæria urbis eſt, ſubitò exſtincti eſſent, cadavera non inſpecta ſed ſellæ impoſita ad ædes mortuorum tranſlata fuiſſe.

5. Maximè id locum habebit, ſi honeſtior ſit is qui mortuus, ne diu vulgi oculis exponatur. Cadaver enim & honore & injuria adfici poteſt. *arg. l.* 1. *§.* 5. *C. de Latin. libert. toll. l.* 1. *§.* 4. *ff. de injur.* Franc. de Petris. 1. *ſeſtiv. lect.* 5. *n.* 4. Molina *de I. & I. tom.* 3. *part. poſt. tract.* 3. *diſp.* 2. *n.* 9.

6. Quod ergò tradidi *c.* 9. *n. ult.* nemini permiſſum eſſe ſepelire cadaver absque conſenſu magiſtratus, id tunc verum ſi non apertiſſimè conſtet quomodo perierit defunctus & quis fortè in id inciderit. Sed in re clarâ non eſt conjecturis locus. *l.* 137. *§.* 2. *in fi. ff. de V. O.*

7 Si nemo adſit qui mortuum neceſſitudine tangat aut pietate ductus eum funerare velit, tunc Lugduni in Batavis cadaveri *duo fugientes nummi* titulo egeſtatis imponuntur, ut miſeratione humanæ ſortis nonnulli è vulgo mori cadaver tollant & ad noſocomium transportent. Si verò ex veſtibus judicari poſſit honoratioris conditionis hominem fuiſſe non ad noſocomium ſed alibi ad curiam aliumve publicum locum ex more civitatis, Lugduni autem ad turrim in quo campanæ templi D. Petri pendent, transfertur ut à populo videatur, quod memini Germani cujusdam ſtudioſi cadaveri contigiſſe, quod nemo noverat ſed hac ratione à caupone agnoſcebatur.

8. Cadaver ubi agnitum eſt id honeſtè ſepeliendum ſi fato infelici hominem exſtinctum eſſe conſtet. *c. ex parte. x. de ſepult.* Paganin. Gaudent. *de Iuſtin. ſec. morib. p.* 1. *c.* 31. Carpzov. *lib.* 2. *Iuriſpr. conſiſtor. tit.* 24. *def.* 381. *n.* 5. Niſi hic ex eo loco relegatus fuiſſet tunc enim ibi humari non poſſet. *l.* 2. *ff. de cadav. punit.* Duaren. *ibid.* M. Ant. Peregrin. *de iure fiſci. lib.* 4. *tit.* 5. *n.* 5. Couvarruv. 2. *var. reſol.* 10. *n.* 11. Chriſtinæ. 5. *deciſ. Belg.* 219. *n.* 21.

9. Multò fortius id de deportatis dicendum, quorum ſemper ea fuit conditio ut etiam mortui in civitatem non referrentur niſi ex indulgentiâ Principis. Tacitus *Annal.* 14. Non enim habebant mortui communionem juris Romani quam vivi non habuerant. Merill. *ad c.* 27. *Evangel. Matthæi, n.* 9.

10. Quod hodiè non obſervatur ſed cadaver ejus qui deportatus vel relegatus fuit, ſi fluctibus expulſum ad noſtra litora ſit, non repellimus ſed miſeratione humanæ naturæ id in arenâ quæ eſt in litore aut ripâ condimus ſepulchro.

11. Perdit tamen officium ſi exemplo multis graſſantibus opus, ut abſterreantur alii ab ejusmodi facinore quod ſciant ſe eſcam fore alitum ferarum piſciumque, uti repræſentavi docere vel ſi auctoritate publicâ projectum fuiſſet cadaver ad vulgi ludibrium uti Cleandri liberis & amicis atque etiam Plautiano eveniſſe narrat Herodian. *hiſtor. lib.* 1. *c.* 13. *& lib.* 3. *c.* 12. *in fi.* Qui etiam *lib.* 5. *c.* 8. tradit cadavera Antonini & Soœmidis plebi per contumeliam trahenda fuiſſe tradita & diu per urbem raptata ac deinde in cloacas abjecta in Tyberem delata.

12. Humanæ quoque ſævitiæ iram excedit improbi vulgi libido exercita in corpus magni iſtius & in omne ævum memorandi herois Caſp. Colignii Galliarum Architalaſſi, illud enim per plateas & vicos Lutetiæ Pariſiorum tractum fuiſſe, hiſtoria iſtius temporis noſtræ memoriæ prodidit.

13. Propter imminutam majeſtatem damnatus & poſteà repertus mortuus prohibetur ſepulturâ. *l. pen. ff. de cad. punit.* Tacit. 5. *Annal.* Exemplum in cadavere Nicolai Hoſpitis Aurelianenſis videre eſt apud Papon. *lib.* 24. *corp. jur. Gall. tit.* 14. *append. arr.* 1. Hinc ſuperiore loco ex Merillio ſcripſi quòd Joſephus Arimathæus audens fidens adiviſſet Pilatum, quia Chriſtus perduellionis reus condemnatus erat.

14. Liceat hic mihi adſpergere id quod ad dulciſſimæ vernaculæ linguæ Grammaticam pertinet. Dixi anteà de numis fugientibus. Vulgò *fluferos* eos vocamus. Vox hæc Germanis ignota & ad Clivios, Marcanos & Veſtofalos ex Belgio cum re ipſâ migravit. Eſt autem Belgis dictus *fluyver* à *fluyven* quod eſt fugere & auffugere. Hi enim numi ſi pro majore ex auro vel ære conflato permutentur, mox fugiunt,

fugiunt, præſertim in Hollandiâ & Belgio unde noſtratibus orta paræmia; *qui vult agere in Hollandiâ is debet ſemper habere marſupium in manu ſuâ*: Paulò aliter Kilianus *in Diction. d. verb.*

Caput XV.

Bona ignotorum mortuorum cui cedant? Jus talionis contra Gallos exercitum.

1. SI non palàm atque omnibus notus ſit mortis caſus tunc judex cadaver nudari curabit, & ſi bona apud illud inveniantur, nemini permittat ea tollere nec quoque ſuam putet eſſe prædam ſed Principis hac de re juſſum exſpectet, uti nominatim cavetur Ducis Wilhelmi Clivens. *Polit. Ordn.* 1554. *rubr. Quemadmodum obſervari debeat cum bonis furto ablatis*, nec non Jure Comit. Zutphan. *tit.* 11. *art.* 14. & 15.

2. Princeps autem de iis ſic ſtatuet ut ex illis funeretur defunctus ſi ignotus ſit & peregrinus. *arg. l.* 45. *ff. de religioſ. & ſumt. fun.* Si poſt funeris impenſas quid ſuperſit & nulli cognati hereditatem petant, ea bona tanquam vacantia fiſcus occupat. *l. pen. C. de bon. vacant.* Sixtin. *de regal. lib.* 2. *c.* 12. *n.* 23. *& ſeq.*

3. Sed & licet vacantia non ſint bona ſed heredes habeat defunctus, tamen Princeps ea capiet in Germaniâ ſi Gallus ſit is qui extinctus eſt. Cum *jure albinagii* in Galliis bona peregrinorum, ſi eorum nomina non inſcripta albo nationis Germanicæ quæ Aureliis ad Ligerim habet collegium & privilegia ab hoc Rege Ludovico XIV confirmata, ad fiſcum pertineant. Jean Bacquet *du droit d' Aubeine ch.* 1. *n.* 5. *& per tot.*

4. Hinc jure eodem quod retorſionis dicit Hahn. *ad Weſenb. ff. quod quisque jur. in alt. n. ult.* & talionis Joanni à Sande *deciſ. Friſ. lib.* 1. *tit.* 17. *def.* 3. atque repreſalliorum vocat & in re ſimili admittit ipſe Bacquet. *d. tr. ch.* 41. *n.* 4. contra Gallos uti licet. *d. tit. quod quisque jur. in alt.* uti in termin. terminant. ſicuti ajunt, tradit Groenewegen *de LL. abrog. ad auth. omnes. C. Commun. de ſucceſſ. n.* 6. Richter. *ibid n.* 43.

5. Uſu id quoque ſervari contra alios omnes qui noſtratium neminem admittunt ad hereditatem ſcribit Brunneman. *ad d. auth.* Habeo exemplum ejus rei quoque recens. Ante luſtrum Gallus ſpectatæ dignitatis homo venerat Clivos atque eò arcam veſtibus numis-

que plenam adduxerat. Is inde digreſſus ſolus Veſaliam petiit & cum penetrare in terras Epiſcopi Monaſterienſis deſideraret comitem quæſivit equitem præſidiarum. Hic cum famulo ſtipatus, in itinere propè Schermbecam in finibus Cliviæ municipium, globo Gallum trajeciſſet & equo aliisque ablatis evaſiſſet, cadaver poſteà repertum & inſpectum atque poſteà honeſtè humatum fuit, ſed bona quæ Clivis relicta erant ſiſco addicta fuerunt.

6. In Belgio non eo jure contra Gallos uti datur, quia ad ſucceſſionem in Galliis admittuntur. Zypæus *Notit. jur. tit. Unde liberi. vers. peregrini.* De fœderatis Belgis id pro certiſſimo habeo ex pactis publicis fœderis ante bina luſtra cum Galliarum monarchâ icti.

CAPUT XVI.

Olim cadaver humabatur ubi reperiebatur non hodiè. Vitiatur tamen hoc ſi peſte mortuus. Cœmiteria adhuc hodiè loci religioſi. Etymon religionis.

1. Dixi anteà honeſtam ſepulturam cadaveri humano ſic reperto eſſe decernendam etiamſi hominis ſit ignoti & peregrini; atque huc faciunt verba officiorum ex Grotio memorata *in c.* 10. *n.* 2. Antiquiſſimis temporibus cadaver humabatur ubi erat inventum. Ebræi id ad decem decreta Joſuæ referunt, quod verbis à Seldeno Viro Cl. *lib.6. de I. N. & G. ad diſcipl. Ebræor. c.* 2. *in fi.* hic referam; *Qui fortè mortuus repertus fuerit, locum ſuum ſibi adquiret & ſepeliendus erit loco in ipſo quo fuerit repertus, modò is non fuerit angiportus nec intra limites urbis. Tunc enim in locum mortuorum ſepulturæ deſtinatum avehendus erit.*

2. Aliis quoque gentibus nationibusque id uſurpatum fuiſſe conlegere datur ex iſto more quo tranſeuntes injiciebant humum cadaveri uti cognoſcis ex ediſſertatis *c.* 10. *per tot.* Sed hodiè novâ humanitatis ratione aliud ſervatur inter cunctos Chriſtianos. Etiamſi enim illi qui reformatum cultum profitentur nullam ſanctitatem vel ipſis templis multò minus ſepulchris, quæ in iis aut cœmiteriis ſunt, tribuant: Groeneweg. *de LL. abrog. ad* §. 8. *de R. D. n.* 2.

3. Religionem quis ideò negaverit iſtis locis? Non quidem quod extra commercium ſint, nam ſepulchra emuntur, locantur & permutantur quotidiè. Grot. 2. *Introd.* 1. *n.* 24. Leuwen. *cenſ. for. lib.* 2. *c.* 1. *n.* 14. Carpzov. *lib.* 2. *Iurispr. Conſiſtor. tit.* 24. *def.* 391. *n.* 10. & 15.

4. Sed quod moribus hominum hoc invaluerit ut turbari iſta loca nolint nec facilè ad alium uſum transferant & quod potiſſimum eſt nemo putet honeſtè quem ſepultum niſi in templo aut cœmiterio humatus ſit atque ita religio quædam erga ſepulchra adhuc hodiè, & rectè nunc quoque ideò religioſi loci dicuntur. Nam religio etiamſi aliter Ciceroni viſum, à *ligando* & *religando* atque inde quod quis ſe liget iterumque liget ad rei alicujus venerationem uti Lactantium ſecutus tradit Polid. Vergil. *lib.* 1. *de invent. rer. c* 5. dicta, quodque per eam metus homini injiciatur, unde religio per metum explicatur, Non Marcell. *lib.* 4. *de propr. ſerm. Lat.* §. 307. *&* 387.

5. Si ergò ipſe quisquis es nolis alibi quam in iſtis locis religioſis ſepeliri, improbus es ſi humum religioſam neges ignoto cadaveri, nam *quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris*, uti Alexander Severus à Chriſtianis didicerat, & quoties aliquem emendaret per præconem dici jubebat. Æl. Lamprid. *Alex. Sev. c.* 51. *in fi.*

6. Religio tamen hæc officium ſuum perdit, ſi cadaver ad ripam aut litus adpulſum eſſet hominis peſte exſtincti, nam tunc in arenâ juxtà aquas humabitur uti memini paucos ante annos contigiſſe Hombergæ, qui pagus eſt ditionis Moërſanæ. Nam aliud utilitas privatorum aliud vigor publicæ diſciplinæ poſtulat, *l.* 9. *§.* 5. *ff. de publican.* nam propter ſalutem populi queunt cuncti peſte etiam in urbe exſtincti, in loco extraordinario & diverſo humari. Carpzov. *lib.* 2. *Iurispr. Conſiſt. tit.* 24. *def.* 394. *n.* 12. *& ſeq.*

7. Nec tunc ad inſpectionem cadaveris, ſi ex adparitore vel nautâ aliquo id intellexerit & iſte pro certo ad eum retulerit, properabit judex, cum per eam peſtem contrahere quis poſſet. Paul. Zacchias *QQ. Medico-legal. lib.* 3. *tit.* 3. *q.* 2. *n.* 19.

8. Fortaſſis erit qui dicet ſemper ſepeliendum eſſe cadaver vel in arenâ vel loco in quo reperitur, quia valdè carè hodiè emuntur ſepulchra & in magno ſunt precio uti Carpzovius & Leeuwen locis adductis ſcribunt. Verum iſti auctores agunt de ſepulchris quæ in templis & honoratiore loco exſtant, qualia non flagito pro cadaveribus ignotis; ſed ſolent pauperum vel viliorum eſſe cœmiteria, in iis ſepeliantur vel in eâ regione cœmiterii quæ Civis & alibi egenis deſtinata.

CAPUT

Digitized by Google

Caput XVII.

Cruces & tituli poſiti iis locis ubi cæſi hominis cadaver repertum utilitate non carent.

1. Illud autem plerumque fit ut ſi planiſſimè conſtet hominem ab alio cæſum eſſe, tunc loco iſto in quo repertum cadaver ſignum aliquod ponatur quod titulum appellare licet per ea quæ nobis dicta *in tract. de titul. lib. 1. c. 1. per tot.* & firmat Salmaſius *de modo uſurar. c.* 15. Mos hic videtur à Baivvariis deſcendere. Nam in eorum *LL. d. tit.* 18. *c.* 6. *§.* 2. legitur; *cum cadaver humo immiſſum fuerit & lignum ſuper poſitum.*

2. Ex ligno non adfabrè ſed rudi Minervâ factæ cruces in hanc usque tempeſtatem viſuntur poſitæ in Germaniâ & locis quoque aliis, ubi occidione homo cæſus deprehenſus. In agro Bentheimico curatius factas obſervavi ex lapide qui ibi in montibus effoditur & toto Belgio celebratur. Si ligni lapidisve copia non ſit eo loci ubi cadaver repertum ceſpites effodiuntur, ut terra crucis figuram exhibeat & ſi poſteà gramine iterum tecta renovatur: quod in Friſiâ Orientali juxta viam, quâ Embdâ itur Nordam, propè pagum cui nomen Wirdumæ eſt, ante triennium vidi.

3. An cruces ideò placuerunt, quod Chriſtiani cadaver ibi inventum, atque hoc titulo tranſeuntes monerentur ex ritu religionis Pontificiæ preces ad Deum fundere pro animâ ejus, quem mors haut prævisa prævenisſet & non pacatus è vitâ migraſſet?

4. Id ſpeciem habet magnam. Quamquàm olim etiam crucis figura lapidibus iſtis, qui fines agrorum ad privatos pertinentium diſtinguunt, expreſſa fuerit, uti cernere datur ex Rutg. Rulandt *de Commiſſar. p.* 2. *lib.* 6. *c.* 2. *n.* 21. & Paulo Matth. Wehner. *obſ. pract. verb grentz*

5. Hodiè in locis imperio eorum, qui Pontificis religionem ejurarunt, ſubditis, hi tituli formâ crucis amplius exprimi non ſolent, quod non in hoc ſigno ſed verâ in Chriſtum fide firmiter ſe victuros ſperent.

6. Videtur & id omitti, quia Pontificii omnibus ſepulchris crucem aut imponunt aut inſculpi curant, atque ita hoc quoque inſtituto noſtri homines oſtendant ſe à cœtu Romano ſeceſſionem feciſſe. Propter quam ſolam rationem multa noſtris non recepta, qui hac in re

Serva-

Digitized by Google

Servatoris mundi veſtigia premunt. Cum enim videret Judæos pronos eſſe in divortia & lites eosque petulanter jurare, horum uſum ut tolleret, abuſum damnare videtur. *Matthæi.* 5. *v.* 34. & 40. *Lucæ.* 6. *v.* 30.

7. Non abſimili inſtituto eorum, qui cum deſiderent ut ſurculus qui premit terram rectà ſtet, non tantum eum tollunt ad mo um perpendicularis lineæ Mathematicis dictæ, ſed in latus contra um incurvant, ut ad lineæ iſtius rationem reſurgat.

8. Nemo tamen ſive privatus ſit ſive magiſtratus alicujus municipii Pontificiæ religioni addictus prohibetur à Principe qui illam religionem non profitetur ipſe, apud Germanos titulum ejusmodi crucis figurâ exprimere.

9. Ante tria luſtra nefaria cædes patrata fuit in hortis, qui ſunt ante oppidum Gugernorum, *Gocham* id nunc dicimus. Ruſtici filius ex eâ regione Cliviæ, cui *Duffels* nomen, ſtupraverat mulierem eique ſpem nuptiarum fecerat certiſſimam. Huic cum origo eſſet ex Juliâ, adire illam ſponſæque lares & propinquos viſere ſponſus cum ſponſâ partui proximâ feſtinabat. Cum ad locum memoratum veniſſent, illa itinere quod pedes fecerat, feſſa deſedit in terrâ ut compendii cauſâ ſe cibo ſub dio reficeret. Sponſus periſcelidem è tergo injicit ſponſæ collo, iſta jocum prius rata ſed ilicò animam amiſit, de quo ut certior eſſet parricida ventrem pedibus calcavit, qui domum deinde ocyus repetit ſed deprehenſus poſteà rotæ ſupplicio Clivis adfectus fuit. In hujus rei memoriam eodem loco, quo facinus admiſſum & cadaver repertum, ex lapide crux poſita fuit cui nomina perſonarum cum criminis commemoratione inſcripta.

10. Apud Lutheranos non ita à cultu externo Pontificiorum alienos cruces quoque adhuc hodiè poni videas. Non longè ab Ottersbergâ in agro Bremenſi novè ejusmodi titulus fuit poſitus.

11. Cæterum quâ formâ titulus ejusmodi exprimatur is rectè *monumentum* etiam dici poteſt. Id enim *eſt quicquid ob memoriam alicujus factum eſt*: uti Feſtus ait *d. verb.* & Florentinus *in l.* 42. *ff. de religioſ. & ſumpt. fun.* inquit; *Monumentum generaliter res eſt memoriæ cauſâ in poſterum prodita*:

12. Monumentum ejusmodi non reip. tantum utile ſed & neceſſarium eſſe judico. Sic ad memoriam poſteritatis transmittitur ſcelus ut & ea id deteſtetur & memoriam facinoroſi damnet. Plures ſic ab-

ſterrebuntur à cædibus clàm patrandis, quod ſeri nepotes de iis loquentur & perpetua eorum familiam ſecutura ſit infamiam. Viatores quoque monebuntur vigilare intuitu ejuſmodi monumenti in ſylvis ſaltibusve poſiti, ne ſibi id accidat propter quod id ibi exſtat. Nam & monumentum eò quòd moneat mentem idest admoneat nuncupatur: Auguſtin. *de Cura pro mort. c.* 4.

Caput XVIII.

Titulus non ponitur occiſis in bello, quos inhumatos linquere nefas æquè ac negare ne in patriâ ſepeliantur niſi ex magnâ cauſâ id indulgeri nequeat. Victoria *prima ſecundæ effectrix.* In transfugarum & dolo urbes capere *inſtituentium cadavera ſtatuta pœna, uti variis exemplis novis oſtenditur.*

1. Monumento ejusmodi nec utimur nec opus eſt ſi in prælio miles cæſus. Nam & hic tunc à ruſticis humatur etiamſi cadaver à judice inſpectum non ſit, ſi modò de acie apertiſſimè conſtet, aliàs ne latrones impunè ſua ſcelera exerceant magiſtratui res priùs nuntiari debet. *arg. l.* 38. *ff. de R. V.*

2. Qui ſi inſpexerit cadaver id ſepeliri jubebit, etiamſi hoſtis fuerit. Carpzov. *lib.* 2. *Iuriſpr. Conſiſt. tit.* 24. *def.* 381. *n.* 2. *& ſeq.* Nam ei non facere juſta fœdum quoque inter barbaros. Florus *hiſtor. lib.* 4. *c.* 2.

3. Quod ſi tamen cadavera repoſcantur, ea neganda non ſunt, cum omnes deſiderent

AMICA. TELLUS. UT. DET. HOSPITIUM. OSSIBUS.
QUOD. OMNES. ROGANT. SED. FELICES. IMPETRANT.
NAM. QUID. EGREGIUM. QUID. CUPIENDUM. EST. MAGIS.
QUAM. UBI. LUCEM. LIBERTATIS. ACCEPERIS.
LAPSUM. . . . . SPIRITUM. IBI. DEPONERE.
QUOD. INNOCENTIÆ. SIGNUM. EST. MAXIMUM.

Uti habet inſcriptio, quæ in Epigr. antiq. urbis in regione Arenulæ exſtat.

4. Quam ob rem factis induciis corpora cæſorum per præcones olim

olim, ad ſepulturam poſtulata fuerunt, uti ex Græcorum juxta Romanorum monumentis oſtendit Kirchman. vir elegantiſſimus, cui facerem injuriam, ſi eum ſciens ſilerem, nam benè id tradidit *de funer. Rom. in. append. c. 4.* Præconum loco hac tempeſtate utimur tympaniſtis & buccinatoribus.

5. Eorum tamen cadavera qui ad patriam delendam venerunt, vel deſertores aut transfugæ fuerunt rectè negari poſſunt. Nam & in eos vivos ſupplicium ſtatutum fuiſſet; *l. 3. §. fi. ff. ad L. Corn. de ſicar. Ius milit. Belg. fœd. art. 16. Cæſar. art. 11. Suecic. tit. 13. art. 63.* Pappus *ad d. art. 16.* Ayala. *de jure & off. belli lib. 3. c. 12. n. 1.* Malcomes. *ad Ludwell. ad Weſemb. in l. 5. §. 5. ff. de re milit.* & lugendi non ſunt ſed Exquiliis humari ſolent aut cadavera in partes dividuntur. *arg. l. 35. ff. de relig. & ſumt. fun. l. 1. ff. de cadav. punitor.*

6. Poſtremum hoc ſupplicii genus ſtatutum fuit avorum noſtrorum memoriâ & in vivum & in cadaver. Nam Martini Schenkii à Nideck *ob transfugii memoriam* diſſectum in quatuor partes fuiſſe & caput perticâ ſublatum, tradit Grotius *hiſtor. lib. 1.* Poſteà autem capto per Belgas fœderatos Neomago reliquiæ portis, quibus hærebant, demptæ & ſplendidiſſimâ ſepulturâ ſepulchro Gelriæ Principum illatæ fuerunt. Propter proditionem patriæque urbis incendio delendæ ſtudium Vliſſingæ diatretarius quidem eodem mortis genere affectus fuit. Meteran. *hiſtor. Belg. lib. 23. in anno 1601.*

7. Non novum id jus eſt ſed vetus & à Græcis petitum. Nam apud Athenienſes proditionis reum ſepelire nefas fuit & cadavera eorum extra fines ſuos deportari jubebant. Plutarch. *de ſerâ num. vind.* Ayala. *d. lib. 3. c. 13. n. 1.* Quapropter nil Judæorum ſuperſtitione inquinato Grotio aliud ſtatuenti *d. lib. 2. c. 19. n. 4.* concedendum eſſet monet gravibus nimis in tantum virum verbis Ziegler. *in not. ad Grot. d. n. 4.*

8. Adeò ut rectè idem moribus ſervetur cum cadaveribus eorum qui nondum publicè decreto bello ad urbem arcemve capiendam acceſſerunt. Licet enim hodiè per feciales, quos quaſi vernaculâ linguâ *Heroldos* poſterior ætas vocavit, publicè bellum, quanquam color nullus ex iis adſit quos enarrat Rich. Zouchæus *Ius ſoc p. 2. ſect. 10. q. 1.* indici non ſoleat, ſed decreti loco delectus eſt militum quem Princeps aut Rex vicinus inſtituit, tamen pœnam ſtatuimus in eos, qui operam locarunt iis, qui publicè haut nobis decreverunt bellum. *arg. l. 118. ff. de V. S.*

9. Hanc

9. Hanc ob rem Genevæ *anno* 1602. milites Sabaudi non tantum è infami trabe ſuſpenſi longæ facti literæ ſed & horum & eorum qui in acie perierant capita furcæ fixa fuerant, negante magiſtratu ad vehementiſſimum deſiderium alicujus fœminæ uterum gerentis & ſeptem præterea liberorum matris, cujus maritus quoque ad mortem raptus fuerat, hujus caput reddere, ut exemplo aliis eſſet, quanquam conjux ex mœrore vel potius nimiâ contumaciâ ſibi partuique abſtinendo à cibo vim faciens, ilicò poſteà exſtincta fuerit fame. Meteran. *hiſtor. lib.* 24.

10. Et licet nil intereſſe dicatur virtute an dolo utatur hoſtis. *l.* 1. §. 3. *ff. de dolo malo.* Grotius 3. *de j. p. & b.* 1. *n.* 6. Zouchæus *d. ſect.* 10. *q.* 3. tamen ſi non juſto prælio & aperto Marte ſed dolo urbem locumve munitum alium occupare inſtituat in cadavera ſævitur vel pecudum inſtar humantur, adeò ut Sluſâ in Flandris auctore Terrailio famoſo iſto nitrati pulveris artifice fruſtrà per Hiſpanos *anno* 1606. tentatâ, quinquaginta ſex cadavera uno puteo qui in portâ eſt, abſcondita fuerint. Meteran. *hiſtor. Belg. p.* 2. *lib.* 27.

11. Idem factum factum fuiſſe in irritum quoque ejuſdem Terraillii machinatione Bergæ ad Zomam deductâ *in anno* 1605. memorat idem Meteranus *hiſtor. Belg. d. lib.* 27. quod verò id cum contumeliâ conjunctum ſit diſcas ex Herodiano. *lib.*4. *hiſtor. c.* 6. *pr.* Meteranus addit plures quoque à civibus juſtiſſimam iram temperare neſcientibus cæſos fuiſſe. Quod non humanum adeò eſt quàm extra culpam, ſi machinatores venerint ut nulli parcerent uti de iis qui Sluſam aggreſſi Jeſuitam confeſſum fuiſſe ſcribit idem Meteran. *d. lib.* 27.

12. Hæc cum ita ſint, multò magis morte mulctari & cadavera eorum negari queunt, qui explorandi & ſpeculandi cauſâ veniunt etiamſi à vero hoſte miſſi ut in iſto loco morentur & de cœpto cum aliis ære promiſſionibusque redemptis conſultent idque perficiant. In contrarium quidem Balth. Ayala *d. lib.* 3. *c.* 13. *n.* 5. adfert hæc; quod nulla perfidiâ notentur & Romæ Carthaginienſis olim manus tantum præciſæ fuerint.

13. Sed hæc levia & perinfirma & experientiâ refelluntur. Nam cum Terrailio Genevæ aliquis cui nomen *La Baſtidius* capite punitus, quod explorandi animo ejus reip. fines ingreſſus & rationem occupandi urbem compoſuerat. Neomagi quoque *anno* 1599. explorator

deſcdit

deſedit Lumsdenus gente Scotus, qui detecto conſilio Hagæ Conntum gladio punitus fuit. Meteran. *d. p.* 2. *lib.* 21.

14. Quanquam autem dixi cadavera in acie interemptorum repoſcenda eſſe ab hoſte, id minimè ad eas gentes pertineret, quibus id pro certo titulo victoriæ traditæ haberetur; quemadmodum Græcorum is mos fuit, docente id ubertim Kirchmanno *in append. d. c.* 4. Nam *proxima quæque victoria inſtrumentum ſequentis* eſt, uti ait Trogi epitomator *lib.* 1. *hiſtor. c.* 1. & vel ſolo hoc verbo miles ſæpè magis quàm viribus vincitur, ideò cadavera cæſorum potius hoſti linquantur, nam ſalus populi ſuprema lex ſemper eſſe debet. *l.* 9. *ſ.* 5. *ff. de publican.*

15. Sed nec ſuorum militum qui in acie ceciderant, cadavera Lacones ſepeliebant, ſi in tergo vulnus acceperant, debebant enim in pectore ſauciari non fugere atque hoſtibus terga dare, uti ex Euſtathio diſcas *ad Homeri Iliad.* I. Meurs. 2. *miſcell. Lacon. c.* 1.

16. Hæc lex quidem ità ſcripta ſed tamen perquam dura fuit, niſi dicamus aciem ita Spartanos inſtruxiſſe, ut quà parte aggrederetur hoſtis ex ratione figuræ quadratæ pectore miles ei objiceretur. Laudatus etiam à Romanis fuit L. Sicinius, qui licet centies & vicies in aciem deſcendiſſet, ſex & triginta ſpolia ex hoſtibus retuliſſet, octo ex provocatione occidiſſet, quinque & quadraginta vulnera accepiſſet, in pectore tamen nullum. Lipſius 4. *de magnit. Rom.* 4.

17. Non autem ad hanc tempeſtatem transferri iſta queunt, cum inter acuta belli id nunc quoque numeretur ſimulatâ fugâ fallere hoſtem & nulla certior victoria quam ſi à tergo non exſpectatæ hoſtiles copiæ ex tertiâ acie veniant. Sed & gentes eſſe feruntur, quibus in more poſitum plus hoſti ſuo nocere telis fugiendo poſt terga è ſagittis emiſſis quàm manum è fronte conſerendo, uti de Tartaris Europæis vulgò jactatur, & de priſcis barbaris ſcriptum reliquit Herodian. 3. *hiſtor.* 4. *in fi.*

CAPUT XIX.

Autocheiria *omni jure vetita. Pomponius explicatus & Ulpianus. Novis exemplis oſtenditur quemadmodum animadvertatur in cadavera eorum qui ſibi mortem conſciverunt.*

1. QUæ de ſepulturâ cadaverum dicta ſunt, ea quoque locum non inveniunt, ſi facinoroſus crimen capitale confeſſus vel de eo

convictus conſcientiâ patrati ſceleris ſe ipſum occidiſſet. *arg. Nemeſ. Karul. art.* 135. Quod Carol. Annibal Fabrotus *exerc.* 5. *pr.* exemplo & re judicata illuſtrat & à JC. Batavo reſponſum *p.* 2. *conſult.* 104. hisque convenienter in carnificinâ Delphenſi in Batavis ante luſtrum vidi furcæ habenti bidentis ſpeciem hærere fœminam, quæ ut pudorem ſupplicii propter falſæ monetæ crimen meriti effugeret, mortem ſibi attulerat.

2. Ante bina luſtra Groningæ cadaver ejus qui in cuſtodiâ militari vitam ſibi ademerat, aſſeri impoſitum ut facies terram quateret, quandò ad locum ſuppliciorum publicum raptatus fuit, quod & indignus eſſet ut mortuus cœlum reſpiceret idque ſuggerente eximio JCto D: Berckhuis tunc fiſci Advocato & poſteà Senatore ampliſſimo factum accepi. Fuit & hujus hominis qui in cuſtodiâ ſibi mortem conſciverat cadaver inverſo modo infelici arbori, quæ dimidiatum patibulum dicitur, pede uno fixum, quod & Grollæ Tubantum paucos ante annos ſervatum cum corpore militis qui nefandi parricidii conſcientiâ etiam antequam captus eſſet & crimen horrendum innotuiſſet, ſibi quoque mortem attulerat.

3. Sed & ſi ſpontè moriatur is qui ad mortem damnatus, in cadaver tamen pœna ſtatuitur ſi facinus atrociſſimum admiſit veluti perduellionis, impuritatis aut ſacrilegii, Hahn. *ad Weſenbec. ff. de cadav. punitor.* idque re judicatâ firmat Papon. *d. lib.* 24. *tit.* 14. *arreſt.* 1. aut ſi mitius agere inſtituat magiſtratus in loco pœnis deſtinato per carnificem humantur. Carpzov. *lib.* 2. *Iuriſpr. Conſiſt. tit.* 24. *def.* 379. *n.* 5. *& ſeq.*

4. Quid autem ſi quis non conſcientià alicujus ſceleleris fati diem occupaverit? Is Deum, naturam & remp. lædit. Menoch. *lib.* 5. *præſumpt.* 13. *n.* 2. Nam αὐτοχειρία omni jure prohibita. *Genes.* 9. 5. *Sapient.* 16. 13. *&* 14. *Exodi.* 20. 13. *l fi.* §. 6. *ff. de bon. eor. l.* 23. §. 3. *ff. de Ædil. ed.* Bachov. *ad Treutl.* 2. *diſp.* 32. *th.* 5. *d. & ad Weſenbec. ff. ad L. Corn. de ſic. n.* 7. Ludwell. & Hahn. *ad d. n.* 7. Leſſius *lib.* 2. *de J. & J. c.* 9. *dub.* 6. Grotius 2. *de jure p. & b.* 19. *n.* 3. Urſinus *explic. catecheſ. Heidelb. q.* 105. Ant. Matthæi. *de crimin. lib. ff.* 48. *tit.* 4. *c.* 1. *n.* 9. Carpzov. *p.* 1. *prax. crim.* 42. *n.* 26. Ungepaur. *exerc. I.* 1. *q.* 13. Ameſ. *de conſcient. lib.* 5. *c.* 31. §. 11. De Moure *Theol. mor.* 2. *c.* 9. Mæſtert. 2. *de juſt. LL. Rom.* 61; Fabrot. *d. exerc.* 5. Tarquin. Gallutius *ad Ariſtot.* 5. *ethic.* 11. *q.* 1.

5. Unus

5. Unus locus Ulpiani *in l. 9. §. 7. ff. de petul.* multos ſollicitavit, ut notam impingerent juri Romano, quaſi id occidionem ſui ipſius permitteret, inter quos Eraſm. Ungepaur. *d. q.* 13. Fateor colore non carere eam opinionem, per quam dicitur Ulpianum ex ſententiâ Stoicorum locutum eſſe; cum eorum arduam & difficilem ſectam priſci JCti æmulati ſint uti docui ipſe *in tract. de jure in re & ad rem. c.* 1. *n.* 2. Sed ita ſocordiæ arguitur Tribonianus, quod impia dogmata nobis reliquerit.

6. Parcamus ergò manibus ejus cui nemo parcit & dicamus vocem *naturaliter* apud Ulpianum non ſignificare *rationem naturalem.* Verum uti teſte eodem *in l.* 16. §. 4. *ff. de minor.* Pomponius dixit *naturaliter* pro *naturâ negotii*: & idem *in l.* 2. §. 5. *ff. de O. I.* eodem verbo uſus pro *naturâ ſortis humanæ*: ita & *in d. l.* 9. §. 4. voce naturaliter *naturam conditionis humanæ* intelligi, quæ talis, ut ſervus inſcio & nolente domino vitam peroſus projicere animam poſſit etiamſi jus illud vetet.

7. Atque ideò ex vetuſtiſſimâ conſuetudine inſepulti abjiciuntur qui ſibi ipſis mortem adtulerunt, Servius *ad Æneid. lib.* 12. Joſeph. 3. *belli Judaor.* 25. Egeſippus 3. *Excid.* 17. Dio Chryſoſt. *orat.* 64. Quintilian. *declam.* 337. eâque Gallos uti, teſtis in eam rem eſt Fabrot. *d. exerc.* 5. Cum olim Aureliis ad Ligerim agerem cytharœdus mortem ſibi conſciverat. Vulgò jactabatur quod cum profeſſus eſſet ore cultum Pontificis, tamen paulò ante fatum aut hæreticus aut atheus viſus fuiſſet, cadaver ejus extra urbem ad foſſam projectum vidi.

8. Quanquam ratio Fabroti generalis ſit, *ut cæteri conſpectu deterreantur ab eodem facinore*: Apud Germanos & Belgas obruuntur, *ne viventium odoratui moleſtiam* cadaver *ingerat*, uti Nicolaus I. *ad conſult. Bulgar. c.* 98. reſcripſit. Nec hodie comburitur id, licet lege id cautum exſtet. *Ius Omland. lib.* 7. *art.* 39.

9. Canina tamen ſepultura in pœnam mortis infamiſſimæ ei decernitur. Carpzov. *d. q.* 42. *n.* 31. Ant. Matthæi. *d. lib.* 48. *tit.* 18. *c.* 3. *n.* 1. *in fi.* Qui poſtremus quidem loquitur de eo, qui ex conſcientiâ criminis id fecit ſed in aliis quoque, niſi furore aut intolerabili dolore ad id properaverint, *Ius Omland. d. art.* 39. *in fi.* idem obſervari docet praxis ubique recepta, Petr. Heig. 2. QQ. 36. *n.* 64. JC. Batav. *d. conſult.* 104. *in fi.* & reſpondi conſultus 9. *Iunii.* 1670.

10. Æſtate nova anni CIↃ IↃC LXX. id contigit in milite, qui noctu in ſtatione laqueo mortem ſibi conſciverat & loco eodem ubi cadaver inventum atq; inſpectum in vallo Covordiæ fuerat humatus, ſed poſteà juſſu Præfecti præſidio Generoſ. D. Broerſemæ per excoriatorem extractum fuit cadaver & unco ad locum ſuppliciis deſtinatum fuit raptatum atque ibi obrutum. Groningæ cadavera eorum, qui fati diem occuparunt per carnificem ejuſque ſatellites trahâ noctu vehuntur ad locum aliquem in vallo ibique humantur. Ex gratiâ Ampliſſimus ordo ſæpè tamen loculum illis indulget.

11. Liquidò ex dictis adparet errare Groenewegen. *de LL. abrog. ad l. 1. C. de bon. eor. n. 6.* quandò his cadaveribus ſepulturam eccleſiaſticam etiam largitur. Qui tamen rectiſſimè docet *ad d. l. 1. n. 2. 3. 4. & 5.* quod publicatio bonorum locum non habeat, niſi cum quis animo deliberato & dolo malo atque ex patrati criminis conſcientiâ ſe ipſum occiderit, uti ſæpius à curiâ Hollandiæ judicatum refert & non ſemel reſponſum meminit Cl. Leeuwen. *ad Peck. de jure ſiſt. c. 5. n. 23.*

12. Et quidem ex ratione juris Romani bona non aliter in fiſcum coguntur, quàm ſi patratum illud crimen tale tantumque ſit, ut ſi ideò in vivum fuiſſet capitis pœna ſtatuta, bonorum publicationi locum feciſſet. *arg. l. 3. §. 1. ff. de bon. eor. aurb. bona damnat. C. de bon. proſcript.* Decius *conſil.* 438. *n.* 2. Atque hoc jure in Germaniâ utimur. *Nemeſ. Karul. art.* 135. Cl. Brunneman. *ad d. tit. C. de bon. eor.*

13. Jure autem hujus provinciæ extra cauſam furoris & intolerabilis doloris ad judicem hereditatis quadrans & ad liberos vel proximiores cognatos ejus bes pertinet ubi propter crimen in carcerem conjectus mortem ſibi adtulit. *d. art.* 39.

CAPUT XX.

Nemo præſumitur ſibi ipſi mortem conſciviſſe.

1. DE iſtâ morte infamiſſimâ autem judici apertiſſimè conſtare debet. *arg. l. fi. C. de probat.* Nec enim ſi quis in flumine reperiatur mortuus ſibi ipſi fatum adtuliſſe dicendus. Abbas Panormitan. *ad c. 10. x. de præſumpt. n. 2.* Sed potius morte fortuitâ quandò vulnera læſionesve non adparent, exſtinctus præſumitur. Primò quia actus indifferens, qui in delictum ſonare poteſt & non delictum, trahendus eſt potius in non delictum, *arg. l. 51. pr. ff. pro ſoc.* uti loquitur Petr. à Plaza à Moraza

1. *epit.*

1. *epit. delict. c.* 23. *n.* 5. Secundò quia in dubio nemo creditur unquam propriam odiſſe carnem, uti ait ſacer codex. Sic ſentiunt Menoch. 5. *præſumpt.* 13. *n.* 6. & Bajard. *ad Clar. d. q.* 4. *n.* 9.

2. Nec aliter Farinac. *prax. crimin. lib.* 1. *tit.* 1. *q.* 2. *n.* 29. qui apertius ſcribit magis præſumi ab alio mortem allatam fuiſſe, ſi cadaver in puteo repertum ſit, quod etiam tradunt Decius *d. conſil. pr. & ad l.* 2. *C. Qui teſtam. fac. n.* 13. *&* 14. Couvarruv. 2. *var. reſol.* 1. *n.* 11. *in fi.* Clarus. *d. q.* 4. *n.* 5. Menoch. *d. præſ. n.* 7. Brunneman *ad d. tit. C. de bon. eor. in fi.*

3. Idem de eo qui è turri aut laqueo ſuſpenſus invenitur poſt Plotum ſcribit Bajard. *d. q.* 4. *n.* 9. Quod tamen de illo negat Farinacius *d. q.* 2. *n.* 29. qui in ſylvâ ſic reperitur pendere ex arbore tum quod experientia docuerit eos ipſos manus ſibi intuliſſe tum quod laborioſum & difficile nimis ſit eo mortis genere hominem necare.

4. Illud quidem non adeò difficile cognitu, num vivus quis ſuſpenſus an verò mortuus anteà fuerit? Priore caſu laquei nota in jugulo manet, eſtque ea coloris aut rubri aut fuſci aut lividi aut nigri. Cutis juxta eam notam rugis inſignis utpote contracta ex preſſione funis. Arteriæ aſperæ caput ſœpè lacerum luxataque & ſuo mota loco ſecunda cervicis vertebra. Livor in facie etiamque in cruribus & brachiis nec non tumor in thorace obſervatur. Spuma ore & mucus naribus defluit. Pulmones purulentâ materiâ turgent, unde cadaveris ſectionem fieri judex curabit. Lingua craſſior eſt & nigra atque extra oris ſepta prominens, adeſt & oculorum expreſſio. Veſica frequenter rumpitur & urina copioſè fluit, penis quoque aliquandò arrigitur. Paul. Zacchias *lib.* 5. *QQ. Medico-legal. tit.* 2. *q.* 11. *n.* 5.

5. Qui etiam *n.* 7. *& ſeq.* docet quod aliquem fulminis ictu periiſſe conſtet, primò ex gravi & ſulphureo odore; deinde ex fuſco colore in parte læſâ, tertiò ex oſſibus fractis & comminutis, denique quod leviora evadant cadavera cum aliorum mortuorum contra graviora fiant. Sed licet id in ictis fulmine uſum habeat tamen non in ſuſpenſis, ut præſumendum videatur ipſos ſibi mortem adtuliſſe.

6. Ipſe tamen Farinacius poſteà judicis arbitrio rem totam relinquit & non præſumendam eſſe *αὐτοχειρίαν* tandem definit. Et rectè! nam & contingere poteſt, ut ab alio ſuſpenſus fuerit, cum ſcelera anteà non cognita aliquando admittantur, & id adeò difficile non ſit. Nam

 in

in itinere ajunt milites nullo negotio, ſi ad laqueum damnati, per carnifices rechano tolli & arbore ſuſpendi quod & in Cantiâ Britanniæ provinciâ factum obſervavi.

7. Judex autem in toto hoc argumento, uti monet Ægid. Boſſius *d. tit. de delicto n.* 10. cautus eſſet debet atque recurrere ad conjecturas, ſi quæ reperiri poſſint. Quid enim ſi recens factum noſcatur & tecta nive terra aut merum lutum unius tantum hominis veſtigia exprimat, qui ad arborem iverit? Nam ad hæc quoque judex curam ſuam extendere neceſſe habet. Franc. Caſonus *d. c.* 2. *de viſo & reperto. n.* 10.

8. Hoc ſanè caſu colligere non eſt difficile quod mortem ſibi conſciverit is homo. Nec obſtat quod & alius qui eum ſuſpendiſſet, in reditu veſtigia eadem premere potuiſſet vel tales pedibus geſtare calceos qui inverſo more facti, quibus ſe in excurſionibus uſum narrat Satyricus ille qui prodiit ſub perſonâ Simplicii Simpliciſſimi. *lib.* 3. *c.* 1.

9. Neque enim fieri poteſt, ut ſicarius tam curatè ſervet veſtigia ejus quem è vivis tollere inſtituit aut hic ea ſequatur quæ iſte fecerit & ſub arbore utique plura exſtabunt veſtigia quàm unius hominis, ex quibus hunc à ſeipſo non ab alio occiſum præſumendum ſit.

10. Si non adſint veſtigia licet tunc conjectura fiat in favorem mortui, attamen in odium alterius introducta videri non debet. *arg. l.* 6. *C. de LL.* Quapropter ſi nocte homo occiſus & manè ante alterius ædes repertum cadaver, hic necem intuliſſe haut præſumitur, cum in Italiâ atque in validis civitatibus, qualis eſt Lutetia Pariſiorum, ſæpè accidat ut ante alterius domum ab alio interfectus inveniatur, idemque ſcribit Franc. Marci 2. *deciſ. Delph.* 181. *n.* 5. *& ſeq.*

11. Pari ratione infertur, quod ſi pagus ex lege teneatur propter cædem patratam in ejus territorio, nequeat conveniri, ſi in eo homo mortuus reperiatur. Nec enim ſequitur quod ibi occiſus, cum & alibi id factum eſſe potuerit & eò eſſe à ſicariis tranſlatus. Paul. de Caſtro *ad l. pen. §. docere.* 2. *ff. Ne quis eum qui in jus voc.* Decius *d. conſil.* 438. *pr.* Drochus *ad Iul. Clarum. d. q.* 4 *n.* 5.

CAPUT XXI.

Ex quibus cauſis præſumatur quod quis ſe ipſum in flumen præcipitaverit? & homo vivus in id projectus fuerit?

1. AGamus paulò curatius de conjecturis per quas conlegitur quod mortuus ſe ipſum in aquam projecerit. Prima eſt ſi in eo loco cadaver

cadaver repertum quem frequentare non ſolebat. Nam qui facit inſolita doli ſuſpicione ſe onerat. Cravetta 5. *conſil.* 977. *n.* 162. Vultej. 3. *conſil. Marp.* 34. *n.* 161. Ut præſumendum ſit quod non aliam ob cauſam eò iverit, quàm ut infamiſſimum cœptum abſolveret & ſibi necem adferret, ſi enim id facere noluiſſet non eò iviſſet uti in re ſimili argumentatur Marius Giurba. *conſil. crim.* 53. *n.* 27.

2. Secunda ſi nec excipulos nec ſepta alia piſcium inſidiis expanſa in eo loco habuerit nec eò vulgò iter fiat, neque pons aut ponticulus ibi ſit, à quo cadere potuiſſet, agrumque in quo anteà viſus quemque præterlabitur amnis, in cujus fluctibus ſubmerſus, alteri locaſſet nec non ſolus ibi fuiſſet atque adeò nil fuerit propter quod eò vocaretur & ſic obſtet paræmia, *Nil negotii tibi eo in loco erat.* Leges etiam minimè ſavent ei, qui frequentat locum, ubi ei nullum jus erat verſandi. §. 4. *&* 5. *I. de L. Aquil. l.* 31. *ff. eod.*

3. Quinimò ſi quis in loco eo fuerit præſens, à quo potuiſſet abſtinere, tunc id quod ibi geſtum in ejus odium interpretamur & eum qui alias invitus dicitur, *arg. l.* 8. §. 1. *ff. de procurat.* pro conſentiente habemus, uti interpretor *l.* 4. § *fi. ff. de fidejuſſ. tutor.* Præſertim ſi nulla vulnera aliævæ notæ cædis ab alio patratæ in cadavere conſpiciantur aut deprehendi poſſint, atque ideò hic valere debeat illud quod licet res ejusmodi caſu fortuito contingere queant, tamen frequentius hominis facto eveniant, & idcircò ſenſus & cogitationes noſtras referre oporteat ad id quod frequentius accidit, uti docet Boſſius *d. tit. de delicto. n.* 10.

4. Tertia ſi ſolus fuerit & fortè pileum fœmoralium ſacco immiſerit, ne agnoſceretur cadaver, ſi hic aquâ ſupernataret, atque ſic non mentis alienatio ſed potius dolus per nimiam iſtam curioſitatem arguitur. Cothman. 3. *reſp.* 21. *n.* 121.

5. Ut non obſtet regula capite præcedente declarata, nam præſumptio iſta una, quod nemo cenſeatur cædis ſuæ auctor, tollitur per plures fortiores, quodque præſumptio hominis firmior vincat legis præſumptionem ſi hæc debilior ſit: Menoch. 1. *præſumt.* 30. *n.* 6. uti cum caſus ex facto contigiſſet reſpondi 9. *Iunii.* 1670.

6. Nec hic ſilentio prætermittenda eſt conjectura quarta ex quâ conſtare poteſt an quis vivus in aquâ ſubmerſus an verò mortuus in eam projectus. Illo caſu venter aquis plenus tumet & mucus naribus

 diffluit,

diffluit, ore ſpuma: digitorum extremitates corroduntur & exulcerantur, quod quaſi furibundus perierit, præſidium in arenâ quærens ut vitaret mortem. Poſteriore caſu, tum quod viæ precluſæ, tum quod reſpiratio non aderat nec cum morte luctatus hæc omnia ceſſant. Nec enim omnia cadavera inflantur & aquis ſupernatant propter aquam incluſam, ſed propter vapores in quos humores corporis à calore præter naturam fuerunt converſi: nec tamen omnia tumeſcunt, ſed ea tantum quæ ex nimio humore corrupta & poſt longius tempus ad litus adpulſa. Roder. à Caſtro *lib.* 4. *Medici Polit. c.* 11. *in fi.*

Caput XXII.

Heredes citandi ad cadaver defuncti defendendum. Allegationes contra conjecturas præcedentes. Familiæ illuſtris quomodo habenda ratio ſi ex eâ quis ſit qui ſibi mortem adtulit?

1. Quod ergo tunc judicis officium ſit, ſi tot præſumptionibus oneratus ſit mortuus, examinare lubet? Is ante omnia heredes defuncti jubebit citari ut eum defendant & ſi illi non compareant cadaveri defenſorem dabit, quo plenè audito vel ad condemnationem vel ad abſolutionem progredietur. Sententia aliter data nulla & judex litem ſuam facit, uti à ſupremo tribunali quod Lutetiæ eſt *anno* 1551. judicatum fuit infirmatâ ſententiâ Præfecti Pariſienſis. Papon. *lib.* 2. *corp. jur. Gallic. tit.* 10. *arreſt.* 2. Chanut. *ibid. in not.*

2. Confirmatur id à Paponio ex notabili loco Martiani, qui *in l. ult. ff. de bon. cor.* inquit; *heredes qui parati ſunt cauſam ſuſcipere & innocentem defunctum oſtendere, audiendos eſſe*: Unde infert eos priùs vocandos & audiendos eſſe & aliàs ſententiam contra cadaver tanquam indefenſum datam eſſe ipſo jure nullam. Hæc ſecutus de jure conſultus reſpondi dictâ die 9. *Iunii.* 1670.

3. Intellexi autem poſteà quod iſta uſu non ſerventur in Belgio. An rectè? Cum cadaver ſe ipſum defendere nequeat, per alium defendi debet, nam defenſio ne quidem diabolo deneganda. Carpzov. *p.* 3. *prax. crim. q.* 105. *n.* 23.

4. Pro ſecundo præſumptiones enarratæ ſtant contra cadaver, atque ideò Fiſci advocatus probare non cogitur dolum ſed defenſor cadaveris contrarium judici oſtendere debet. *arg. l. ult. ff. quod met. cauſ.* Weſenbec. *parat. ff. de probat. n. ult.*

5. Sed

5. Sed quis contrarium tàm liquidò demonſtraverit unquam quam heres aut alius neceſſarius mortui? Ut fruſtrà allegaretur & judicem habere rationem eorum, quæ pro defuncto faciunt. Nam familiares & propinqui acta vitæque rationem ſui neceſſarii melius norunt quàm extranei, ut jure merito prius vocandi audiendique ſint ad ea quæ contra cadaver proferuntur. *d. l. ult. ff. de bon. cor.*

6. Singula argumenta capite præcedente enarrata luſtremus, an non primo allegari poteſt quod voluntates & voluptates hominum & liberæ & variæ ſint. *arg. l. 22. §. 5. ff. Qui teſtam. fac. poſſ.* An non heres aut domeſticus oſtendere poteſt, quod defunctus eo iverit ut inſpiceret ſua paſcua etiam alteri locata & videret num juſto tempore fœnum colligeret & hac ratione ex lege contractus efficeret, ne altero anno majore copiâ juncus, ſcœnopraſſum aliudve genus herbæ inutilis ibi naſcatur? Quæ ſi probata fuerint evaneſcet utique argumentum ſecundo loco allatum, atque ideò tunc præſumendum foret, quod potius caſu cecidiſſet in amnem aut ab alio in eum fuiſſet projectus. *arg. l. 51. pr. ff. pro ſoc. l. fi. C. de probat.*

7. Ad tertium idem dicet defenſor, nec enim probat hoc eſſe quod ab eo abeſſe contingit uti legum & auctorum phalange inſtructus tradit Simon Vaz Barboſa *princip. & loc. commun. lit. P. n.* 49.

8. Quid ergò obſervandum Jureconſulto ad quem acta curantur ut ex iis definiat quid cum cadavere faciendum, contra quod enarratæ præſumptiones ſtant nec tamen defenſorem ei datum liquidò percipit? Reſpondebit hunc cadaveri dari oportere, nec videndum eſſe quid anteà factum ſed quid ex juris ratione & juſtitiâ naturali fieri debuerit. *l. 12. ff. de offic. præſid. l. 39. ff. de legib.*

9. Ne tamen lucri cauſâ & aucupandi alterius reſponſi gratiâ id feciſſe videatur, adjiciat, quod cum conjecturæ memoratæ ſtent contra cadaver, de furore vel melancholiâ ſummâ conſtare debeat: aut iſtæ conjecturæ contrariis hoc capite enarratis argumentis judici pro confutatis habeantur, atque tunc mortuus more majorum ſepeliendus ſit. *l. ult. §. ſi quis. ff. de bon. cor.* Carpzov. *d. q. 2. n.* 38.

10. Si verò de neutro certior ſit factus judex, tamen ratione perſonæ defuncti & familiæ nobilitatis, non genere ſepulturæ, quod cum dedecore conjunctum, ſed, quia & in dubio hic hæremus, noctu abſque comitatu cadaver curantibus propinquis vel viduâ humari

humari & majorum tumulo inferri permittet. *arg. L.* 4. §. 1. *ff. de incend. ruin. naufr.* Hoc quoque memorato tempore de jure conſultus reſpondi & factum eſſe poſteà accepi.

11. Cum autem & pro quarto argumentum capite ſuperiore fuerit allatum & illud intactum relinqui non oporter. Ei verò id allegari poteſt quod ventris tumor & naribus diffluens mucor probet quidem hominem in aquâ mortuum eſſe, inde autem indubitatum non oriri argumentum quod mortis ſuæ ipſe auctor fuerit.

12. Neque ratio ab extremitatibus digitorum petita alicujus momenti videtur, quia & caſu potuit lapſus eſſe in fluctus vel ab alio in aquam projectus & in arenâ hærere quod natare non didicerit atque ita extremitates digitorum corrodere.

13. Ut ex his omnibus jam palpari poſſit defenſorem cadaveri eſſe dandum & judici quoque, dum inſpicit cadaver, hoc poſtremum quod de tumore & mucore nec non de digitis exulceratis dictum obſervandum & ad acta referendum eſſe, ut de eo alius qui cognitor dabitur fortè vel ad quem notio pertinet, melius judicare queat.

CAPUT III.

Quæ obſervationes ad acta referri curabit judex? Cadaver inventum eſſe faſtis hebdomadalibus inſcribendum. Auctor cædis capite puniendus licet ignoretur quis occiſus ſit. Ignota perſona *an pro incola habeatur?* Studioſus *ad Academiam veniens pro ejus cive habetur.* De ſexu *ex fluitatione cadaveris aliiſque conſtat, ubi &* de Hermaphroditis *&* obſtructis.

1. JUdex ergo vel is cujus curæ ea res commiſſa, ut ſummatim id repetam, cadaver ſic inſpiciet ut inquirat num alterius facto homo cæſus, nec ne? & ſi non noverit cadaver, interrogabit eos qui præſentes ſunt, eorumque reſponſa annotari curabit. Si teſtes ignorent quis defunctus fuerit, ſecundum ea quæ tradidi *c.* 14. *n.* 10. judex aget, & in loco publico exhibebit cadaver, ut à prætereuntibus videri poſſit. Tranquill. Ambroſin. *lib.* 1. *de modo form. proceſſ. inform. c.* 1. *n.* 26.

2. Jubebit autem judex ſcripto per ſcribam conſignari ætatem, ſexum, formam, barbam aliaſque cadaveris notas nec non veſtes omnes quibus mortuus fuit amictus, quidque apud eum inventum, locum quoque in quo repertus fuit & quomodo ſitus fuerit, & quæ

Digitized by Google

veſtigia in eo adpareant, vulnera quoque: ſed de his poſteà dicturus ſi agam de cadaverè quod liquidiſſimè conſtet cæde alterius occiſum, ſed hic adhuc loquor de eo quod reperitur nec ſcitur an ab alio ſcelus admiſſum, quando enarratæ circumſtantiæ tamen ad acta referendæ. Ambroſin. *d.c.* 1. *n.* 24.

3. Et ſi nemo poſtquam videndi cadaveris copia in publico cuilibet facta, venerit, memoratas circumſtantias cum genere mortis quâ periiſſe videtur defunctus, faſtis hebdomadalibus inſeri curet, ut ex iis intelligant propinqui, quid ipſi contigerit & veniant ad juſta homini mortuo facienda, quod in Batavis atque nuper hic in agro Selverdiano homine mortuo reperto factum obſervavimus & ſumma ratio poſcit. *arg. l.* 43. *in fi. ff. de relig. & ſumt. fun.*.

4. Quod ſi nemo venerit ſecundum ea quæ declarata ſunt loco ſuperiore judex cadaver humari curabit & ſi quis auctor cædis ſit, ratione ejus dicetur de crimine adparere etiamſi nomen atque conditio defuncti ignoretur, & reus nihilominus morte mulctari poteſt, quia ſatis eſt quod occiderit hominem. *arg. l.* 1. *§.* 3. *ff. ad L. Corn. de ſicar.* quod omnes ſcire ait Boſſius. *d. tit. n.* 23. & tamen id exemplo firmat Baldus *ad l. quoties. §. ſi quis nomen. ff. de hered. inſtit.* probantque Clarus *d. q.* 4. *n.* 4. Ambroſin. *d. c.* 1. *n.* 27.

5. Defunctum ignotum autem habendum eſſe pro incola loci in quo cadaver reperitur placuit Ant. Drocho *ad Iul. Clar. d. q.* 4. *n.* 5. Quod non aliter verum quam ut cadaveris inſpectio ad eos pertineat qui ratione territorii jurisdictionem & imperium exercent, non verò ad magiſtratum Academicum aut militarem ſpectet, quia horum imperium perſonis ſibi ſubjectis tantum inhæret.

6. Niſi probari poſſit quod ſtudioſus animo frequentandi Academiam acceſſerit atque perierit antequam nomen eſſet profeſſus, nam hunc pro cive iſtius Academiæ habendum placuit. Gotfrid. Suevus *ad auth. habita. C. Ne fil. pro patre. peric.* 3. *§.* 1.

7. Præterea Drochi dictum etiam hactenus verum, ut ſi lege provinciæ caveatur nemini abolitionem dandam qui civem occiderit, neque gratiam ſperare queat is qui necavit ignotum, cum ratione tuitionis pro cive habeatur qui per provinciam iter facit, huic enim illam Princeps debet. *l.* 13. *ff. de Off. præſ. l.* 10. *ff. de R. I.* D. Ahaſ. Fritſch. *tract. de Viis publ. c.* 12. *n.* 3. *& per tot.*

8. In

8. In cæteris pro cive aut incola non habebitur, cum modi per quos quis eorum jura conſequitur facti ſint atque ideò probari debeant. *arg. l. 12. C. de non num. pecun.* Quare ſi ex inſtituto loci alia ſolemnitas obſervetur in ſepulturis incolarum eaque negetur peregrinis, & ignotus ſolemnium incapax dicendus. *arg. l. 5. ff. de probat.*

9. Quod dixi ſexum quoque mortui judici obſervandum eſſe id fortè quis mirabitur? Sed mirari deſinet ſi cogitaverit quod non tantum hermaphroditi dentur ſed & tales ſint homines qui ita obſtructi, ut an maſculi an fœminæ ſint per externam corporis inſpectionem conſtare non poſſit. Petr. Gregor. Tholos. *prælud. opt. ICti. lib. 5. c. 5. n. 6.* Selden. *de ſucceſſ. ad LL. Ebræor. cap. 11.*

10. Ad ſectionem ergò cadaveris perget judex & adhibitis Medicis ex internâ corporis conſtitutione id explorare tentet & ſi fluctibus ad litus vel ad ripam adpulſum, interroget teſtes num fluitaverit pronum an ſupinum? Fœminarum enim cadavera ſupina fluitant uti jam olim obſervatum Plinio. *lib. 7. c. 17.* Quod ipſa natura pudoris diſciplinam inter defuncta corpora diſtinguat pro ratione adducens, quam probant Petr. à Plaza à Moraca *epit. delictor. lib. 1. c. 32. n. 4.* Mich. ab Aguirre *apolog. p. 4. n. 75. apud Beſold. p. 1. conſil. 1. p. 141.*

11. Naturalis & hæc cauſa adferri poteſt, quod mulieris venter vaſtus tum ob viſcera tum ob continendum partum, atque ideo aquâ per pudenda ingreſſâ facilius tumeſcat atque infletur. Habet & mulier vertebras dorſi minores quod thorace anguſto prædita, ilii verò oſſa ſuſtinendo partui anticâ parte prominentiora, quibus & adde uberum molem, quæ pronas eas efficit. Tiraquell *LL. Connub. 4. gloſſ. 1. p. 4. n. 23.* Roderic. de Caſtro *de natur. mulier. lib. 1. c. 3. in fi.*

12. Unde conſequitur in obſtructo ex fluitatione vix argumentum trahi poſſe. Si enim de ſexu planè nil conſtet, nec à mammis aut pudendis neque etiam à ventris intercapedine firmiter poteſt inferri, atque ideò recurrendum eſſe ad cauſam à Plinio adſignatam.

13. Per eam tamen fluitationem pronam non probatur, quod fœmina ſit, ſed ex conſilio Medicorum ſexus ejus dicatur fuiſſe qui ex membris & viſceribus aliiſque corporis notis prævalere videtur, atque ita obſtructus non aliter ac hermaphroditus cenſeatur. *arg. l. 10 ff. de ſtatu hom.* Quâ in re ad corruptionem attendatur, quia fœmina citius corrumpitur. Zacchias. *lib. 4. QQ. Medico-leg. tit. 1. q. 10. n. 20.*

DISPU-

DISPUTATIO IV.

Reſp. Theod. Buttinghauſen, *Clivia-Clivio.*

CAPUT XXIV.

Sectione opus ſi homo veneno exſtinctus præſumatur. Definitio veneni ejusque genera traduntur & explicatur quæ mortifera ſint? Medicis *non ſempe fidem judex habeat.*

1. Eſt & alius caſus in quo ſectio cadaveris inſtituenda licet id reperiatur homine jam exſtincto nec ab alio occiſus dicatur. Quid enim ſi venenum paulò ante mortem ipſe emiſſe aut præparaſſe probetur & ejus notæ in corpore conſpiciantur? Quid ſi aliæ conjecturæ adſint per quas præſumitur aconito ſibi mortem adtuliſſe? His caſibus judex adhibitis Medicis ſecari & intro corpus inſpici curabit non minus quàm ſi ab alio miſtum & defuncto datum fama ferat. Roderic. à Caſtro *Medic. Polit. lib.* 4. *c.* 10. Ægid. Boſſius *d. tit. de delicto. n.* 7. Maſcard. 2. *de probat. concl.* 1034. *n.* 7. Guazzin. *de defens. reor. c.* 6. *n.* 13. *&* 18. Carpzov. *p.* 1. *prax. crim. q.* 21. *n.* 7. Romæ id factum fuiſſe reperto exſtincto eo, qui Legato Bononienſi ab epiſtolis fuerat, nil tamen veneni inventum adſcriptum erat faſtis hebdomadalibus. 19. *Febr.* 1667.

2. Eſt autem venenum ex illis vocabulis quæ à JCtis τὰ μέσα appellantur & in bonam & malam partem accipiuntur, *l.* 3. *ſ.* 2. *ff. ad L. Corn. de ſicar. l.* 9. *ſ.* 1. *ff. ad L. Aquil. l.* 236. *pr. ff. de V. S.* Gell. 12. *noct. Attic.* 9. Grilland. *de ſortil. q.* 12. *n.* 4.

3. Tale quoque eſt virus, quod idem aliàs ſignificat, Virgil. *Georg. lib.* 1.

Viroſaque Pontus

Caſtorea:

Caſtoris autem teſticuli magnæ in medicinis virtutis. Explicatè idem Maro *d. lib.* 1.

Ille malum virus ſerpentibus addidit atris:

4. Vocabula ejusmodi quoque ſunt dolus, fama, monſtrum, facinus, factio. Freher. 2. *de famâ. c.* 10. *n.* 7. His adjice valetudinem, *Tacit. Annal.* 2. meritum, *Iuſtin.* 1. *hiſtor.* 6. & tempeſtatem. *Iuſtin. d. lib.* 1. *c.* 7. Wiſſenbach. *ad l.* 23. *ff. de R. I. n.* 9. qui minus rectè hodiè eò refert tyrannum & ſcurram *vol.* 1. *diſp. ff.* 13. *th.* 28. Hæc

enim nunc tantum in malam partem capiuntur, uti fatetur ipſe *ad. d. l. 236. pr. n. 9.*

5. Et nunc quoque communi loquendi more, cum venenum ſimpliciter ponimus tunc malum intelligimus. Alciat. *in d. l. 236. n. 6.* Farinac. *p. 5. prax. crim. q. 122. n. 127.* Eſtque hic nobis nil aliud quam *quod adhibitum naturam ejus cui adhibitum eſſet mutat adeò ut homo inde mortuus ſit. arg. d. l. 236. pr.*

6. Medicorum enim definitiones huc non pertinent uti benè demonſtratum dedit Paul. Zacchias *QQ. Medico-legal. lib. 2. tit. 2. q. 1. n. 21. 22. & ſeq.* Sed nec hujus auctoris deſcriptio quam proponit *d. q. 1 n. 27. & 28.* & exſtat *in d. l. 236.* eſt hujus loci, nec enim tàm latè hic venenum capimus ſed per id intelligimus illud quod hominem necat. *l. 3. ff. ad L. Corn. de ſicar. l. 35. §. 2. ff. de contrah. emt. l. 38. §. 5 ff. de pœn.*

7. Dictum autem eſt venenum *eò quod per venas vadit. Infuſa enim peſtis ejus per venas vegetatione aucta diſcurrit & animam exſtinguit.* Iſidor. *12. Orig. 4.* Ergò miſſis venenorum diviſionibus, quas tàm ex JCtorum quàm Medicorum libris examinat Zacchias *tit. 2. q. 2. per tot. & q. 3. n 1. & ſeq.* de mortiferis nobis erit ſermo, quorum alia ſemel tantum porrecta alia non niſi per repetitionem mortem adferunt. Zacchias *d. q. 3. n. 8.*

8. Prioris generis eſt arſenicum, Zacchias *d. q. 3. n. 2.* aconitum, hoc enim ocyſſimum veneni genus. Plin. *27. hiſtor. nat. c. 2.* etiam factum ex planta Malavarica, Zacchias *d. q. 3. n. 12.* nec non ex aſpide. Cœl. Rhodigin. *25. lect. antiq. 31. Deuteron. 32. 33.*

9. Ad hoc primum genus etiam pertinent, quanquam tardius necem adferant, hæc quæ putrefaciendo, erodendo, ſtrangulando, & ſanguinem congelando nec non animalem facultatem & vitales ſpiritus devaſtando & conſumendo mortem cauſantur. Goeddæ. *ad d. l. 236 n. 2.* Zacchias *d. q. 3. n. 16.*

10. Cujusmodi multa ſunt enarrata eidem auctori *d. tit. 2. q. 12. n. 4. & ſeq.* qui tamen rectè obſervavit quod unum idemque venenum quoque modo præbitum, haut occidat, *d. tit. 2. q. 11. n 1.* Sunt enim venena quæ non nocent, niſi vulneribus indantur. Celſus Medicus *lib. 5. Medic. c. 27.*

11. Multa quoque venena ſunt opinione hominum, inter quæ ſcobs

ſcobs adimantis refertur, quam tamen certum eſt necem non inferre neceſſariò atque ideo confeſſio rei dicentis ſe eam mortuo præbuiſſe, haut nocebit. Zacchias *d. tit.* 2. *q.* 4 *n.* 1. 2. *&* 3. *&* 24. Contrà non pauca ſunt quæ vulgò non creduntur venena, quæ tamen ſi majore quantitate capiuntur, mortis cauſam præbent, qualia ſunt abortum procurantia, *d. l.* 38. *ſ.* 5. *ff. de pœn.* laudanum opiatum & ſi quæ his ſimilia. Zacchias. *d. q.* 4. *n.* 4.

12. Cauſa autem veneni alia deſumitur à qualitate manifeſtâ alia verò ab occultâ. Eam qualitatem manifeſtam habet lactucæ ſuccus, nec enim minus quàm opium aut cicuta aut porrum mortiferus, quandò majore quantitate ſumptus. Galen. 3. *de ſimpl. medic. c.* 18. Plin. 19. *hiſtor. nat.* 6.

13. Cum verò in tantâ quantitate non facilè præberi hæc poſſint, promptiores eſſe nos oportet ad abſolvendum in hoc caſu quàm ſi venenum proprietatis occultæ datum, nec enim ex illo ita mortem ſecutam conjicimus uti ex hoc. Zacchias *d. q.* 4. *n.* 7. *&* 10.

14. Niſi occultæ vis venenum tam exiguâ menſurâ porrectum alicui ut inde mori non potuerit, quod ex hujus temperamento, ætate, virium robore, corporis conſtitutione & veneni qualitate æſtimandum eſt. Nam calida nocent calidis frigida venena frigidioris naturæ hominibus, juventus citius & pauciore veneno exſtinguitur quàm ſenectus. Zacchias. *d. q.* 4. *n.* 21.

16. Etiamſi autem nonnulla ſint quæ nobis in hoc ſtatu juridiciali pro venenis non habeantur, tamen ſi noxia ſymptomata producere poſſint veluti *hydrargirum*, ut mors inde ſequatur, id venenum ab effectu appellabimus. *arg. l.* 15. *pr. ff. ad L. Corn. de ſicar. l.* 38. *ſ.* 5. *ff. de pœn.*

17. Similiter ſi plantas arte nefariâ quis veneno infectas reddiderit vel ex vite vinum produxerit letale aut gallinas aliave animalia minimè noxia quis ſic alere inſtituerit, ut eorum omnium uſu homo perierit, perinde æſtimabitur ac ſi ei venenum mixtum propinatumve fuerit. *arg. d. l.* 15. Zacchias *d. q.* 4. *n.* 34. *& ſeq.*

18. In his ergò & ſimilibus caſibus prudens judex qui inſpicit cadaver circumſtantias enarratas examinabit diligenter, nec ſemper Medicis fidem habeat, uti monet Zacchias *d. q.* 4. *n.* 21. ne in judicando erret aliorum judicium ſecutus, ſed ipſe rationem ſuam quoque

Digitized by Google

in conſilium advocet & non cadaver tantum ſed & Medicorum libros & in primis laudatum ſœpè Zacchiam adeat.

19. Sic menti ſuæ conſulet agendo ad exemplum veterum juriſprudentum qui adducunt non tantum Medicorum principis Hippocratis auctoritatem, *l.* 12. *ff. de ſtatu hom.* ſed & ex intimâ Medicinâ rationes petunt & æquè ac ipſi Medici febrem definiunt. *l.* 62. *ff. de re jud. l.* 1. *§.* 7. *&* 8. *ff. de Ædil. ed.*

CAPUT XXV.

Signa porrecti veneni enarrantur. Vix alia ejus dantur quàm innati. Doctores *aliquando* dolores.

1. NUnc tranſeamus ad argumenta ex quibus colligitur hominem veneno exſtinctum eſſe. Primum eſt ſi homo qui per naturam bonis humoribus abundat & ſalubri victus ratione uſus, repentè moritur. Zacchias *d. tit. q.* 7. *n.* 4. Cardan. *lib.* 2. *de Venen. c.* 2. Rod. de Caſtro *d. tract. Medic. Polit. lib.* 4. *c.* 10. vel ilicò magna valetudinis bonæ mutatio ei accidit. Juſtus Oldekop. *tit.* 4. *obſ. crim.* 47. *n.* 11.

2. Secundum ſi corpus iſtius hominis livens aut nigricans aut varium adpareat. Caſtro *d. c.* 10. Carpzov. *d. q.* 21. *n.* 3. Quæ duo conjunctim requirit Zacchias, *d. q.* 7. *n.* 36. nam colorem talem in cadavere etiam ex veneno innato conſpici poſſe tradit *d. q.* 7. *n.* 30. Adeò ut vix ex inſpectione cadaveris externa judicari poſſit an homo veneno exſtinctus, ſi fortè mortuus, uti ſæpè fit, reperiatur nec ante obitum viſus fuerit eſſe ſanus.

3. Num itaque ex cadavere diſſecto id conſtare poteſt? Nec tuta nec certa omnia indicia vulgò tamen pro veris habita. Nam exulcerationes fundi ventriculi, gulæ & inteſtinorum, earundemque partium ſpacelatio & viſcerum contaminatio, corruptio, nigredo, livor & ſimilia ex ingenito veneno etiam oriri poſſunt, Zacchias *d. q.* 7. *n.* 35. Nec dantur alia ſigna certò diſtinguentia inter venenum innatum & hauſtum. Boſſius *d. tit. n.* 15. Guazzin. *d. tract. lib.* 1. *def.* 4. *c.* 5 *n.* 5. Caballus *de omni gen. homicid. n.* 621. Oldekop. *tit.* 4. *obſ. crim.* 47. *n.* 10.

4. Ut ergò ex ſolâ inſpectione cadaveris de veneno liquidò adpareat vel in vulnere aliâve corporis externâ parte id deprehendi vel

vel in ſtomacho aut inteſtinis illud ejus qualitatis & quantitatis cerni debet, ut dubitari nequeat eo hominem occidi poſſe.

5. Quod enim Foreſtus 30. *obſerv.* 1. *in ſchol.* docet frigidi veneni hauſti ſignum eſſe ſi inſpecto cadavere ſanguis circa cor & in ipſo corde reperiatur congelatus, id pro certo haberi nequit, quia & illud videtur ſœpè in cadaveribus veneno haut mortuorum. Zacchias. *d. q.* 7. *n.* 37.

7. Spuma ore defuncti diffluens dicitur quoque veneni ſignum Carpzovio *d. n.* 3. qui eodem loco & hoc inter argumenta ponit ſi cor igne cremari nequeat. Poſtremum debet Plinio 11. *hiſt. nat.* 37. utrumque verò Suetonio *Calig. cap.* 1. *in fi.* Prius autem & ex aliâ cauſâ externâ proficiſci poteſt & obſervatur quotidiè in cadaveribus apoplecticorum & ſuffocatorum eorumque qui morbo cardiaco perierunt. Caſonus *de Indic. c.* 4. *n.* 4. Poſterius quoque experientiâ refellit Zacchias *d. q.* 7. *n.* 31.

7. Aliud quoque eſt apud Plinium 2. *hiſtor.* 63. ubi docet quod cadavera eorum, qui veneno exſtincti nequeà feris neque à canibus devorentur. Reponit ei Zacchias *d. q.* 7. *n.* 32. quod neminem id re ipſâ comperiſſe noverit, quodque venenum innatum tunc idem præſtabit quod datum ſive externum.

8. Ex quo interno cum & putredo & odor malignus æquè ac ex externo oriatur, fruſtrà & hæc Roder. de Caſtro *d. c.* 10. pro ſigno veneni propinati habet. Zacchias. *d. q* 7. *n.* 30.

9. Quæ cum ita ſint & nulli dubitationi obnoxium in corpore humano venenum naſci poſſe, ex quo hominem mori neceſſe ſit, uti pulchrè demonſtrat Zacchias *d. tit. q.* 5. *per tot.* & *q.* 6. *n.* 1. & certò ſciri poſſit quod veneno externo & propinato homo non ſit mortuus, veluti docet idem Zacchias *d. tit.* 2. *q.* 8. *n.* 1. hanc potiſſimum rem, quæ facilè à perito Medico diſcerni poteſt, teſte eodem Zacchia *d. tit. q.* 6. *n.* 8. providus judex quando circumſtantiæ aliæ ceſſant, quia nemo cum defuncto ante mortem egit, Medicorum judicio committat atque ſic capio illud Carpzovii dicentis in re propoſitâ tanquam peritis in arte ſuâ credendum eſſe. *d. q.* 21. *n.* 8.

10. Cum autem uti in omni diſciplinâ hac tempeſtate ita quoque in arte medicâ proh dolor nonnulli *doctores* ægrotantibus ſint magis *dolores*, Ant. Souſa de Macedo *tract. de perfecto doct. qual.* 13. *n.* 5.

& tamen ſi externam eorum ſpeciem inſpicias eosque oculis quaſi devores; à peritis non differant atque judex in ejusmodi homines incidere poſſit vel peritorum aliquandò copiam non habeat, pro inſtituti ratione ingeniti veneni argumenta hic inſeram.

11. Non quidem omnia hic tractabo ſed ea quæ rei noſtræ inſerviunt & ex cadavere diſſecto adparent. Inter quæ primò memoratur *Cacochymia* ſi modò poſt mortem in corpore pravi humores conſpicui. Zacchias *d. tit.* 2. *q.* 8. *n.* 1. Secundum erit nobis, ſi contagies inſit cadaveri & per eam corripiantur qui illud tractant. Zacchias *d. q.* 8. *n.* 16.

12. Pro tertio facilis & cita cadaveris corruptio & putefractio. Nam ſi venenum homo hauſit & inde mortuus, tunc ejus corpus difficillimè corrumpitur. Zacchias *d. q.*8. *n.*19. *&* 20. *& conſil.* 16.*n.*8. Seneca 2. *natur.* QQ. 31. *In venenatis corporibus vermis non naſcitur. Fulmine icta intra paucos dies verminant.*

13. Quartò ſi puerpera erat quæ mortua fuit reperta, & ex diſſecto cadavere adpareat eam non benè purgatam fuiſſe, nam ubi habemus cauſam evidentem & certam fruſtrà confugias ad conjecturas veneni externi. Zacchias *conſil.* 12. *n.* 9.

14. Sic cum ante bina luſtra mulier quæ ſpecie virginis ſacris Pontificiis deditæ Groningæ vixerat ibi mortua in vico quodam inveniretur & facta per Obſtetricem ex ſagaci Irenarchæ ſtudiò cadaveris inſpectione dubium eſſet an quoque poſt partum, quem adfuiſſe renuntiabat obſtetrix, venenum hauſiſſet, cadaver diſſectum ſed ex ſecundà eam exſtinctam adparuit.

15. Quod verò Zacchias ut parcat marito veneficii ſuſpecto reſpondit *in conſil.* 13. *n.* 18. depilationem eſſe ſignum familiariſſimum veneni rodentis, eam verò in cadavere conjugis mortuæ non conſpectam, id roboris eſt nullius, quia depilatio ſequi quoque ſolet frequenter eos qui febre acutâ, lue venereà aut dolore capitis graviſſimo laborarunt, nec tamen in omnibus accidat, ut non probetur hoc eſſe quod ab eo contingit abeſſe. Aldovin. *conſil.* 51. *n.* 18. Galganet. *de condition. p.* 2. *cap.* 1. *q.* 92. *n.* 5.

CAPUT

Caput XXVI.

Ejus mulieris, quæ peperiſſe videtur, cadaver diſſecandum eſſe multis argumentis probatur. An & quandò cadavera Medicis ad anatomen concedi debeant & à quibus?

1. Tertius caſus, quo ſectio cadaveris reperti fieri debet conlegi facilè poteſt ex dictis *cap. proximo n.* 14. Ut enim mulieris ejus, quæ peperiſſe videtur, corpus intus inſpiciatur, non una ratio urget. Si enim ſecunda ibi adhuc reperiatur, inde non verò ex veneno, niſi & illud evidenter in cadavere conſpiciatur, periiſſe cenſebitur. Nam ex loculo relicto, quem nunc ſecundinas appellant, mortis periculo ſubjici fœminas teſtis eſt, Macer *lib. 2. de mat. Med. c.* 10. cum inquit;

Hæ ſi plus juſto vitio cogente morantur
Aut mors ſubſequitur, dolor aut qui vix toleratur:

2. Pro ſecundo ſic certi ſumus de partu magis quàm per externam corporis inſpectionem, & cum ejus maxima ſit difficultas, *l.* 12. *C. Qui pot. in pign.* adeò ut puerperæ mors præ foribus dicatur conſiſtere Leoni *in Nov.* 17. *præf.* ex puerperio non verò ex veneno vel ſpontè hauſto vel ab alio dato mulierem exſtinctam eſſe in dubio præſumitur. *arg. l.* 51. *pr. ff. pro ſoc. l.* 56. *ff. de R. I.*

3. Tertiò cognito partu inquirendi in infantem via aperitur, ut alatur ſi vivat, non enim vento vivere poteſt, *l. fi. C. de alim. pup. præſt.* Si verò mortuus quæratur an à mortuâ matre expoſitus an verò alterius ope necatus ſit? & ſi inventus humetur.

4. Hac ratione pro quarto quoque inquiritur in patrem infantis & ſic de ſtupro, adulterio aut inceſtu contra ſuſpectos judicio agitur, quos omnes puniri reip. intereſt, ne facilitas veniæ alios ad eadem facinora invitet. *c. ut clericorum.* x. *de vita & hon. cleric.*

5. Quod verò dixi infantem humari, id fallit ſi ad anatomica Medicorum exercitia deſtinetur uti contigit in infante mulierculæ memoratæ, nam fuit datus Medicinæ ſtudioſis ſecandus, ejus ſceleton & adhuc ſpectatur in theatrò Anatomico Academiæ Provincialis Groningano-Omlandicæ. Quanquam enim infans non peccaverat, tamen cum in caſu propoſito ejus mater impenſis reip. noctu ſepeliretur, ex fœtu commodum iterum publicum percipere nil vetabat. *arg. l.* 10. *ff. de R. I.*

6. Nec

6. Nec poteſt cum cujusquam injuriâ conjunctum videri quod propter publicam fit utilitatem, *l.* 33. *ff. de injur.* uti Cæſarem Carolum V. pro Academiâ Salamanticenſi contra cognatos mortui qui Medicis ad anatomen datus erat, reſcripſiſſe tradit Gomez. 3. *var. reſolut. ult.* Nam publica ſalus privatorum commodo præferenda. *l. un.* §. *fi. C. de Caduc. toll.* Unde hodiè punitorum cadavera rectè ad anatomen dantur, ut ſtudioſa juventus erudiatur & certiora artis Medicæ fundamenta diſcantur, nec inſepulta manent, uti iis accidit ſi furcæ aut rotæ fixa linquantur, ſed poſteà humari ſolent. Matth. Stephani *de juriſd. lib.* 1. *c.* 6. *n.* 141. *& ſeq.* Zoeſ. *ad tit. ff. de cad. punit n.* 2. Treutl. 2. *diſp.* 31. *th.* 8. *d.* Berens *diſp.* I. 13. *coroll.* 4. Hœnon. *diſp.* P. 1. *th.* 4. K. Ant. Matthæi *de crimin. lib. ff.* 48. *tit.* 17 *c.* 6. *n.* 12. Quam in rem memorabile eſt privilegium Academiæ Lugduno-Batavæ. Nam ei id petenti hyeme negari nequit *ex Placito Ord. Holland.* 18. *Decembr.* 1593. *&* 19. *Decembr.* 1619.

8. Quanquam ſint qui nolunt indiſtinctè omnia cadavera Medicis tradi, ſed rationem habendam conditionis defuncti & familiæ dignitatis, quod ſanâ ratione conſtat probantque Carpzov. *p.* 3 *prax. crim. q.* 137. *n.* 74. Hahn. *ad Weſenb. ff. de cadav. punit.* Non judici quoque id permittendum, ut is cadavera Medicis donet ſed Principis Ordinumve liberæ reip. deſideratur conſenſus. Jul. Clarus *d.* §. *fi. q.* 100. *n.* 2. Menoch. *arb. judic. QQ. caſu.* 285. *n.* 10.

9. Quod officinm perdit ſi judex in ſuo territorio jura majeſtatis exerceat, atque ideò ſi Groningæ quis ultimo ſupplicio adfectus & ab ampliſſimo civitatis ordine judicatus fuerit, hujus ſolius auctoritas requiritur uti evenit in cadavere ante biennium in hac Academiâ diſſecto. Sed nec tunc Ordinum Principisve auctoritas neceſſaria, ſi juſſerit ut judex petentibus id denegare non debeat, uti anteà dixi de privilegio Lugdunenſis Univerſitatis.

CAPUT XXVII.

De partu Cæſareo & non humandâ nec ad mortem rapiendâ muliere quæ uterum gerit diſſertatur & ſimul in pœnam contrà facientium inquiritur.

1. PErgamus jam agere de quarto caſu quo cadaveris ſectio neceſſaria. Eſt autem is ſi per exteriorem inſpectionem ventris adpareat quod eo contineatur fœtus partui vicinus. Conjicitur id autem

autem facilè ex motu & ſaltatione infantis. Roderic. de Caſtro *lib.* 4. *de morb. mulier. c. 6. in fi.*

2. Quando mortuæ tunc filius exſectus eſt is *caſus* & *cæſo* vel *cenſus* ſi audimus Feſtum dicitur. Gœddæ. *ad l.* 132. *§.* 2. *ff. de V. S. n.* 2. Sed Medici *partum Cæſareum* vocant. Rod. de Caſtro. *d. lib.* 4. *c.* 3.

3. Contradicit autem his Theophil. Raynaud. *tract. de ortu infant. contra natur.* quod parere ſit actio mulieris & proprium matriculæ officium. *l.* 14. *pr. ff. de Ædil. ed.* Cum verò actio in mortuam non cadat, haut peperiſſe intelligitur. *d. l.* 132. §. 2. *ff. de V. S.* Neque ergò infanti tanquam effecto dari poſſe nomen quod à cauſâ aliàs trahitur, quia hæc ceſſat. *c.* 60. *x. de appellat.*

4. Rectiſſimè huic repoſuit Zacchias *QQ. Medico-legal. lib.* 9. *tit.* 2. *q. un. n.* 5. 6. & 7. quod adjecta vox *Cæſareus* rem ſatis diſtinguat & liquidiſſimè ſignificet non de *partu* quæ ex actione aut matris aut infantis proficiſcitur ſed de *cæſo* hic agi, & partum pro infante & fœtu in utero exiſtente dici *l.* 1. *§. ex hoc. ff. de ventre inſpic. l.* 9. §. 1. *ff. ad L. Falcid. l.* 7. *ff. de ſtatu hom.*

5. Bono augurio ſic credebantur in luminis auras produci. Plinius 7. *hiſtor. nat.* 9. locuples eam in rem teſtis: *Auſpicatius enectâ matre gignuntur, ſicut Scipio Africanus prior natus priorque Cæſarum à cæſo matris utero dictus. Quâ de cauſâ & cæſones appellati. Simili modo & Manlius, qui Carthaginem cum exercitu intravit:* Edoardum Angliæ Regem ſic quoque in viventium hominum cœtum protractum fuiſſe narratur.

6. Hæc ſectio non tantum in cadavere reperto inſtituenda ſed & nunquam prætermittenda ſi fœmina in ipſo puerperio enecta vel partui proxima defuncta ſit. Nam & is homo qui exciſo utero edi poteſt. *arg. l.* 141. *ff. de V. S.* Quâ in re tamen Iliacos peccatur intra muros & extra. Et multi hodiè reperiuntur, qui dum uxores amittunt, non modò non ſolliciti de partu, quem tamen in utero vivere & ſummis conatibus in lucem prodire velle obſervant, ſed & eum exſtingui patiuntur præſertim proletarii & viliores, quod ipſis natus infans multo oneri futurus eſſet, de quâ re exempla nefanda aliquandò audivi.

7. Ut meritò quis cum Mornacio *ad l.* 2. *ff. de mort. infer.* & Brunnemanno. *ad d. l.* 2. *n.* 1. flagitet rationem ſanctionis Regiæ cum ipſâ fere urbe Româ natæ, quæ *mulierem, quæ prægnans mortua ſit, humari poſſe* negat,

K

negat, antequam partus ei excidatur: qui contra fecerit ſpem animantis cum gravidâ peremiſſe videtur uti Marcellus eam refert in *d. l. 2. ff. de mort. infer.*

8. Et quæ aliàs ratio cur prægnantis mulieris damnatæ pœna differtur quoad pariat, nec quæſtio de eâ habeatur, quamdiu prægnans eſt? *l. 3. ff. de pœn. l. 18. ff. de ſtatu hom.* Farinac. *fragm. crim. p. 1. lit. C. n. 611.* Jul. Clarius *d. §. ult. q. 97. n. 5.* Bajard. *ibid. n. 3.* Quod in tantum verum eſſe, ut etiamſi prægnans ſit unâ die, nec tamen morte mulctari poſſit, ſcribit Sebaſt. Medices. *Mors omn. ſolv. p. 1. n. 153.*

9. Quem ſequi malo quàm in alia omnia Pauli Zacchiæ ire, qui *d. q. un. n. 20.* ſcribit matrem damnatam ad mortem vivam ſecandam ut partus ei extrahatur, quod & inhumanum & rigoroſum nimis ipſe tamen eſſe fatetur.

10. Non enim ſpes animantis certior dubio eventui, qui ex ſecto utero evenit, ſubjicienda. Deinde cruciatus majores per hanc ſectionem pateretur mulier quam ſi ultimo ſupplicio adficeretur, quibus de cauſis id & à juris ratione abhorrens nec unquam aut usquam uſu receptum. *arg. l. 8. C. ad L. Iul. de vi publ.* Carpzov. *p. 3. prax. crim. q. 137. n. 21. 29. & 30.* His non obſtat locus *Geneſ.* 38. 24. Nec enim Jehuda imperat adduci Thamarem ut ilicò igne abſumeretur, ſed ut cuſtodiæ traderetur donec peperiſſet & ſic poſteà pœnam non evaderet. Calixtus. *hiſt. Ioſeph. p. 10.* Vel dicendum ante leges ſcriptas principio rerum gentium nationumque omnia manu à principibus in rep. & familiâ viris gubernata fuiſſe *arg. l. 2. pr. ff. de O. I. Iuſtin. hiſtor. 1. c. 1.* Aut denique ajamus quemlibet tunc feciſſe quod ſibi juſtum videbatur. *arg. Iudicum 21. 25.*

11. Illud autem facilè largior Zacchiæ *d. q. n. 18.* docenti, quod ſeptimeſtris ex ſecto matris utero extractus non ita vitalis ſit quàm is qui ordine naturæ ordinario naſcitur. Quamvis nec exempla in contrarium deſint. Nam Gregorius XIV. Pontifex Max. è mortuæ matris alvo ſeptimo menſe extractus fertur.

12. Si ergò maritus vel neceſſarii mulieris mortuæ negligant dolo malo iſtam ſectionem, quandò fœtus ad id tempus pervenit ut vivere poſſit aut id ex motu percipitur ne cauſentur ſe tempus ignoraſſe, atque liquidò de morte matris conſtet, tunc eâ pœnâ tenentur

tur quæ legibus moribusque conſtituta in eos qui abigunt partum viventem. *arg. d. l. 2. ff. de mort. infer. junct. l. 39. ff. de pœn. Nemeſ. Carol. art.* 133. Quod ſi ex ruſticitate id omiſſum relegatio aut gravior pœna pecuniaria locum habere poteſt. *arg. l. 4. ff. de extraord. crim. l. 8. ff. ad L. Corn. de ſicar.*

14. Quâ ratione autem iſta ſectio fieri debeat, id nos invenimus apud Rod. de Caſtro *d. lib. 4. c. 6.* ubi docet quod matris os & genitalia patentia ſervanda, ut per has vias reſpirare infans queat, deinde hypochondrium ſiniſtrum eſſe incidendum, quod dextrum latus propter hepar ſubjectum manum tàm liberam non admittat, & proſpiciendum, ut dum extrahitur fœtus ſpina tota obſtetricis palmæ incumbat ne articuli diſtorqueantur.

CAPUT XXVIII.

Ex duobus pluribusve ſimul exſtinctis quis prior mortuus intelligatur? Mornanius *notatus &* Tacitus *explicatus nec non* Ulpianus.

1. EVenit aliquandò ut plures vel fulmine icti vel lapſu, ruinâ, naufragio aut fumo vel fœtore vel peſte cum nemo adſit, pereant atque ita propter ſucceſſionem, ſi conjuges ſint aut parentes & liberi, inter eorum heredes controverſia oriatur, quis eorum prior deceſſerit? His caſibus ſi in ruinâ excipias caſum majorem quo caput corpusve contritum, homines ex præcluſâ reſpiratione & ſuffocatos mori certum eſt. Quâ de cauſâ in iis ea capienda eſt præſumptio quæ à majore vel minore reſpirationis læſione trahitur. Zacchias *lib. 5. QQ. Medico-legal. tit. 2. q. 12. n. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. & 20.* Petr. Laſena *in Cleombroto. c. 8.*

2. Sed idem dici nequit de iis qui ſimul veneno exſtincti aut in bello vel aggreſſu occiderunt. Hinc evenit ut tunc aliunde conjecturæ capiendæ ſint. In quibus aliter JCti aliter verò Medici operam ponunt. Civilis ſapientiæ magiſtri in his caſibus ſi pariter deceſſerint nec appareat quis antè ſpiritum emiſit, non videri alterum alteri ſuperviſſe pro regulâ ponunt. *l. 16. l. 17. & l. 18. ff. de reb. dub.*

3. Ex hoc firmamento inferunt, quod ſi inſtituto civitatis aut pacto dotali contineatur, ut maritus conjugis *præmorientis* dotem vel ejus partem lucretur, illud ei non cedere ſi pariter mortui fuerint.

Caſtrens. *ad l.* 9. *§.* 3. *ff. cod.* Rol. à Valle *de Lucro dotis q.* 60. *n.* 6. Mevius *ad Ius Lubec. lib.* 2. *tit.* 2. *art.* 12. *n.* 434. Cl. Brunneman. *ad d. l.* 9. *n.* 15. *& ſeq.*

4. Hæc autem regula vitiatur ſi conjecturæ & circumſtantiæ adſint quæ contrariam inducant præſumptionem. Wiſſenbach. *ad d. tit. ff. de reb. dub. n. ult.* Prima eſt quæ trahitur ab ætate atque ita filium puberem patri ſupervixiſſe, impuberem verò ante genitorem mortuum intelligi volunt. *l.* 9. *§.* 4. *ff. d. t.*

5. Fœdere hujus diſtinctionis diſſidium quod eſt inter Cæſarem Hadrianum apud Tryphoninum *in d. l.* 9 *§.* 1. & Ulpianum *in l.* 17. *§.* 7. *ff. ad SC. Trebell.* componere conati fuerunt Accurſ. *ad. d. §.* 7. Donell. *lib.* 8 *Comment. ad d. l.* 9. *§.* 1.

6. Aſt id ferre nolunt Menoch. *lib.* 6. *præſumt.* 50. *n.* 21. 22. *&* 23. & Nicol. de Paſſer. à Genoa *concil. cunct. leg. ad d. ll. n.* 8. *p.* 495. Et ille quidem Hadrianum capit de luctuoſâ filii hereditate, ad quam ut mater admittatur natô ſupervixiſſe ſtatuatur.

7. Hunc autem pulcherrimis rationibus per Eman. à Coſta confutatum eſſe ſcribit Nicol. de Paſſer. *d. l. n* 33. Qui cùm adhuc alios tredecim pacandi modos adtuliſſet & rejeciſſet; tandem cum memorato Eman. à Coſtâ ratione filii puberis dividit *d. l. n* 42. 43 44. *&* 45. inter diſpoſitionem legis, *d. l.* 9. *§.* 1. *ff. de reb. dub.* & hominis: *d. l.* 17. *§.* 7. *ff. ad SC. Trebell.* impuberem verò ſemper ante patrem deceſſiſſe intelligit. *d. l.* 9. *§.* 4.

8. Hoc autem probandum non videtur, quia in *d. l.* 17. *§.* 7. agitur de fideicommiſſo, quo nil magis favorabile, neque ideò contra naturæ ordinem filius creditur ſupervixiſſe parenti, quod ibi ſermo ſit de diſpoſitione hominis, ſed ut intelligatur fideicommiſſi conditio *ſi ſine liberis deceſſerit* adimpleta, pater nato ſupervixiſſe dicitur.

9. Ut ergò vel ſecunda conjectura capienda ſit à favore fideicommiſſi, vel diſtinguendum ſit, an pater cum filio perierit *in bello*, an verò *naufragio, vel ruinâ vel aggreſſu vel quo alio modo*? & de priore caſu Cæſar in *d. l.* 9. *§.* 1. de poſteriore autem Ulpianus in *d. l.* 17. *§.* 7. capiatur. Ludov. Charondas 1. *Veriſimil.* 21.

10. Cujus rationes diſparitatis rejicit Nicol. de Paſſer. *d. l. n.* 41. quia Ulpianus dicit *vel quo alio modo* & nominatim *aggreſſum* quoque com-

complectitur ſuo reſponſo & major temeritas atque audacia ſpectari poſſit in filio quàm patre atque ideò is ante hunc mortuus intelligi debeat.

11. Quamobrem nova ratio quærenda per quam iſta diſtinctio firmetur. Erit fortaſſis hæc quod *in bello* mori non ſemper ſit in acie decedere ſed quoque occaſione belli perire *l.* 18. *ff. de excuſ. tut.* Jam verò naturaliter non tantum ſed & experientiâ didicimus, quod direptis hoſtili manu urbibus miſeratione ætatis tardius in liberos quàm parentes ſævitum fuerit nec iſti ad internecionem rapti, niſi cum manum ferro conſerere viſi aut rabie militum poſteà trucidati quod per arma parentum aut tribunos aut multos commilitones amiſiſſent.

12. Hanc meam ſententiam in miſeratione ætatis fundatam, non parum juvat res judicata tribunalis Lutetiani, quâ fuit 14. *Aug.* 1591. deciſum, quod patre & filio occiſis *anno* 1589. diene falſo omnium ſanctorum, natus genitori ſupervixiſſe crederetur. Jean Bacquet *des droits de Iuſtice c.* 21. *n.* 308.

13. Neque his obſtat quod Ulpianus ait *alio modo*: id enim de ſimili modo, in quo miſeratio iſta locum non habet, intelligendum. Nec quoque me movet verbum *aggreſſus* quo idem utitur. Id enim pertinet ad filium qui cum patre eſt in acie, in quâ hoſtis nec ætati parcit nec parcere poteſt, quippe cum telis nemo ponere queat modum & occidamus obvios à quibus vis infertur.

14. Quin & id ſpectat ad patrem & filium qui in latrones inciderunt, hi enim promiſcuâ cæde graſſantur in viatores, contrà miles & ætate ad miſerationem movetur & filio ad tempus parcit vel quod non ita peccaverit ut pater vel quod utilior quàm hic ad bellum & operas victori præſtandas. Quandò ergò hæ circumſtantiæ ceſſant & caſu mero pariter filius & pater deceſſerunt tunc filius ante patrem mortuus intelligitur. *d. l.* 17. §. 7.

15. Sic cum *die* 22. *Decembr.* 1596. Sequana ſublicii pontis molitorum caſu abſtuliſſet centum & quadraginta ferè incolas Lutetianos, jocante eorum parte maximâ inter epulas connubii aditiales, atque avia & neptis ſimul periiſſent, Præfecti Pariſienſis ſententia, quâ hæc annum agens quartum decimum viſa fuerat aviæ ſuæ ſupervixiſſe poſteà Senatus conſulto 5. *Ian.* 1599. fuit correcta.

K 3 Anton.

Anton. Mornac. *ad l. 26. pr. ff. de pact. dotal.* ubi adducit Choppinum *ad conſuet. And. lib. 1. tit. 6. c. 73. p. 573. & ſeq.*

16. Ait autem Mornacius quod Senatus fuerit motus in re iſtâ dubiâ naturalem iſtum ordinem, quem mirè deſcribit Tacitus 16. *Annal.* 10. & 11. Cum enim narraſſet quod L. Vetus ſocruſque ejus Sextia & Pollutia filia eodem in cubiculo eodem ferro abſcidiſſent venas balneiſque inlati eſſent, ſtatim ſubjicit, *Servavitque ordinem fortuna: ac ſenior primus, tunc cui prima ætas exſtinguuntur:*

17. Hoc autem ſi tolerabile, brevi de juris diſciplinâ triumphabunt literatores, quibus difficile non erit ex annalium conditoribus veterumque chartis nobis pro hiſtoriis traditis aliquid adferre quod cum civili noſtra ſapientia pugnat, cum tamen vel ipſo Quintiliano 2. *Inſt. orat.* 5. teſte multa in illis ſcriptis falſa & in ſpeciem compoſita oratione exſtent, ut nefas ſit legum faſces ſubmittere exemplis, quorum momenta & veritas nobis latent, quippe cum nec ea quæ & novimus & vidimus ad conſequentiam trahenda ſint. *l. 13. C. de ſent. & interlocut.*

18. Mornacio & aliis nimis ſuperſtitioſè bonorum auctorum loca crepantibus jure allegatur iſtud quod Pomponius *in l. 2. §* 40. *ff. de O. I.* de Cœlio Antipatro ſcribit. Quod enim adfectato hiſtoriarum ſtudio plus æquo in hoc argumento indulſerit eruditiſſimus iſte Gallus, ipſo vel Tacito judice vincam.

19. Nam in memorato SCto Pariſienſi agebatur de aviâ & nepte quæ caſu perierant ejuſmodi per quem eodem momento ambæ mori potuerunt. Tractabatur ibi de genere mortis, quod ipſæ non præparaverant ſed ad quod fato trahebantur. Tacitus verò non tantum agit de nece quam ſpontè ſubierant ſed & in quâ inferendâ ordinem ſervarunt, ait enim quod *eodem ferro* venas abſciderant.

20. Non mirum ergò eſt ſi *ſenior primus* tanquàm vitæ pertæſus & exemplo cæteris futurus *tunc cui prima ætas* ad audendum promptior prius exſtinguebantur. Diſparitatis ratio quoque à diverſo mortis genere manifeſtè ſe prodit. Abſciſſis enim venis ſeniorem citius emoriturum quàm juvenem quis non intelligit? Huic robuſta maturitas vires addit, illi anima precaria facilius divortium minatur, Zacchias *d. q. 12. n. 14.*

21. Pru-

21. Prudentes ergò minimè ſunt illi, qui locos veterum eò momenti valituros volunt ut legem vincant aut rationem eosque cum jure committunt antequàm argumenta eorum benè examinaverint aut intellexerint ipſi.

22. Ex animi ſententiâ dico me multum ſeverioribus ſtudiis tribuere & me hortari ſemper meos diſcipulos, ut ſeverâ lectione bonorum auctorum animos mitigent, quin & illud largior ambabus manibus neminem perfectam juris cognitionem adſequi poſſe, qui politiore literatura inſtructus non ſit, cujus & ego me ſtudioſum profiteor. Id autem minimè reor leges, quæ ſacroſanctæ videri cunctis debent, hiſtoriarum vel annalium conditoribus faſces debere ſubmittere.

23. Non ergò ex adducto Taciti loco æquitas iſti Senatus conſulto per quod dictum fuit aviam nepti ſupervixiſſe, defendi poteſt. Et niſi me fallit animus, ut tandem id quod ſentio adjiciam, Tacitus planè contrarium adfert exemplum, tum quod ſcribat *ſeniorem primum* fuiſſe exſtinctum, tum quòd *fortuna ordinem ſervavit.*

24. Hic autem dubio procul ipſi ordo eſt, quem vel natura vel audacia conſtituit. Si de ordine naturæ loqui ſentit, filiam patri ſupervixiſſe confirmat. *arg. l.* 15. *pr. ff. dè inoff. teſtam.* Tiraquell. *de jure primogen. q.* 17. *opin.* 11. *n.* 13. Nec malè id conlegit ex ordine audaciæ, hæc enim major in viris quàm fœminis.

25. Tutiſſimum ergò fore arbitror ſi in iis caſibus, quibus duo pluresve pariter deceſſiſſe dicantur, non ex memoratis legum fragmentis Triboniani facinore nobis tantum ſuperſtitibus, judicemus ſed & prætereà conjecturas quæramus in Medicorum & Philoſophorum ſcriptis, de quibus proximo capite ediſſertare pergam. Non longè abit ab iis, quæ pro Taciti mente dixi, ejus paraphraſtes Gallus Perrot d'Ablancourt cum ſcribit, *Mais la fortune garda l'ordre de la nature & la vieille mourut la premiere, & en ſuite le pere & la fille :*

Caput XXIX.

Quemadmodum ex inſpectione cadaverum & conditione perſonarum earumque ætate, ſexu & valetudine æſtimari poſſit quis prior defunctus inter plures qui eodem genere lethi perierunt?

1. Conjecturæ iſtæ deſumuntur autem vel ex conditione perſonarum pariter exſtinctarum vel ex eorum cadaveribus, ſi reperta

reperta fuerint. Per conditionem perſonarum intelligimus ætatem, temperamentum, corporis habitum atque ejus vires, ſexum, timorem & valetudinem. Zacchias *d. q.* 12. *n.* 13.

2. Ætas primò in ſcenam prodit. Eſt autem alia nimis tenera alia provecta, alia verò robuſta. Si nimis teneræ ætatis homo ſimul deceſſerit cum alio qui robuſtioris ſit, tunc iſtum prius exſtinctum dicimus, etiamſi enim proximus ſit origini ſuæ, & multo abundet calore, obruitur tamen facilè à nimio humidi, ut citò virtus eorum ſolvatur, atque ideò ubi ex pari caſu parentes cum infantibus perierunt, hos prius quam genitores exſtinctos jura volunt. *l. 26. pr. ff. de pact. dotal. l. 9. §. fi. l. 23. ff. de reb. dub.*

3. Rationes & has adfert Menochius 5. *præſ.* 50. *n.* 30. quod metus in impubere major & minus ferre dolorem queat nec propter corporis vires exiguas malo reſiſtere diu poſſit. Pro quâ ſententiâ plures quoque adducit veluti Joan. Andreæ, Dynum, Oldradum, Socinum & Alciatum *reg. 1. præſumt.* 49. *n.* 1. Donellum *in d. l. 9. §.* 1. Couvarruv. 2 *var. reſol.* 7. *n.* 9. Quibus adjice Peregrinum 6. *conſil.* 99. *n.* 50. Accurſium, Eman. à Coſta & Nicol. de Paſſeribus à me adductos *c.* 28. *n.* 6 *&* 7. atque Vinc. de Franchis *deciſ.* 454. *per tot.* qui poſtremus agit de matre & filiis duobus impuberibus fulmine exſtinctis.

4. Quod ſi ætas unius ſit provectior, tunc hunc prius deceſſiſſe ajemus quàm illum qui robuſtæ maturitatis ſit, quod ex ratione repræſentatâ *in c.* 28. *n.* 20. facile cuivis obſervitare, atque eò pertinent, *d. l.* 9. §. 4. *in pr. l.* 22. *ff. d. t.* & fortaſſis eò referri poſſunt quoque exempla tàm ex Tacito quam Bacqueto memorata. *d. c.* 28. *n.* 12. *&* 15.

5. Sequitur temperamentum, cui id fuit melius is alteri ſupervixiſſe præſumitur. Qua de cauſa calidi & humidi temperamenti vel quod ex iſtis oritur, ſanguinei, etiamque calidi & ſicci ſi unus fuerit, is quia majore & meliore ſpirituum copiâ abundat, atque ideò diutius inimicæ cauſæ reſiſtere valet, ſupervixiſſe cenſetur alteri, cui erat temperamentum frigidum & humidum vel frigidum & ſiccum atque ideò pituitoſus & melancholicus fuit. Zacchias. *d. q.* 12. *n.* 15.

6. Cor-

Digitized by Google

6. Corporis habitus quoque ſpectandus. Is verò bonus eſt habitus qui medius inter obeſum & gracilem. Quod ſi ergò obeſus fuerit unus alter autem gracilis, non hic ſed ille, ſive pinguedinem habeat à naturâ ſive propter nimium cibum & potum, propter viarum anguſtiam citius periiſſe dicetur. Si uterque obeſus prius mortuus cenſetur qui talis per naturam fuerit, quod pauco calore & contrà alter qui ex accidenti obeſus factus multo præditus ſit. Zacchias *d. q.* 12. *n.* 16.

7. De viribus corporis nunc dicendum. Quemadmodum enim ſanus & robuſtus morbo facilè reſiſtit, *l.* 60. *ff. de re judic.* ſic & morti. Nam ex viribus major & efficacior calor oritur, per quem repellitur malum & Parcarum ira ad tempus ſiſtitur. Hinc conjectura à viribus majoribus tracta eſt urgentiſſima aliasque præſumptiones omnes vincit atque ceſſare facit.

8. Quare ſi unus ſenex ſit cui quidem temperamentum & habitus boni deſint, attamen corpore robuſtus viridique ſenectute, alter verò juvenis temperamenti habitusque optimi, viribus verò imbecellis, ex pari cauſâ hi ambo ſi deceſſerint, juvenem prius exſtinctum pronuntiabimus. Zacchias. *d. q.* 12. *n.* 17. Semper enim imbecillior prius mori præſumitur. Jaſon. *in l. filiusfam. ff. de lib. & poſthum. n.* 2. Alciat. *d. regul.* 49. *n.* 5. Peregrin. *d. conſil.* 99. *n.* 160.

9. Hæc cauſa cur filia jam nupta matri ſenio confectæ ſupervixiſſe intelligatur. *l.* 16. *pr. ff. de reb. dub.* Menoch. *d. praſ.* 50. *n.* 28. Hinc pater filio impuberi & pubes patri ſupervixiſſe creditur. *d. l.* 9. *§.* 4. *l.* 22. *l.* 23. *ff. eod.* Couvarruv. *d. c.* 7. *n.* 2. idque rebus judicatis firmat Carpzov. *p.* 3. *Iuriſpr. for. conſt.* 17. *def.* 10. & 11. *per tot.* Finckelthaus. *obſ.* 52. *n.* 9. *& ſeq.*

10. Et hæc fortè ratio fuit cur eo Senatusconſulto cujus meminit Mornacius memoratus *c.* 28. *n.* 15. avia robuſtioris naturæ fœmina nepti imbecilliori ſupervixiſſe dicta fuerit. Nam Romæ anteà idem contigerat quod Lutetiæ. Cum enim in iſtâ urbe *anno* 1450. caſu pontis S. Angeli quingenti homines ſubmerſi eſſent & pater naturâ robuſtus & fortis cum filiâ pubere tertiumque decimum agente annum ſed imbecillioris naturæ puellâ, pariter periiſſet, hanc ante genitorem mortuam cenſeri reſpondit Socinus, quem ſequuntur Menoch. *d. l. n.* 27. & Zacchias. *d. q.* 12. *n.* 18.

11. Pergamus jam ad ſexus differentiam. Cum autem ſit imbecillior mare *mulier*, eſt enim à *mollitie* appellata, *Iſidor* 11. *orig.* 2. hinc ſi ſimul cum maſculo periit, illa ante hunc mortua præſumitur. *l.* 26. *pr. ff. de pact. dot. d.* 9. *§.* 3. *ff. de reb. dub. l.* 32. *§.* 1. *ff. de religioſ. & ſumt. fun. ibique gloſſ.* Alciat. *d. regul. n.* 2. Menoch. *d. n.* 27. Couvarruv. *d. c.* 7. *n.* 2. Mornac. *ad d. l.* 26. Tiraquell. *LL. Connub.* 8. *n.* 55. Addit. ad Vinc. de Franchis *d. decis. n.* 3. Carpzov. *p.* 3. *Iuriſpr. for. conſt.* 17. *def.* 12. *n.* 3. 4. & 5.

12. Unde conlegitur, quod ſi lege aut tabulis antenuptialibus expreſſum ſit, ut maritus uxori ſine liberis mortuæ ſuccedat, heredes mariti ad mulieris bona, ſi hæc pariter cum conjuge ſuo exſtincta, admittendos eſſe. Rol. à Valle *d. q.* 60. *n.* 1. 2. & 3. Mevius *d. art.* 12. *n.* 433.

13. Hoc non aliter admitto quàm ſi naufragio ſimilive mero caſu ſimul pereant conjuges, quod ſi verò occaſione belli occidant & alia hic conjectura capi poteſt, uti de miſeratione ætatis ſcripſi. *c.* 28. *n.* 11. Qua de cauſa tunc non à ſexus diſcrimine ratio petenda, ſed ad vires corporis, temperamentum & habitum aliaque de quibus poſteà agetur, recurrendum eſt.

14. Sed nec ſi naufragio aliove ſimili leti genere, maſculus & fœmina eodem tempore pereant, dicendum videtur hinc prius mortuam eſſe, quia iis caſibus ex præcluſâ reſpiratione mors accidit, uti repræſentavi *c.* 28. *n.* 1. & 2. quam minus in ſequiore ſexu lædi propter pectoris vaſtitatem videtur. Verum hæc conjectura debilior quàm ut tollere poſſit eam quæ à viribus ſumitur cauſisque aliis veluti majore mentis trepidatione. Zacchias. *d. q.* 12. *n.* 21. Menoch. *d. l. n.* 27.

15. Hæc enim in fœminis major quàm in viris ex univerſo hominum conſenſu & noſtrorum doctrinâ. Tiraquell. *LL. Connub.* 9. *n.* 158. Quocirca mulierem & puerum ante marem & robuſtæ maturitatis perſonam exſtinctos jura præſumunt. *d. l.* 26. *ff. de pact. dot. l* 9. *§. fi. ff. de reb. dub.*

16. Terror enim facilè pellit vires & ilico. Galenus *de tremore. c.* 3. Hinc facilis ad ſyncopen progreſſus, per quam primùm pulſus imbecilles, *Galen. lib.* 2. *de Symptom. cauſ. c.* 2. & mox nulli mortem accelerant. Hanc & in pueris propter metum epilepſia antecedere ſolet. Hippocrat. *de morb. ſacr. text.* 11.

17. Ad-

17. Adjicit Zacchias tandem *d. q.* 12. *n.* 28. & 29. diſparitatem tractam à ſanitate aut morbo eorum qui ex ſimili caſu mero perierunt, quæ quamvis videatur eadem cum illâ quæ à viribus conlegitur, tamen hæc magis ad ſpeciem directa eſt, & cauſas aperit ex quibus virium defectus proficiſcitur, adcò ut hic valetudinis malæ effectus potius ſit.

18. Valetudo autem ea hic ſpectanda per quam homo imbecillior fit, atque ideò ſi unus febre malignâ alter verò aliâ correptus fuerit, iſtum prius exſtinctum dicemus. Zacchias *d. q.* 12. *n.* 29. Qui tertianâ laborat viribus magis deſtituitur quàm is qui quartanam habet, uti ipſe in perſonâ meâ didici: unde hic iſti ſupervixiſſe præſumendus eſt; *arg. l.* 60. *ff. de re judic. l.* 1. §. 8. *ff. de Ædil. edict.*

19. In primis verò iſti morbi differentiam introducunt qui cordi partibusque ſpiritualibus contrarii. Quandò ergò defectu animi, ſyncope, lipothymiâ facilè correptus fuerit unus aut quocunque aſthmatis genere laboraverit, eum ante ſanum eosque morbos vitiaque haut paſſum deceſſiſſe ajemus, quia facilius reſpiratio in ipſo præcluditur, viribus partium ad eam neceſſariarum jam ex præterito morbo vitiove fractis.

20. Capitis morbi vehementiores & præcipuè inter eos numerandi frigidi non hic prætermittendi, nam per eos calor frangitur, ut non modò magis imbecilles ſed & timidiores evadant mortales atque adeò facilius moriantur quàm ſani, uti ex dictis conſtat & tradit Zacchias *d. q.* 12. *n.* 29.

CAPUT XXX.

Perſequitur auctor enarrare argumenta per quæ conſtat uter ex pluribus prior deceſſerit. Proverbia *rectè à* JCtis *adducuntur, quos etiam* absque lege loqui poſſe *contra imperitum vulgus oſtenditur.*

1. AGere nunc pergamus de iis conjecturis, quas inſtituti noſtri ratio flagitat & ipſa cadaverum inſpectio parit. Earum aliæ ſunt certæ & indubitatæ, ſi fidem habemus Zacchiæ *d. q.* 12. *n.* 30. ſcribenti non pro conjecturis & præſumptionibus ſed firmiſſimis probationibus eas habendas eſſe.

2. In earum cenſum primò tranſcribit majores gravioresque noxias. Pluribus enim ruinâ oppreſſis, ſi primi cadaver nullo, ſecundi verò graviore, tertii autêm caput planè contritum deprehendatur, ſecun-

dum tertio & primum iſtis ambobus ſupervixiſſe ſtatuendum erit. Idem ajemus ſi tres incendio perierint & primi corpus tantùm ſuffocatum, ſecundi flammis prætereà exuſtum, tertii autem inſigni aliquâ parte igne abſumptum fuerit.

3. Nec aliter pronuntiabimus de pluribus peſte correptis. Si enim primi cadaver habeat nullum inſignitioris putredinis ſignum, ſecundi peticulis partiumque livore, tertii verò ulceribus & bubonibus conſpicuum, hunc ante illos & ſecundum ante primum exſtinctum conlegere eſt facile. Zacchias. *d. q.* 12. *n.* 31.

4. Alterum à vi cauſæ necem adferentis argumentum petitur. Qui enim incendio ignisque fumique nec non fœtoris origini fuit proximior, is prius mortuus cenſetur quàm ille qui longius ab eo diſtabat, uti naturaliter quilibet intelligit, nec ideò tunc ad vires, ſexum, habitum aliasque conjecturas ſimiles recurrimus, cum has cunctas vincat hoc noſtrum argumentum ſecundum, uti docet Zacchias *d. q.* 12. *n.* 32.

5. Tertium conlegitur ex calore aut frigore cadaveris. Nam ſi id mortali frigido rigeat, is cujus eſt, prius extinctus dicetur quam alter in cujus cadavere calor adhuc palpatur, ſi modò cætera ſint paria nec unus ſenex alter juvenis fuerit, nam ex mero caſu eodem ſi deceſſerint ambo & hic paulò ante decrepitæ ætatis hominem occiderit, tamen hujus juvenis corpus diutius calidum manebit quam ſenis, quare tunc ad alias conjecturas tranſire oportet. Zacchias *d. l. n.* 35.

6. Porrò ſi duo in cubiculo reperiantur mortui, & ex cadaverum inſpectione adpareat, quod unus febre putridâ vel convulſione alter hydrope morbove ſimili exſtinctus, hunc ante iſtum deceſſiſſe creditur, quia ex convulſione defuncti manent calidi. Galen. *lib.* 1. *de præſag. ex pulſ. c.* 4. Hippocrat. 4. *Epidem.* 81.

7. Illi verò qui naufragio ſimilive mero caſu ſuffocati pereunt, ſemper uti præfatus *c.* 28. *n.* 1. cum ſyncope moriantur, frigidi ilicò fiunt, ut vix circa eorum cadavera hæc conjectura capi poſſit, quia & juvenis prius mortuus magis diu calorem retinet, adeò ut non niſi cum cætera paria ſint & eodem momento periiſſe proponantur, huic argumento locus eſſe poſſit.

8. Si vero in bello, adgreſſu aut tumultu plures ceciderint, in cadaveris inſpectione obſervandum an paria vulnera habeant & tunc ſuper-

ſupervixiſſe cæteris dicetur in cujus cadavere major deprehenditur calor, ſi diſparia cæteris paribus is alteri ſuperſtes fuiſſe cenſebitur qui vulnus non adeò letale habet etiamſi ejus cadaver propter effuſam ſanguinis copiam citius frigidum evaſerit. Zacchias *d. q.* 12. *n.* 25.

9. Calor etiam naturalis hic ab adventitio ſeparandus eſt. Nam corpora obeſiora facilius frigida etiam poſt obitum fiunt quàm graciliora, hæc enim & ſicca & calorem habent vehementem atque acutum, & tamen obeſiora procliviora in putredinem, evenit ut citius tunc iterum calorem, qui illam provocat, contrahant, ideoque ex corruptione & fœtore æſtimabimus an adventitius ſit calor. Zacchias. *d. l. n.* 36.

10. Quarta conjectura capitur à membrorum conditione maximè rigidâ. Si enim cætera pares qui ſimul perierunt, is cujus corpus vehementer rigidum ante alterum, quando hujus membra flecti queunt, deceſſiſſe intelligitur. Quod ſi autem inter eos ratione ſexus, ætatis, habitus aut temperamenti diſparitas ſit nil firmiter inde infertur, nam cadavera ſenum citius quàm juvenum frigida fiunt, & ea affectio magis citò occupat corpora virorum, perſonarum gracilium, eorumque qui temperamenti ſicci & bello aut incendio exſtincti quàm fœminarum, obeſorum, humidorumve hominum atque eorum qui in aquis perierunt. Zacchias *d. q.* 12. *n.* 37.

11. Poſt calorem & rigorem ſequitur color, qui quintum præbet nobis argumentum. Licet enim pallida ilicò à morte fiant cadavera, ut cadaveroſa facies pro pallidâ veteribus fuerit dicta, tamen tempore color ille augetur, & prior mortuus dicendus is in cujus corpore teter luridusque adparet & ſupervixiſſe cenſetur alter in quo conſpicitur color non adeò alienus ab eo quem viventes habent, niſi hic ex putredine uti anteà quoque de calore dictum, ortum habeat. Zacchias *d. q.* 12. *n.* 51. *&* 52.

12. Ipſa ergò putredo pro ſexto indicio celerioris mortis nobis eſſe debet ſi cætera ſint paria. Nam aliàs cadaver hominis temperamento ſanguineo præditi citius eam contrahit quàm id quod ejus eſt qui naturâ calidus & ſiccus erat. Torreblanca *epit. delict. lib.* 2. *c.* 24. *n.* 3. Fœminæ cadaver corrumpitur, quod humido ea abundarit, facilius quàm maris.

13. Celeriter etiam putredine corripitur corpus ejus qui globo ex tormento aut ſclopeto ictus periit, quod per ejuſmodi vulnus contuſio

fiat, unde putredo in eâ parte læſâ & facilis ad reliquas progreſſus. Alphons. Ferrus *lib. 1. de ſclopet. vulner. c. 2.* Contrà cadavera eorum qui ferro interempti diu incorrupta manent. Zacchias *d. q.* 12. *n.* 43. Rationem hujus rei adſignat *lib. 4. tit. 1. QQ. Medico-legal.* 10. *n.* 22. quod multum ſanguinem illi amittant.

14. Quid ergò ſi vulnus ventri illatum & ilicò vel abdominis vel inteſtinorum pars ei objecta ſtiterit ſanguinem? uti non ſemel ex cadaverum inſpectione obſervavi. Hoc ſanè caſu ſi corpus illud prius putredine corripiatur quàm alterius qui eodem tempore ferro quoque necatus, non tamen hunc ſupervixiſſe iſti ajemus, quia ceſſante cauſa & effectus ceſſat. *c. 60. x. de appellat.*

15. Morbi quoque genus aut citam aut tardiorem provocat putredinem. Tardior eſt in iis qui febre ardente vel hectica aut tabe etiamque maraſmo emoriuntur, celerior verò in illis qui peſte, febre malignâ, lue vencreâ ſimilive malo pereunt. Zacchias. *d. q.* 10. *n.* 18. & *d. q.* 12. *n.* 44.

16. Locus etiam in quo cadaver jacet, facit ut citò putreſcat. Si ergò duo pluresve eodem caſu veluti ruinâ exſtincti & unius cadaver obrutum cœmentis & tignis: alterius verò ſub dio reperiatur, non ideò hunc prius mortuum dicemus, quod putredo longè major tunc in ejus cadavere deprehendatur, nam Lunæ radiis expoſita cadavera citiſſimè corrumpuntur. Levin. Lemnius *lib. 2. de occult. nat. mirac. c. 4.* Galenus *lib. 3. de dieb. decret. c. 2. claſſ.* 4. Oribas. *ex Amyll. collect. lib. 9. c. 3.*

17. Quod autem Beda *de natura infant. fol.* 397. memoratus Petro à Caſtro *de igne lamb. p.* 27. tradit cadavera eorum qui diebus Januarii 27. 30. & 31. naſcuntur, haut corrumpi, id tanquam ſuperſtitioſum meritò *in fætu Muſſipont.* damnat Academiæ Groninganæ-Omlandicæ olim decus D. Anton. Deuſingius, quem titulo *celeberrimi* mactat & in re eâ ſequitur totumque fere ratione hujus argumenti operi ſuo inſeruit. Zacchias *d. q.* 10. *n.* 38.

18. Septimum argumentum præbet obſervatio oculorum, nam prius exſtinctus cenſebitur in cujus cadavere oculi à naturali conſtitutione recedunt quàm alter cujus oculi accedunt magis ad naturalem conſtitutionem nec offuſcati adhuc planè ſunt, ſed intuentium imaginem reddunt ex humore cryſtallino, qui in recenter exſtinctis reperitur

Digitized by Google

peritur ſed in iis qui diutius defuncti evaneſcit. Zacchias. *d. q.* 12. *n.* 49. 50. *&* 51.

19. Pro octavo argumento & fœtor eſt ſpectandus non is qui ab excrementis cadaveri defluentibus oritur ſed qui gignitur ex putredine, cujus fœtor evidentiſſimum indicium eſt, nam ilicò atque calor adventitius in corporis mortui partes agere incipit, excitat vapores putridos & peſſimè olentes.

20. Quamobrem cæteris paribus is ex duobus prius mortuus cenſetur, ex cujus cadavere prodit major acriorque odor. Sed ſi differant ætate, ſexu aliave conditione ſæpius dictâ ex hoc ſolo nil infertur, neceſſe eſt enim ut pravus odor veſtiget putredinem ſed hæc in aliis tardior in aliis verò celerior uti dixi *h. cap. n.* 12. *& ſeq.*

21. Et hæc quidem ſunt quæ ex penu Pauli Zacchiæ deprompſi, non ægrè is id feret, ſi animam adhuc trahat, cum *in d. q.* 12, *n.* 29. *in fi.* id permiſerit JCtis, ut his *addenda addere, demenda demere & corrigenda corrigere* poſſint. Non ego adeò mihi ſuffenus ut inſtituam corrigere ea quæ vir ille celeberrimus literis conſignavit, in gratiam tamen eorum, qui ſæpè eo auctore carent aut prolixo ſermone deterrentur in pauciora contuli quæ ille doctè ediſſertavit, quâ in re bonâ fide me egiſſe ajent cuncti boni, quia ubique laudati ſcriptoris memini.

22. Præfatis argumentis addamus pro nono quod ex cadaverum ſitu trahitur. Nam illi qui mortui reperiuntur in imâ navis parte facto naufragio citius periiſſe quàm eos qui ſuperiore jacent, dicendi, ſi navis rectà fundum petierit. Ruinâ ædium ſi plures occiderint, is diutius vixiſſe intelligitur qui non uti alter, oppreſſus invenitur ſed eo loco in quo veſci aurâ vel leviſſimâ potuit, fortiusque id dicemus ſi loco cavo præcluſus majorque reſpirandi facultas ei fuit.

23. Supervixiſſe & eum hoc caſu defenditur, qui manibus, pedibus, humeris atque adeò toto corpore cum mole luctatus eamque à ſe abjicere voluit, quod extremitates digitorum non tantum pari ratione qua id de ſubmerſis ait Roder. à Caſtro adductus *c.* 21. *n.* 6. ſed & cadaveris forma oſtendit. Nam ſi compoſitas habeat manus aut capillis conſertas, eum non ſtatim fuiſſe mortuum, ſed illo caſu hominis pii poſteriore verò deſperatæ mentis perſonam referre videbitur.

24. Duobus pluribusve peſte aliove morbo exſtinctis, hic cæteris ſupervixiſſe probabitur qui amictus reperitur cum alii nudi aut lino involuti

involuti ſint. Similiter ſi ſarcophagis alii inditi juſtaque domeſtica acceperint & unius cadaver non compoſitum in lecto aut pavimento inveniatur, hunc aliis ante ſe mortuis triſte officium præſtitiſſe illisque ſupervixiſſe ſtatuendum erit.

25. Cur autem JCti ita ſolliciti fuerint in inveſtigationem ejus, quis prior exſtinctus ſit, cum tamen poſtremus hereditatem non aditam transmittere non poſſit? Sed ſcire nos oportet hujus heredi reſtitutionem in integrum dandam *ex l. Pannonius. 36. ff. de adq. hered.* Sfortia Oddus *de reſtit. in integr. q. 63. art. 6.* Petr. Barboſa. *ad l. 14. ff. ſol. matr. n. 60.* Brunneman. *ad d. l. 9. n. ult.*

26. Hæc quidem quæ adtuli explicatè magis dicta videntur quàm illa quæ Paul. Zacchias tradidit, cujus tamen doctrina hac in re totâ cunctis obſervanda, nam ex conlatione plurium argumentorum id quod vero magis ſimile judicandum monet, quid quod hic valere debeat illud; *& quæ non proſunt ſingula multa juvant.*

27. Hujus generis proverbia Jureconſultus rectè adducit etiamſi à ruſticis eſſent prolata. *l. 79. §. 1. ff. de legat. 3.* Impunè etiam ſpernere poteſt legem vel auctoritatem aliorum, ſi verſetur in argumento quod naturali ratione conſtat, uti ex aliis alibi docui. Tiraquell. *tract. ceſſante cauſa lim. 1. n. 73. & ſeq.* Imperitè ergò aliarum diſciplinarum profeſſores nobis imputant ac ſi erubeſcere deberemus, ſi absque lege loquamur. Scio ei errori anſam dediſſe Juſtinianum *in Nov. 18. c. 5.*

28. Sed nemo non videt ſi videt eam conſtitutionem, quàm imbecillis ſit argumentatio inde deſumpta. Loquitur enim ibi Auguſtus noſter de ſe ipſo & dicit ſe non poſſe alicujus rei obſervantiam à mortalibus flagitare, ſi hoc non cum lege agat eamque non ſanciat, ut univerſi ejus præſcripto cognito ſciant, quid eos facere oporteat. *l. 9. C. de legib.*

29. Aliàs multa dicimus & docemus quæ legum verbis expreſſa non ſunt, nec enim omnes articuli illis comprehendi poſſunt, *l. 12. ff. de l.* ſed interpretatione ſuppleri debent. *l. 13. ff. eod.* In quâ re ſolum JCti officium conſiſtit non ut ſutor ad formam calceos facit, is quoque caſus legum verbis deciſos tantum noſſe debet. *l. 17. ff. d. t.*

30. Sed ex ſententiâ earum ad ſimilia progredi hic labor eſt prudentis, qui & tunc ex legibus reſpondiſſe dicetur ſi earum mentem ſecutus ſit. *l. 6. §. 1. ff. de V. S. arg. l. 2. §. 18. C. de V. I. E.*

CAP. XXXI.

CAPUT XXXI.
DISPUTATIO V.

Reſp. Albr. Tobiâ Von Linſtou, *Eq. Meklenburg.*

Mors *probatur inſtrumento de cadaveris inſpectione confecto vel teſtibus qui eam fieri viderunt aut funus ſecuti ſunt.* Unus teſtis *ſufficit ſi de morte occultâ, agatur ubi & explicatur quæ mors* occulta? Jus Ebræorum *adducitum atque de re* ſacroſancta *conjectura. Mors aliquandò putatur homini viventi eveniſſe uti variis argumentis & noviſſimo exemplo quod* Veſaliæ in Clivis *accidit firmatur atque ſimul demonſtratur quemadmodum refutari poſſit inſtrumentum publicum.*

1. QUi ergò adcuratè vult videri inſpexiſſe cadaver is ad ea omnia argumenta cunctamque diverſitatem mortalium attendere debet & obſervata actis judicii adſcribi curabit. Nam tunc citius ad humandum cadaver non modò progredi licet, quod jam annotata ſint quæ momentum aliquod adferre queunt, ſi quoque de hereditate mortui lis ſit vel posteà oriatur.

2. Probari quoque ſic optime poteſt mors iſtius hominis, quæ facti eſt, *l. 2. ff. de j. & f* ſed ejus veritas oſtenditur per exemplum annotationis de cadaveris inſpectione factæ, ſi id ſcribæ manu aut publico ſigno firmatum. Nam ejusmodi inſtrumenta plenam fidem merentur. Felin. Sandeus *ad. c.* 13. *x. de probat. n.* 7. Carpzov. *de proceſſ. tit.* 14. *art.* 5. *n.* 34. *& ſeq.* & pro veritate notoriâ & manifeſtâ habentur: Franc. Monald. *conſil.* 38. *n.* 13. atque ideò mortem probant. *arg. l.* 14. *verſ. cum autem ex literis. ff. de off. praeſ.* Carpzov. *lib.* 2. *Iuriſpr. conſiſt. tit.* 9. *def.* 168. *n.* 5.

3. Mors etiam per duos probatur teſtes, Bartol. *in l.* 2. *§. ſed ſi dubitetur. ff. quemadm. teſtam. aper. n.* 1. unus enim non ſufficit. *l.* 9. *§.* 1. *C. de teſtib.* Menoch. *remed.* 4. *adipiſc. poſſ. n.* 675. Beſold. *p.* 3. *conſil.* 91. *n.* 123. Carpzov. *p.* 1. *Iuriſpr. for. conſt.* 16. *def.* 37. *per tot.* Sed mortem alicujus probatam fuiſſe per hominem, qui ejus cadaver viderat ex Tibere extrahi, refert Joſeph. Ludovici *p.* 1. *deciſ. Perus.* 12. *n.* 14.

4. Nec malè! Nam in re nobis propoſitâ licet duo teſtes non adſint, uno id probari poteſt, quia hic ſufficit ſi agatur de morte occultâ. *arg. Novell.* 117. *c.* 11. *c.* 19. *x. de ſponſal. auth. Hodie quantiscunque. C. de repud.* Gilhauſen. *arb. judic. civ. c.* 6. *part.* 1. §. 325. *n.* 1. *verſ.*

penult. Ant. Gabriel. Roman. *lib.* 1. *de teſtib. concl.* 1. *n.* 33. Ea autem mors cenſetur occulta, ſi quis in loco remotiore, mari, acie aut morbo contagioſo deceſſiſſe proponatur. Carpzov. *d. tit.* 9. *def.* 167. *n.* 2. *& d. conſt.* 16. *def.* 38. *n.* 6.

5. Et hæc probatio per unum teſtem firma ut viduæ iterum nubendi facultas permittatur. *all.* N. 117. *c.* 11. Finckelthaus. *obſ.* 85. *n.* 3. *& ſeq.* Carpzov. *d. d f.* 167. *n.* 4. *ſeq.* Boer. *deciſ. Burdegal.* 288. *n.* 1. Richter. *ad d. auth. n.* 13. Apud Ebræos duo teſtes ad id neceſſarii, uti eſt in Cod. *Iephamot. c.* 16. *haiſcha bathra.* Ubi tamen id reſtringitur ad caſum quo maritus in ſtagnum vel lacum lapſus eſſet, ſi enim intra horæ ſpatium tunc ex aquis non vivus redeat, mulieri ilicò nubendi poteſtas datur.

6. Ex Boerio autem infertur, quod idem ſervandum ſit, ſi de alicujus hereditate agatur, nam ſecundæ iſtæ nuptiæ ipſi non minus, optimâ ſanè ratione! res magni præjudicii cenſentur quàm ſucceſſiones in bona mortui. Imò amplius docet Boerius *d. l. n.* 2. quod ſi in mari quis perierit, ejus mortem probari poſſe per eos, qui ei rei non interfuerunt.

7. Quod non aliter intelligo quàm ſi nautæ & magiſter in loco proximo ad perpetuam rei memoriam examinati ſint, *l.* 2. *&* 3. *C. de naufrag.* & inde famâ id alii acceperint. Nominatim autem uno teſte probari mortem naufragorum, ſi is ſolus emerſerit ex luctuoſiſſimo iſto caſu, poſt Wameſium tradit Ant. Perez *ad C. d. t. n.* 10. *&* 11. quem etiam ſequitur Brunneman *ad d. l.* 3.

8. Certior erit probatio ſi teſtis dicat ſe ejus cadaver vidiſſe aut ſecutum fuiſſe mortui funus. Boer. *d. deciſ. n.* 2. Maſcard. *de probat. vol.* 2. *Concl.* 1075 *n.* 6. Carpzov. *p.* 2. *prax. crim. q.* 58. *n.* 45. *&* 46. *& d. tit.* 9. *def.* 167. *n.* 13. *& d. def* 38. *n. ult.* Quod ſi tamen is reſuſcitatus fuerit omnia bona & priſtina jura recuperat. Sebaſt. Medices *tract. Mors omnia ſolvit. p.* 1. *n.* 95. *& p.* 3. *n.* 127. ubi plurimos adducit ſibi conſentientes & de Lazaro nominatim idem tractatum invenio apud Ferdin. Vaſquium *illuſtr. QQ. lib.* 1. *præfat. n.* 64. *& ſeq.*

9. Ut autem à morte reſurrexiſſe quis dicatur, ex naturâ privationis, ſequitur quod reverà debuerit exſtinctus fuiſſe. Paul. Zacchias *conſil.* 79. *n.* 1. Non autem verè in initio mortuum aliquem eſſe probatur, quàm ſi putredo fœtorque in corpore deprehendantur,

Zacchias

Zacchias. *d. conſil. 79. n. 2. & lib. 4. QQ. Medico-legal. tit. 1. q. 11. n. 57.*

10. Quâ ratione Martha Chriſto adfirmabat fratrem ſuum verè defunctum eſſe, quod & fœtor ejus corpus occupaverat & quatriduum exſtinctus eſſet. *Iohan.* 11. 39. Poſt hoc enim tempus calor naturalis cedit adventitio, ex quo putredinem ſequi loco ſuperiore dixi. Zacchias *d. tit.* 1. *q.* 10. *n.* 28. Et cum putredine corripi non deberet Meſſias, *Pſalm.* 16. 10. *ibique Tremell. n.* 18. ideò tertiâ die reſurrexit.

11. Num ergò ſemper donec hæc in corpore deprehendatur verè mortuus nemo dicetur? Minimè! Aliud enim ex poſtremo exemplo erudimur & præthereà accidere poteſt ut quis laqueo ſuſpenſus & in eo putredo ex frigore & gelu diu ſiſtatur. Si tamen certiſſimè de morte non conſtet ad putredinem attendamus quia poſſet defunctus videri cum tamen adhuc vivat. Accidit id aliquandò iis qui apoplexiâ, graviore epilepſiâ & ſuffocatione uteri laborabant. Zacchias *d. tit.* 1 *q.* 11. *n.* 30. & 41. In ſuſpenſis laqueo etiam nonnunquam contigit, ut dum corpora à Medicis diſſecabantur, vitæ ſigna iterum ediderint. Marcell. Donat. *hiſtor. Medic. mirab. lib. ult. c.* 9.

12. Veſaliæ ante luſtrum miles Gallus furcæ propter ſtuprum vi inlatum aliudque flagitium fixus, per publicum diſſecto ilicò laqueo, in terram lapſus & palliis togisque commilitonum fotus, rediit ad vitæ actiones. Carnifex non benè intellexerat vocem Præfecti vigilum Belgici dicentis *maeckt hem af*: quibus verbis Gallicam locutionem *deſaites le* redolentibus, monebat ut citò enecaret damnatum ſed publicus credebat imperari ſibi ut eum è trabe dejiceret. Plures pro reo interceſſionem faciebant, ſed juſſu Pradellii Gallicarum iſtarum copiarum quas Rex Chriſtianiſſimus Belgis fœderatis contra Principem Monaſterienſem auxilio miſerat, Imperatoris, longa iterum factus fuit litera, quod ſententiæ non dum fuiſſet ſatisfactum, quippe cum eâ id contineretur, ut ſi per viginti quatuor horas pependiſſet, ſecto laqueo tolleretur. Per jocum dixiſſe fertur Dux iſte, ſe preces intercedentium admiſſurum ſi tempore hoc tranſacto è furcâ ſublatus adhuc vivere deprehenderetur.

13. Illis quoque qui ex fumo carbonum, Mercurii, Arſenici rerumque ſimilium aut alio genere inſignitioris fœtoris periiſſe credebantur, idem evenit uti videre apud Schenck. *obſervat. lib.* 2. *tit. de*

id enim ſi inſici offuſcarique contingat vitæ ſed ſi eorum nil fiat mortis eſſe ſignum. Clarius autem id cognoſcimus ex ſpumâ ore ſubmerſi defluente, nam in omni ſuffocatione hæc certiſſimum mortis præbet indicium. Hippocrat. 2. *aphor.* 43.

3. Oſtendit & mortem color faciei, ſi enim is lividus & in nigrum vergens aut viridis, pro mortis ſigno id habetur. D. Piſo *de morb. cogn. & curand. lib.* 2. *c.* 12. etiam probat ſternutatoria naribus ejusmodi hominis indita, ſi enim ad hæc nullus ſequatur motus, omnis virtus periiſſe & lethum ſubſecutum fuiſſe ſtatuitur.

4. Membra ſi rigida & ſquallore atque ſiccitate conſpicua mortem quoque indicant. Zacchias. *d. q.* 11. *n.* 55. Qui tandem ex oculorum inſpectione id obſervari poſſe tradit, *d. q.* 11. *n.* 56. & 57. atque & putredinem pro principe ſigno habet. *d. q.* 11. *n.* 58.

5. De quâ &egi loco ſuperiore, cum autem & ibi dictum fuerit eam vix ſequi ante tertiam à morte diem, hinc magiſtratus curare debet ne ſubmerſi aut ſuffocati intra iſtud tempus humentur. Zacchias. *conſil.* 79. *n.* 7. Vivos enim pro mortuis elatos fuiſſe multæ hiſtoriæ probant. Schenck. 1. *obſervat. tit. de apoplexia.* Terillus *de cauſ. repent. mort. ſect.* 6. *c.* 2. Zacchias *d. conſil. n.* 5. & 19. Cl. Clauberg. *de conjunct. anim. & corp. c.* 58 *n.* 15. Ex quo diſcimus temporis intervallum certis horarum menſuris definiri nec rationem nec experientiam pati. *d. c.* 58. *n.* 13. & 14.

6. Memorabile eſt quod Coloniæ Agrippinenſi accidiſſe fertur & pictum vidi in fano quod ibi Divis Apoſtolis ſacrum. Ajunt mulierem fuiſſe humatam ejusque digito annulum relictum, hunc ut caperet libitinarius iſtam effodit manuque prehendit, fœmina ad hæc in ſandapilâ ſe levans fugat buſtuarium qui ocyus domum evadit, illa eum inſequitur ſed fruſtrà, poſteà ſumtâ lucernâ, quam iſte perterritus reliquerat, ipſa ædes mariti repetit foresque pulſat, ad hunc ſonum, is quia nox erat, interrogat qui eſſet? Fœmina ſe ejus conjugem profitetur, aſt ille primum terreri, poſteà mirari incipit & detecto errore uxorem amiculo ferali involutam in domum recipit, quam & liberis poſteà auxit & fila torſit ex quibus linteum factum, quod monumenti cauſa in memorata æde adſervatur laterique fixum cernitur.

M 3 7. Illud

7. Illud adhuc operæ precium ſcire quod infantem extractum ex mortuæ matris utero aut reperto juxta cadaver puerperæ, non ſtatim pro exſtincto habere debeamus licet nullum in eo motum aut vitæ argumentum deprehendamus, cum ex partu difficili ſæpè defunctus adpareat & tamen vel allio naribus ejus admoto vel ſi verre fricentur ejus pedum plantæ vitæ ſigna edere ſoleat, uti eveniſſe ſcio.

Caput XXXIII.

Animæ amiſſione puniendus qui cum mortuâ muliere coit. De Munia diſquiritur & indagatur an viduæ cadaver defuncti mariti adſervare volentis deſiderio indulgendum? ubi exemplum ex Petronio *allatum.*

1. Sunt & alia ad quæ judex vel is cujus curæ ea res data advertere debet. Si rumor ſparſus hominem viſum apud cadaver qui amorem quæſiverit ubi nullus eſt, advocabit obſtetrices ut de eo referant. *arg. Nemeſ. Carol. art.* 35. Et ſi de ſcelere iſto nefando hac ratione conſtiterit atque poſteà quoque liquidò adpareat quis reus ſit, tunc hic gladii pœnâ adficiendus, *l.* 31. *C. ad L. Iul. de adult.* uti reſponderunt JCC. Saxones *Conſult. conſtit. Saxon. tom.* 2. *part.* 4. *de crimin. q.* 68. *per tot.*

2. Ante viginti annos & quod excedit ejusmodi flagitium patratum fuerat à milite, qui poſt miſſionem cum malefico in agro Zutphanienſi latrocinii ſocietatem contraxerat. Primæ prædæ ceſſerat ancilla, quam cum in ſaltu Druſiburgenſi occidiſſent, tyro ſicarius ſuæ impuritati ſubjecerat, ſed ambo paulò poſt laciniis prehenſi, ſeminex latro forcipibus candentibus diſcerptus oſſique fragium vivus paſſus, ejus ſocius autem propter impuritatem nec etiam gladio ſed poſtquam & membra contuſa ei eſſent, æque ac ſenex] ſecuri capite mulctatus & uterque in rotâ ſublatus cum baculis cædum ab ipſis patratarum titulis, quorum latro ſenex plures habebat quam rota ambitu capiebat, licet viginti & amplius numeravim, cum ipſe puer adhuc Herenbergæ de utroque ſumi ſupplicium vidi.

3. Cum ergò amor quærendus non ſit, ubi nullus reperiri poteſt, nec mulieris inſano deſiderio volentis corpus defuncti mariti adſervare concedendum. Nam non tantum reip. intereſt ut mortui ſepeliantur, uti præfatus traditque Garſ. Maſtrilli *p.* 3. *deciſ. Sicul.*

203.

203. *n.* 9. *&* 10. Sed & veriſſimè à præcipuo poetarum dictum *Iliad.* λ. 162. quod hi

γύπεσσιν πολὺ φίλτεροι ἢ ἀλόχοισιν
Vulturibus gratiores quàm uxoribus:

4. Nec obſtare nobis debet quod arte cadavera incorrupta ſervari poſſint, cujus callentiſſimus fuit Bilſius, quam ne admiratione quidem dignam ait Paul. Zacchias. *lib.* 4. *QQ. Medico-legal. tit.* 1. *q.* 10. *n.* 24. Nec enim caveri poſſe ne ſicciora evadant, niſi miraculo aut dæmonis ope adjicit, per hunc enim id fieri poſſe etiam docere nos volunt Torreblanca *epit. delict. lib.* 1. *c.* 24. *n.* 1. Delrio 2. *diſq. Magic. q.* 25. qui tamen naturaliter id quoque fieri docet.

5. Si ergò cadavera arte conſervari queant, quis eorum etiamſi exſuccorum commercium & triſte quod inde capiunt ſolatium, viduis negaverit? Cum hac ratione aer per cadavera non corrumpatur atque ideò ceſſante cauſâ prohibendi & interdictum ceſſare debere. *arg. c.* 60. *x. de appellat.*

6. Accedit quod cadaver conditum *Mumimiæ* & vulgò *Mumiæ* appellatione nunc veniens tanto in precio apud Gallos ſit, ut optimates nunquam eâ re careant, atque Franciſcum I. Galliarum monarcham nullum caſum pertimeſcere fuiſſe ſolitum ſi vel ejus minimam partem apud ſe haberet, ſcriptum reliquerit Petr. Bellonus *lib.* 1. *Admirabil. c.* 13.

7. Largior hoc poſtremum facilè cum probè noverim nunc in commercio eſſe cadavera torrida, quæ ex Africâ etiamnum hodiè aliquid novi nobis extrudente, in has oras adferuntur, & *Mumimiæ* uſum eſſe in medicinâ non exiguum eamque febricitantibus cum Bezoardico minerali aliiſque præſcriptam multis fuiſſe feliciter.

8. Hoc quoque concedam in funere per artem ſervato ceſſare cauſam quæ aliàs ejus ſepulturam flagitat. Aſt an permittemus viduæ ut triſti conjugis perpetuo adſpectu illum nunquam elugeat? A nimio luctu abſtinendum eſſe non modo Chriſtianæ religionis conditores & chartæ ſacræ nos monent ſed & gentilium doctor Homerus *Iliad.* Ω.

Οὐ γάρ τις πρῆξις πέλεται κρυεροῖο γόοιο.
Non enim aliqua utilitas eſt frigidi luctus:

9. Publica

9. Publica utilitas nec hoc patitur. Si enim ſemper cadaver iſtud intuetur, vix ad ſecundas tranſibit nuptias, reip. autem intereſt ut mulieres iterum lecti ſocium eligant, liberos tollant & civibus urbes augeant. *l.* 1. *ff. ſolut. matrim. Novell.* 22. *præfat.*

10. Allegaveris fortè in contrarium id quod legimus apud Petronium de matronâ quadam Epheſiâ tam notæ pudicitiæ, ut vicinarum quoque gentium fœminas ad ſui ſpectaculum evocaret. Hæc cum virum extuliſſet eum in conditorium proſequuta corpus cuſtodire ac flere totis noctibus diebusque cœpit, adeò ut affligantem ſe ac mortem inedia perſequentem non parentes potuerint abducere, nòn propinqui: & magiſtratus ultimo repulſi abierint. Cum autem quinta nocte miles qui cruces aſſervabat, nequis ad ſepulturam corpora detraheret, ad eam deſcendiſſet, expugnare dominæ pertinaciam cœpit, quam iſta frangi non tantum paſſa ſed & apud cadaver nuptias fecit novas.

11. Ad hæc brevis mihi reſponſio erit, quod inde nil aliud quàm fluxæ & inconſtantis naturæ probetur mulier eſſe, quam fortius confirmant ea quæ apud nequitiarum non minus quàm puri ſermonis latini perfectiſſimum magiſtrum ſequuntur.

12. Pergit enim narrare quod miles poſtero die viderit unam ſine cadavere crucem; veritus ſupplicium mulieri quid acciderit, exponit nec ſe exſpectaturum judicis ſententiam, ſed gladio jus dicturum ignaviæ ſuæ. Mulier non minus miſericors quàm pudicâ mavult mortuum impendere quàm vivum occidere jubetque corpus mariti ſui tolli ex arcâ, atque illi quæ vacabat, cruci adfigi, ut populus miratus quâ ratione mortuus iſſet in crucem.

13. Ex quo diſcimus quod & virorum interſit, ne eorum cadavera viduis linquantur, nam dum placito non pugnant amori contra fervorem naturæ reſiſtere nequeunt, *Novell.* 2. *c.* 3. ſed indiſcreto ſœpè indulgent novo amori, *Nov.* 18. *c.* 5. & non minus in contumeliam priſci mariti quid tentant, quam vitam bonaque ſobolis ex eo ſuſceptæ novis maritis addicunt. *l.* 22. *C. de aminiſtr. tut.* Quæ quamvis naturali ratione conſtent, nemo tamen niſi alter Argelaſtus id vituperabit, ſi ex legum monumentis ea inluſtremus. Cur enim nobis non idem liceat quod aliis qui etiam poetas in re clarâ in teſtimonium citant: & quis vetabit ne oſtendamus rectam rationem ſecutos eſſe juris conditores? CAP.

Caput XXXIV.

Tractatur de pœnis non tantum cuſtodum negligentius cadavera obſervantium ſed & eorum qui punitorum cadavera aut amoverunt aut expilarunt aut oſſa membrave ipſis ademerunt nec non humata effodiunt & inſepulta linquunt. Juſtinianus *explicatus.*

1. Diſcimus autem ex iſto Petronii loco quod olim is mos fuerit, ut adfectis ſupplicio cuſtodes adhiberentur donec putrefacta cadavera, idque ex Tacito *Annal. lib.* 5. aliiſque firmant Petr. Faber *ſemeſtr. lib.* 2. *c.* 9. & Lipſius *de Cruce lib.* 2. *c.* 16. Cuſtodes etiam Chriſto non tantum crucifixo ſed & poſteà ſepulto datos legimus in evangelio. *Matthai.* 27. 54. & 65.

2. Ignavæ cuſtodiæ tunc quoque pœnam fuiſſe Judæorum verba, quibus milites corrumpere conantur, evincunt. *Matthai.* 28. 14. Talionem apertè indicat Petronius. Ajamus quod tunc lex ita ſcripta fuit, ut cuſtodis negligentia morte mulctaretur ejuſque cadaver loco cruciarii ablati furcæ figeretur.

3. Quod tamen perquam durum videtur, & cum hodiè pœna iſta in ejuſmodi delictum ſtatuta non ſit, ideò ſi caſus ille contingeret, extra ordinem cuſtos coercendus eſſet per ea quæ docta nobis à Jaſone *in l.* 4. *ff. de jurisd. n.* 17. Tiraquello *de pœn. temp. cauſ.* 31. *n.* 34. Menochio *arb. QQ. lib.* 1. *q.* 86. *n.* 8.

4. Pari modo plectendi qui nocte detraxerunt pendentes, nam locum juſtitiæ publicum violant. Boer. *deciſ.* 212. *n.* 24. Sed & morte mulctari poſſunt qui vi armatâ cuſtodes fugaſſent & cadavera abſtuliſſent. *arg. l.* 3. *§.* 7. *ff. de ſepulchr. viol.*

5. Mitior tamen in parentes & neceſſarios ſtatuenda pœna, ſi liberorum corpora ſuſpenſa ſupremo mandaverint officio. *arg. l.* 2. *ff. de receptat.* Neque ſeverè admodum ſed ære aut carcere puniendi Medici, ſi cadavera furcis detraxerint, ut anatomiæ ea deſtinarent. JCC. Saxones *d. p.* 4. *de crim. q.* 67. *n.* 4.

6. Gravius autem & vel virgis aut relegatione pro qualitate perſonarum, in eos animadvertendum qui cadavera eorumve partem abſtuliſſent ut magicæ arti, ſi modò mortuis vis iſta ineſt, ſervirent. JCC. Saxones *d. l. n.* 4. Qui verò non propter pudorem naturalem aut humanæ ſortis commercium corpora damnatorum loco movent, ſed ut ea veſtibus ſpolient id faciunt, aut has relictis in furcâ

detrahunt, illi quoque arbitrio judicis vel virgis aut relegatione puniendi, quià cadavera ita nudata offendiculo ſunt. Carpzov. *p.* 2. *prax. crim. q.* 83. *n.* 60. *&* 61.

7. Quæ ratiò cum ceſſet in iis qui elepſerunt numos apud cadavera damnatorum relictos, ideò illi mitius & mulctâ aut carcere coercendi, uti docet & judicatum memorat Carpzov. *d. q. n.* 62. *&* 63. Arbitrariâ etiam pœnâ animadvertendum in eos, qui corpora non ſepulta ſpoliant, Farinac. *prax. crim. lib.* 1. *tit.* 3. *q.* 20. *n.* 119. vel humata cadavera effodiunt eaque feralibus amiculis aliiſque privant, adeò ut & virgis aliquandò cædi poſſint, vel relegari. Coler. *p.* 1. *deciſ.* 147. *n.* 3. *& ſeq.* JCC. Saxon. *d. p.* 4. *q.* 67. *n.* 1.

8. Quinimò morte mulctari queunt ſi armatâ manu id fecerint, *d. l.* 3. *§.* 7. *ff. de ſepulchr. viol.* Berlich *p.* 5. *concl. pract.* 47. *n.* 18. Damhoud. *prax. crim. c.* 106. *n.* 6. Quo ſupplicio & digni qui effoſſa corpora non iterum humarunt. *l. ult. ff. de ſepulchr. viol. ibique* Weſenbec. *in parat. n.* 3. Carpzov. *d. q. n.* 58. Propter quod & graviore pœna coercendi Medici etiamſi id ſectionis gratiâ feciſſent. JCC. Saxones *d. q.* 67. *n.* 2.

9. Et licet aliud ſit cadaver, aliud oſſa, *l.* 2. *§.* 2. *l.* 8. *pr. l.* 9. *ff. de relig. & ſumt. fun.* Sebaſt. Medices *tract. mors omnia ſolvit. p.* 3 *n.* 60. Jus tamen idem obſervandum in eo, qui oſſa cadaveri ademit, vel omnia oſſa abſtulit. *d. l. ult. ff. de ſepulchr. viol. d. l.* 8. *pr. ff. de religioſ.* aut caput vel manum abſcidit. Petr. à Plaza *epit. delict. c.* 9. *n.* 9.

10. Qua de cauſa ſi quis confiteatur ſe hominem occidiſſe, ſatis de crimine conſtabit, ſi oſſa in loco à ſe indicato extrahantur. Maranta. *Spec. aur. p.* 6. *n.* 18. His dictis conſequens privato non licere cadaver aut oſſa ſine juſſu Principis vel judicis effodere vel eruere. *d. l.* 8. *pr. ff. de religioſ. l.* 1. *l. ult. C. eod.* Kirchman. 3. *de funer. Roman.* 25. Elb. Leonin. 3. *emendat.* 10. *n.* 3.

11. Cum quo non pugnat, quod reliogioſum locum quilibet ſuâ voluntate facere dicatur. *§.* 9. *I. de R. D.* Nam id verum in initio ſed ſi corpus humaſti, id transferre propriâ auctoritate inde non potes. *d. l.* 8. *pr.* Quid quod Innocentius III. ſuæ religionis cultoribus interdixerit, ne ſuâ voluntate amplius locos religioſos facerent. *c. fraternitatem. x. de ſepult.* Paganin. Gaudent. *p.* 1. *de Iuſtinian. ſec. mor. c.* 26.

CAPUT XXXV.

Omnes optant majorum tumulo inferri. Demonſtratur Judici nil deberi quia cadaver inſpexit, nullamque valere legem quæ contra ſcholarum libertatem lata eſt.

1. PRincipis autem conſenſu ſepultos aliò transferri poſſe evidentiſſimè ex ediſſertatis ſequitur atque ideò nemini dubium eſſe debet, quin cadaver hominis ſubmerſi petentibus cognatis denegari non debeat à magiſtratu. Nam uti & ſuperiore loco repræſentavi non parum felicitatis in eo ponitur ſolatiique id eſt parentibus, ſi piè defuncti oſſa in majorum tumulo quieſcant, ut frequenter in codice ſacro occurrat de mortuo *& adpoſitus ſuis parentibus*: & contrà pœnæ loco iſtud, *corpus tuum non inferetur genitorum ſepulchro*: uti videre 1. *Regum.* 13. 22.

2. Non una autem hinc oritur dubitatio. Prima ſit, an non judici qui cadaver inſpexit à parentibus ſportulæ dandæ ſint? Scio aliquandò tredecim Imperiales *thaleros* petitos fuiſſe à patre alicujus qui in aquis perierat, etiamſi illi, qui numos eos poſcebant, inſpectionem non peregerant quod per magiſtratum alium præventi eſſent.

3. Mihi ſemper placuit ſententia exiſtimantium nil ideò judicem petere poſſe. Homer. *Iliad.*

> Οὐ γάρ τις φειδὼ νεκύων κατατεθνειώτων
> Γίνετ':
> *Neque enim aliquid lucri ex cadaveribus mortuis*
> *Fit:*

A parentibus & cognatis id poſtulare religio vetat: cum adflictis adflictio addenda non ſit. *arg. l.* 14. *& ibi Gloſſ. & DD. ff. de Offic. præſ.* Hippol. Riminald. 1. *conſil.* 18. *n.* 151. Non ergò judices alienum infortunium putent ſuam eſſe prædam uti ajunt AAA. *in l.* 3. C. *ad L. Iul. repetund.*

4. Secundò quia injuſtè penſari operam deſiderant, quam ex muneris lege publico commodo & tuendæ jurisdictioni impendere debent, neque enim hæc ad commodum ejus cui data eſt ſed ad publicam utilitatem principaliter refertur. Ferdin Waizenegger. *de ſervitut. diſſ.* 2. *c.* 2. *n.* 30.

domo ſemel egrediantur accepturi pecuniam, uti idem Garſias loquitur & probat *per c. ſtatutum. §. inſuper. de reſcript. in 6.* eumque locum ſatis pro doctore eſſe ait *d. c. 21. n. 10.*

11. His convenienter reſponderunt aliquandò celeberrimi JCC. Helmæſtadienſes. Qui & addunt peccari contra *auth. habita C. ne fil. pro patre.* ſi ideò quid exigatur propter inſpectionem cadaveris ejus, qui ſtudioſus aut civis Academicus fuiſſet. Vidi quoque reſcriptum potentiſſimi Germaniæ Principis, quo vetabat ne civitatis magiſtratus eo nomine quidquam à ſtudioſis exigeret additâ ſanctione *C. Pondo auri meri* ſi contrà faceret.

12. Hæc tamen vitiari fortè quis dixerit ſi lege aut conſuetudine ſtipendium conſtitutum ſit. Durandus *Specul. tit. de ſalar. §. 1. n. 9. & 13.* Sed Princeps ſit liberalis de re publicâ & ex fiſco illud judici decernat. Heigius *p. 2. QQ. 23. n. 11.* Cum tamen ratio obſtet ne à privato ideò quid exigatur nec lex nec mos valebit, ſi per eum is lædatur. *arg. l. 7. C. de precib. Imp. offer. l. 39. ff. de legib.*

13. Præſertim ſi ſtudioſi cadaver eſſet, quia nunquam ea lex valere poteſt, quæ contra libertatem ſcholarum lata eſt. Petr. Ærodius. *rer. apud omn. gent. judic. lib. 2. tit. 38. exempl. 4.* Nec ullo in loco id conſuetudine receptum accepi idemque ſcribit ſuperiora eleganter comprobans & de injuſtitiâ judicum nonnullorum conquerens poſt hæc conſignata literis viſus ampliſſ. Simon. à Leeuwen *ad Peck. de jure ſiſt. c. 5. n. 23. in not.* Et pro certo habeo Academicum magiſtratum ideò nil exigere, cum tamen æquè ordinarius ſit ac alius quiſquam, uti docet Petr. Barboſa *ad l. 12. §. 1. ff. de judic. n. 46.*

CAPUT XXXVI.

Ob æs alienum cadaver ſiſti *nequit.* Creditoris *id facientis* pœna *jure civili introducta adhuc hodie viget uti reſponſo JCC. Duisburgenſ. firmatur. Intra quod tempus à morte defuncti heres interpellari non poſſit?*

1. Altera quæſtio eſt an ſi cadaver in alium locum transferendum, id à defuncti creditoribus ſiſti poſſit. Negandum id non tantum ſed & pernegandum eſt. *l. 6. & auth. ſeq. C. de ſepulchr. viol. Nov. 60. c. 1. Nov. 115. c. 5.* Nam ſiſtere cadaver cum humanitate & pietate, quæ mortuis debetur, pugnat. *d. Nov. 115. c. 5. ibi, pium & humanum.* Farinac. *de crimin. lib. 1. tit. 3. q. 20. n. 139.*

2. Publicæ quoque rei id noxium foret, cum cœlum peſtilens inde oriretur, uti loco ſuperiore dixi & confirmant in re propoſitâ Peckius *de jure ſiſt. c. 5. n. 23.* Couvarruv. *2. var. reſol. 1. n. 10.* Coler. *de proceſſ. execut. p. 1. c. 6. n. 117.*

3. Abrogatum id eſſe apud Belgas ditioni Hiſpanicæ ſubditos videre eſt apud Chriſtinæum *5. deciſ. 219. n. 4.* Zypæum *notit. jur. Belg. tit. de in jus voc. §. pen.* De Galliâ idem ex Autumno & Bugnonio ſcribit Groenewegen *de LL. abrog. ad auth. item. C. de ſepulchr. viol. n. 2.* & de Angliâ id olim teſtis fuit Panormitan. *ad c. ex parte. x. de ſepult. n. 3.* Quodque id hodiè in Germaniâ aliquandò fiat cognoſces facilè ex quærelâ Richteri *ad d. auth. n. 67.*

4. Sed cum non videndum quid factum alibi ſed quid fieri debeat, *l. 12. ff. de Off. præſid.* ideò in ſimilibus caſibus eæ conſuetudines ſervandæ non ſunt. Gail. *de arreſt. c. 11. n. 28.* Unde cum id quod jure Romano de hoc articulo cautum eſt, in naturali æquitate & honeſtate fundatum ſit, moribus ſuis abrogatum pronuntiare, temerarium judicat Groenewegen *ad d. auth. n. 2.*

5. Omnes etiam JCti hodiè idem docent, Peckius *d. n. 23.* Gail. *d. c. 11. n. 28.* Marq Freher. *de infam. lib. 3. c. 20. n. 10.* Coler. *d. c. 6. n. 116.* Berlich. *p. 5. concl. pract. 47. n. ult.* idque rebus judicatis confirmant Carpzov. *p. 1. Iurispr. for. conſt. 30. def. 22. per tot* & Richter. *p. 1. deciſ. 77. n. 54.*

6. Quapropter hæc ſententia tanquam humanior & charitati Chriſtianæ jurique naturæ nec non gentium inſtitutis conveniens judice D. Mevio *de arreſt. c. 8. n. 225. & ſeq.* in foro ſervanda eamque ſervari teſtis eſt Farinacius *d. tit. 4 q. 20. n. 142.* & tringinta annos Neapolitanos eam ſecutos ſcribit Joh. Petr. Molignat. *de jure retent. q. 311.*

7. Videamus ergò de pœna eorum qui cadavera ſiſtunt. Et quidem jure memorato cautum ut (1) actione cadat creditor, (2) alterum tantum heredibus præſtet, (3) parte bonorum tertiâ plectatur (4) infamiâ notetur. N. 60. c. 1. Coler. *d. c. 6. n. 118.* Jacob. Monach. *de arreſt. c. 7. n. ult.* Brunneman. *ad d. auth. ibique* Richter. *n. 60. & ſeq.* Carpzov. *d. defin. 22. n. 5.* Quemadmodum adhuc hodiè in judiciis pronuntiari ſolet uti cognoſcere cuivis promptum ex ſententiâ & reſponſo apud Richter *ad d. auth. n. 66. & p. 2. deciſ. 77. n. 54.*

8. Datur

8. Datur autem heredibus defuncti ad alterum tantum petendum condictio ex novellâ eâ conſtitutione & authenticâ memoratâ. *arg. l. 1. ff. de cond. ex lege.* Richter. *ad d. auth. n.* 54. Sed nec actio injuriarum heredibus deneganda eſt; nam lex ipſa dicitur revocare ad animum hanc injuriam pro reliquiis defunctorum uti poſt Decianum & Felinum docet Berlich. *d. concl.* 47. *n.* 40. Illudque indicat dicta Novella 60. *c.* 1. & authentica, *ibi; heredibus injuriatis*: & Ulpianus *in l.* 3. §. 8. *ff. de ſep. viol.* clariſſimè autem hic id ob oculos ponit in *l.* 1. §. 4. *ff. de injur.*

9. Hæc omnia ad tres quæſtiones propoſitas à fratribus Schultziis JCtis Hamburgenſibus reſpondi nomine ordinis Juridici in Academiâ Duisburgenſi, *die* 8. *Iulii.* 1667. Quod autem in *d. Nov.* 115. *c.* 5. heres ante decimum à morte ejus cui ſuccedit, diem conveniri non poſſit, id in Germaniâ benignâ ratione ad menſem prorogatum ex Rennemanno ſcribit Struve *ad tit. ff. de ſepulchr. viol.* Moribus autem Belgii ſex ſeptimanæ heredi indulgentur. Leeuwen *ad Peck. de jure ſiſt. c.* 5. *n.* 23. Quod tempus etiam in Cliviâ viciniisque Germaniæ inferioris provinciis conſuetudine obſervatur.

12. Deinde condictio alterius tanti privato non videtur danda, quod huic hac tempeſtate nulla pœnalis ex jure Rom. deſcendens actio concedatur, uti demonſtratum dedi *in Inſtit. jur. noviſſ. lib.* 4. *tit.* 1. *& ſeq.* Ne tamen maleficia maneant impunita fiſcus id vindicabit. *arg. l.* 9. §. 5. *ff. de publican.*

CAPUT XXXVII.

Sepultura libera. Quatenus circa eam voluntas mortui ſervanda? Exequiæ gratis fiunt. In quibus locis miniſtris eccleſiæ quid detur? Contra Saxones talione uti debemus. Tremonienſes laudantur. Privilegia in liberâ rep. non inroganda.

1. Tertia quæſtio hic occurrit, an non ſiſti cadaver queat ut in eo templo aut loco ſepeliatur, in quo defunctus aliquandò conſtituerat ſe poſt mortem humari velle? Reſpondetur quod ſepultura adeò libera ſit, ut quis ne quidem pacto ad eam ligari queat ſed pœnitere ſemper poſſit. *c.* 1. *de ſepult. in* 6. Petr. Gregorii Tholos. *prælud. opt. JCti lib.* 2. *c.* 44. *n.* 4.

2. Ergò

2. Ergò ultimam voluntatem ratione ſepulturæ attendimus. *l.* 27. *ff. de C. & D.* Niſi ea juri adverſetur aut humanitati, veluti ſi quis voluerit humari in ſede Apoſtolorum aut martyrum, *l.* 2. *C. de SS. eccleſ.* aut præceperit reliquias ſuas in mare abjici. *l.* 27. *ff. de condit. inſtit.* Beza *ad evangel. Matthæi. c.* 14. 12.

3. Sed & licet hactenus ſequamur voluntatem mortui ut alium in locum transferri poſſit & eam poteſtatem cognatis & heredibus permittamus, tamen ne pauperes loci inde fraudentur, quibus ab iis qui funus ſecuti fuiſſent, eleemoſyna obveniſſet, ideò Groningæ is qui mortuum alibi humare aut noctu ſepelire vult *centum thaleros Hollandicos* vel aliud quid ad pauperes alendos uſumque pium dare debet *arg. c.* 3. *x. de ſepult.* Amſtelodami autem tantum duos *thaleros Imperiales* ſolvit ex SCto facto 1. *Febr.* 1667.

4. Aliàs exequiæ gratis fieri debent. *l.* 18. *C. de SS. eccleſiis.* Quod quidem etiam cautum *Novell.* 59. *c.* 5. attamen canonicis funus ſequentibus modicum præſtari, ibi dicitur. In Belgio libero & Cliviæ regione inferiore nil quidquam eccleſiæ miniſtris eo titulo datur, cum enim majora ſtipendia in illis locis habeant, religio vetat pro eo quid accipere, quod ex lege pietatis defunctis Chriſtianis debent. *arg. d. l.* 18 *junct. l.* 10. *ff. de R. I.*

5. Novi tamen locum in quo inter emolumenta muneris id numerant paſtores noſtrates & ſi ſequuntur funus, iis mittitur nummus, qui arbitrio cujusque linquitur. Pro iis autem ſtat exiguum ſalarium annuum & aliorum redituum raritas. Carpzov. *lib.* 1. *Iurispr. Conſiſt. tit.* 7. *def.* 110. *n.* 1. & 2.

6. Quorum cum uberes fructus capiant Lutherani ex confeſſione peccatorum, ſacrâ ſynaxi & baptiſmo etiamque hierologia, uti videre apud Carpzov. *d. l. n.* 8. ideò ſcio multis in locis veluti in Belgio, Cliviâ, Marcâ & Tremoniæ ne eorum quidem clericis ideò quid dari quod funus ſequantur, quamvis aliud apud Saxones conſtitutum. Carpzov. *d. tit. def.* 112. *n.* 5. & 6.

7. Quod ſi verò ſepeliendus ſit is, qui dum vivebat reformatam religionem profeſſus fuit, apud Saxones dubitatum an more majorum juſta ei fieri deberent nec ne? Et placuit Theologis Lipſienſibus non aliter id permittendum quàm ſi ab heredibus pecuniæ quædam ſumma quaſi pro pœnâ detur ad pios uſus & loco ſolemnium carminum

minum in funere canantur pſalmi *pœnitentiales*, uti videre apud Joan. Balth. Manzo. *notab. pract.* 2. *n.* 8.

8. Qui auctor licet dicis cauſa hoc probare videatur, ſi tamen ad ejus rationem attendas, eum diſſentire deprehendes. Ait enim quod inter homines earum religionum quæ in fœdere pacis Osnabrugæ icto adprobatæ veluti Pontificiæ, Lutheranæ & reformatæ nulla ſit diverſitas, nec quisquam eorum *deſpicatui habendus*, *adeò ut nec à mercatorum*, *opificum*, *aut tribuum communione*, *aut alio officio publico*, *aut ab hereditatibus*, *legatis*, *hoſpitalibus*, *leproſoriis*, *eleemoſynis*, *aliisque juribus & commerciis arcendus ſed in his & ſimilibus concives pari jure tractandi*, uti is auctor loquitur & eam in rem adducit Guil. Ignat. Schutz. *in manual. pacif. q.* 17. *ad artic. inſtr. pac.* 5. §. 11. *verſ. libera.* & *verſ. placuit porrò.*

9. Qua de cauſa contra eos Saxones aliosque quà Lutheri quà Pontificis Romani caſtra ſecutos defunctis reformatis more ſuæ civitatis juſta facere detrectantes eodem jure nos uti omnis ratio tàm naturalis quàm civilis cogit. *t. t. ff. quod quisque jur. in alt.* Nam ſi ad minima conniveas jure ſe facere exiſtimant & ſi licentia adſit ſævi deinde evadunt cuncti mortales. Non autem melius iſta reprimitur quàm ſi nos æquo jure illos non habeamus ex juſtiſſimâ talionis lege.

10. Quæ vel eò magis à nobis arripienda quod aliàs molliter ſibi perſuadebunt nobis quæſtum tantum curæ eſſe nec ſollicitos eſſe de membris eccleſiæ noſtræ in alio ſolo viventibus, vel reipſâ eos eſſe quos per convicium nos ajebant eſſe Hiſpani, quia nimium indulgere nos videbant iis qui injuriam nobis fecerant.

11. Laudanda autem mihi eſt laudatiſſima Tremonenſium libera reſp. Illi enim neutrum eorum à Lipſienſibus Theologis præſcriptorum ſequuntur ſed noſtros pari jure cum ſuis habent, adeò ut non tantum ſolemnes campanarum ſonus ſed alia juſta illis indulgeant & ipſe clerus togatus funus ſequatur idque præcedat tyronum canentium cohors, cujus rei quatuor habeo domeſtica exempla. Nec quis id credat πολιτικὸν σκέμμα, cum ſponte ſua bono civium ſuorum atque urbis ſuæ incolarum id agant, uti cognoſcere datur ex dictis *c.* 10. *n.* 22.

12. Ut ſtultum foret cum Carpzovio *lib.* 2. *Iuriſpr. conſiſt. tit.* 24. *def.* 383. *n.* 11. & 12. ad rudiores id tantum referre & negatum ire iis qui firmiter religionis ſuæ fundamentis inſiſterent. Neque enim ſtulti

melioris conditionis eſſe debent quàm periti. *l.4. ff. quod vi aut clam.*

13. Et riſu prorſus explodendum quod de pertinaciâ & conten-tione allegat. Nam hac ratione remp. miſcet cum eccleſiâ, quod & apertius is facit, quandò *d. def.* 383. *n.* 8. ad ejus miniſtros hujus rei diſceptationem rejicit. Sed ſi illis iſtius rei arbitrium permittimus & noſtris quoque verbi divini præconibus idem licere debet. Jam verò hi nil iſtis concedent ſed mutuâ diſcordiâ talio ubique exercebitur. Hæc non tantum reſp. turbabit ſed bellorum civiliumque diſſenſionum erit cauſa indubitata.

14. Melius ergò probabitur ad magiſtratum curam hujus rei totam pertinere cum ejus jurisdictio religione permixta & in liberâ civitate præcipuum ſit ejus officium ut hoc veſtiget quod tunc obſervatum cum moribus antiquis viriſque res Romana ſtaret, in quâ id ſacroſanctum PRIVILEGIA NE INROGANTO:

Caput XXXVIII.

Diſquiritur an paſtori & æditno munus debeatur propter cadaver prætervectum?

1. QUæritur quartò num paſtoribus aut parochis ſive pagorum ſive vicorum, per quos ad locum ſepulturæ cadaver ducitur, illud ſiſtere permiſſum donec ſibi munuſculum datum fuerit? Et nil jure iis deberi placuit. Quod optimâ ratione conſtat, quia non locus per quem tranſis atque adeò caſu in eo es, ſed is ad quem tendis ſpectatur. *arg. l.* 78. *§. fi. ff. de legat.* 3.

2. Nec enim cadavera per auras ad ſepulturam queunt transferri, cujus libera electio hac ratione tolleretur contra id quod ſcripſi *c.* 37. *n.* 1. Cui autem ea conceſſa eſt ei quoque iter ſine quo ad eam perveniri nequit, conceſſum eſſe intelligitur. *arg. l.* 11. *pr. ff. commun. præd. l.* 2. *ff. de jurisd.*

3. Videtur autem olim frequenter parochis ex heredum liberalitate quid obveniſſe eâ lege ut dum prætervehebatur funus, illi ſacra facerent & pro mortuo ex more religionis Pontificiæ orarent. Petr. Gregor. Tholos. *lib.* 2. *prælud. opt. J Cti. c.* 43. *n.* 6. Peckius. *de jure ſiſt. c.* 5. *n.* 23. Chriſtinæus 5. *deciſ. Belg.* 219. *n.* 26.

4. Quod autem voluntate merâ factum à nonnullis, id ad juris neceſſitatem & conſequentiam trahi non debet. *arg. l.* 14. *ff. de legib.* Nec enim ea quæ meræ facultatis ſunt, præſcribi queunt. *arg. l.* 2. *ff. de via publ.*

Digitized by Google

publ. Neque etiam privatorum conſuetudo jus facit aut alios obligat, quandò non eâ mente à populo, penes quem eſt legis ferendæ poteſtas, introducta eſt. *arg. l.* 2. C. *Quæ ſit long. conſuet. l.* 32. *§.* 1. *ff. de legib.* Secundum hæc in ſupremo Belgicæ Hiſpanici juris tribunali pro viduâ Senatoris, cujus mariti corpus Mechliniâ Gandavum tranſlatum erat, judicatum memorat Chriſtinæus *d. deciſ. n.* 27.

5. Apud reformatos hæc res ignoratur ſed in locis Germaniæ inferioris, in quibus cultus Pontificius viget, ad conſpectum cadaveris, quod per eum locum ducitur, pulſat campanam æditcuus, cui ideò ſexta decima pars *thaleri Imperialis* & in uſum templi cereus ejusve precium datur à volentibus eumque cultum profeſſis, uti in diocœſi Eſſendienſi obſervari vidi.

Caput XXXIX.

Vectigal pro cadavere non ſolvitur. Sine conſenſu Judicis per ejus territorium duci nequit. Hoc tamen aliquandò fallit.

1. POſtremò quæri poteſt an vectigal pro itinere præſtandum, ſi cadaver ex uno loco in alium deferatur? Meminit ejusmodi vectigalis Georg. Mund. à Rodach *de muner & honor c.* 3. *n.* 196. Et errori fortè cauſam dare poſſet quod Macer *in l.* 37. *pr. ff. de religioſ. & ſumpt. fun.* ait inter funeris ſumptus pertinere *& ſi qua vectigalia ſunt.*

2. Nam licet in libro Norico aliisque legatur *veſtiaria*, tamen Græci in Baſilicis habent τέλος, quod *vectigalia* vertit Cujacius 5. *obſ. ult.* Idque extat in Pandectis Florentinis & in editione ſuâ communiter receptâ ſequitur Gothofredus ut temerè mutanda non videatur. *arg. l.* 23 *ff. de legib.* Vetus etiam proverbium κἂν ἀποθνήσκῃ φέρει: indicat quod olim à mortuis tributum fuit exactum.

3. Hæc licet ſpeciem habeant, rectius tamen defenditur à vectigalibus immunia eſſe cadavera quæ aliò transferuntur. *l. ult.* C. *de religioſ.* Quam conſtitutionem Cujacius 11. *obſ.* 21. primus ex libris Baſilicôn reſtituit, in quibus exſtat Ἐν οὐδενὶ τόπῳ οὐδὲν τέλος παρ' οὐδενὸς προσώπου ὑπὲρ τῶν διακομιζομένων σωμάτων παρέχεται. *In nullo quopiam loco vectigal ab aliquâ perſonâ pro corporibus ex uno loco in alium tranſlatis præſtetur.*

4. Nec parum pro hoc facit quod generaliter ſancitum ſit, *ne corpora aut oſſa mortuorum detinerentur aut vexarentur neve prohiberentur quò minus*

viâ publicâ transferrentur: Ulpian. *in l.* 38. *ff. de religioſ. & ſumpt. fun.* Cum quibus convenit juris Pontificii auctoritas. *c. quæſta.* 31. *q.* 2.

5. Non ergò obſtat dicta *l.* 37. Nam vel eam correctam eſſe ajemus per *d. l. ult.* deſumptam ex Baſilicôn *lib.* 59. *tit.* 1. *l.* 15. Vel præferendam eſſe lectionem Noricam, quâ & uſus Mornacius atque *veſtiaria* repoſuit & tuetur multis Leonin. 3. *emendat.* 10. *n.* 1.

6. Priſca iſta paræmia ne hili curanda cum alia fortiore & meliore refellatur, quæ vetat ex cadaveribus lucri quid capere. *c.* 35. *n.* 3. Pro ſecundo poteſt id intelligi de iis qui mortuos vendebant olim, quod factum ab Achille fuiſſe notat Virgil. *lib.* 1.

Exanimumque auro corpus vendebat Achilles:

qui etiam ideò à Lycophrone νεκροπέρνας appellatur. Kirchman. *de funer. Roman. lib.* 3. *c.* 25. *inſi.*

7. Qui auctor tradit quod antiquitus cadavera per urbes transferri nefas erat, quod hodiè in deſuetudinem abiit. Debet tamen magiſtratui vel judici ejus territorii per quod corpus ducitur, id ſignificari & ſine ejus permiſſu id transferre non licet. Franc. Marci *p.* 2. *decis. Delphin.* 1083. *n.* 9. *& ſeq.* Klock. 1. *conſil.* 10. *n.* 477. Beſold. *theſ. pract. lit. D. n.* 36. Brunneman. *ad l.* 3 *ff. de ſepulchr. viol. n.* 3. Petr. Gregorii Tholos. *lib.* 2. *ſyntagm. jur. univ. tit.* 14. *n.* 1. Qui id non fecit is cædis aut improbæ machinationis ſuſpicione ſe onerat. Leonin. *d. l. n.* 3. Nam ut omnis vitetur ſuſpicio id uſu ſervatur. Gloſſa *ad d. l.* 3. *§. Divus tamen Marcus. ff. de ſep. viol.*

8. Si autem id petatur à judice is id negare non ſolet, ſed ut liberè duci poſſit cadaver, adparitorem iſti addit qui id ab injuriâ tueatur & ne ſiſtatur curet. Aliquandò tamen cautionem prius exigi à transferentibus cadaver, quoties metus ne ad jus hoc illi trahant, tradit & ſcripto quod *reverſale* nunc barbare dicunt, id fieri docet Beſold. *d. n.* 36.

9. Sed nec aliquandò conſenſus judicis per cujus territorium ducitur cadaver opus eſſe crediderim. Quid enim ſi quis in hac urbe mortuus à propinquo aut familiari plumbo arctiſſimè compactus eique ſignum magiſtratus impreſſum transferatur ab eo, qui publico rei geſtæ teſtimonio inſtructus eſſet?

10. Aliquandò id in Germaniâ inferiore factum novi à famulo, cujus herus reus conjurationis Cromvellianæ metu pœnæ patriâ profugus

fugus in ſolo peregrino extinctus erat & voluerat corpus ſuum in Angliam deportari, cui famulus inſcribi curabat non alium titulum quàm *Iames body* ideſt *Iacobi corpus*. Facile crediderim fuiſſe *Iames Challoner*: huic enim pœna capitis non verò omnis remiſſa fuit uti conſtat ex SCto, quo amneſtia Londini proponebatur *anno* 1660.

11. In Italiâ hac tempeſtate ſolvi vectigal pro cadavere, diſcimus ex iis quæ paucas ante dies faſtis hebdomadalibus erant adſcripta, nam in iis avaritiæ notabantur eccleſiæ Rom. principes, quos vulgò *Cardinales* appellant, quod mortui *Gineti Borromæi* heredes nil ſolviſſent, cum tamen hujus cadaver per alienos fines eſſet deportatum.

Caput XL.

Ex regulâ non fit jus. Commendatur edictum loco ſuperiore propoſitum de inſpectione cadaveris & vulnerum. Ejus quod manifeſtiſſimum, interpretatio haud negligenda. Judex inſpectioni cadaveris interſit ipſe & is Medicos det non reus. Aliquando Medicos huic favere juris interpretes tradiderunt.

1. HActenus generaliter tractaſſe ſufficiat quid ratione cadaverum pro jure obſervari debeat. Ediſſertare jam pergam de eorum inſpectione curatius quando dolo culpâve alterius hominis cædes patrata & de vulneribus quæſtio oritur. Quid autem hoc caſu judicem facere oporteat, perfectiſſimè nobis exhibet edictum quod huic opuſculo inſerui *c.* 3. *n.* 9.

2. Fateor quod id non obliget alios populos, *arg. l. fi. ff. de juriſdict. l.* 1. *pr. C. de SS. Trinit. ibi; cunctos populos quos clementiæ noſtræ regit imperium*: Nam quamvis pro regula haberi poſſit, ex eâ tamen jus apud alias gentes non fit. *l.* 1. *ff. de R. I.* Cum tamen ex jure & naturali & civili ſit deprompta optimè facient cuncti judices & juri convenienter agent ſi illam ſequantur cum totius juris in hac re obſervandi ſynopſis ſit. Quamvis autem ſit manifeſtiſſimum iſtud edictum attamen non eſt negligenda interpretatio ejus, ut Ulpiani verba *in l.* 1. *§.* 11. *ff. de ventre inſpic.* mea faciam.

3. Ait autem Princeps quod judices *adſumere* debeant *Medicos*. Ex quibus verbis adparet non tantum quod decreto judicis non autem pro deſiderio reorum Medici adhibendi. *arg. l.* 1. *§.* 5. *ff. de ventre inſpic.* Abbas Panormit. *ad c. propoſuiſt. x. de probat. n.* 10. ſed & judices ipſos præſentes eſſe oportere nec ſolis Medicis inſpectionem mandandam,

uti quoque apertius conſtat ex Nemeſi Karol. *art.* 149. & tradunt Ambroſin. *lib.* 1. *proceſſ. informat. c.* 1. *n.* 23. & Brunneman. *de proceſſ. inquiſ. c.* 7. *n.* 18. 22. *&* 26.

4. Cauſas hujus rei habeo multas. Prima eſt quod inſpectio generaliter ſpectata ſit actus imperii meri, quod ſpecialiter alicui perſonæ propter ſpectatam inter bonos moderationem atque prudentiam conceditur. *l.* 1. *pr. ff. de offic. ej. cui mand. juriſd.*

5. Unde licet abſentiæ morbive causâ alteri poſſit mandari, *d. l.* 1. *& l.* 6. *l.* 11. *ff. de offic. Procons.* ii tamen quibus iſtius imperii vel juriſdionis nunc dicta criminalis exercitio conceditur, idonei & apti ad eam rem eſſe debent. *Nemeſ. Karol. art.* 2. Medicos autem idoneos eique rei aptos non facilè dixero. Non quod movear verbis Pruckmanni 1. *conſil.* 22. *n.* 169. ſcribentis; *ſciens prudensque prætereo nunc omnes nos proh dolor! magno noſtro malo experiri, quàm lubrica admodum & fallacia Medicorum de morbis judicia atque experimentationes, uti vel ipſum Medicorum principem Hippocratem Coum teſtari refert Royz. deciſ. Lithuan.* 1. *n.* 73. Quid enim conjectura de morbo oculis Medici non ſubjecto commune habet cum inſpectione cadaveris & vulneribus quæ incurrunt in ſenſus externos?

6. Quâ de causâ id eò refero quod cujusque diſciplinæ certi ſint fines & quæque ars præcipuè verò Medica hominem deſideret totum, quod nulla ſit minus perfecta, nam quartanam febrem cujuscunque ætatis & ſexus ubique gentium occupantem mortales, nemo Medicorum tollere poteſt, atque adeò niſi manifeſtiſſimè aliter conſtet, præſumendum non ſit, quod Medicus aptus ſatis erit ut argumenta quæ in ſtatu jurediciali depromuntur tàm ex cadavere ipſo quam perſonis adſtantibus dum inſpectio peragitur, noſſe & obſervare poſſit.

7. Altera cauſa eſt quod dum inſpicitur cadaver interrogationes faciendæ ſint, Ambroſin. *d. c.* 1. *n.* 26. Brunneman. *d. c.* 7. *n.* 28. *& ſeq.* quæ *proceſſus verbalis* appellatione veniunt apud Gallos. Papon. *lib.* 22. *tit.* 10. *arreſt.* 1. *in not.* atque ideo judex eos qui præſentes ſunt diligenter ipſe examinare debet. Annotator *ad Franc. Marci p.* 2. *deciſ. Delphin. q.* 181. *n.* 1. *lit. a.*

8. Nam pro tertio vulgus judicis & perſonæ publicæ reverentiâ tangitur, atque ideò quid contigerit ex animi ſententiâ facilius dicet & ſi reus interſit iſti rei facilè metu nemeſis colorem mutabit, ex quo indi-

judicium naſcitur, nam ſi pallidus evadat eo onerabitur. Bonif. Vitalinus *de maleſic. lib. 3. c. 8. n. 6.*

9. Medico autem nemo confitebitur quid viderit aut actum ſit ſed & is metum nemini incutiet, cum ergà cunctos tanquam lucri ſui auctores eum oporteat eſſe comem & facilem, uti docet Roder. de Caſtro *Medico-Polit. lib. 3. c. 3.* & hi illius imperantes dicantur *in l. 26. ff. de oper. libert.*

10. Quarta cauſa eſt, quod ubi ex vulnere aliquis mortuus proponitur, inſpectio & ſectio cadaveris ſimul deſiderentur, neque propter ſolam ἀνάκρισιν cadaver tunc inſpicitur, ſed pro probatione iſte actus exercetur, quæ cum res ſit maximi momenti & in quâ ſalus publica & totius familiæ ſita eſt, per ipſum judicem expediri debet per ea quæ tradidi *c. 8. n. 9. & ſeq.*

11. Pro quinto quia Medici dum rem gratam facinoroſo aut ejus neceſſariis facere deſiderant aut pecuniâ corrupti vel metu perterriti non quod verè ſentiunt ſed quod ſicariis profuturum exiſtimant, adferre ſolent, ſi credere fas ſit Julio Claro *lib. 5. recept. ſent. §. homicidium. n. 43.* Petro de Ferrariis *Pract. Pap. tit. forma inquiſit. verb. ex quib. percuſſ. n. 2.* Carpzov. *p. 1. prax. crim. q. 26. n. 31.* Juſto Oldekop. *tit. 2. obſ. crim. 7. n. 8.* atque Ambroſino *d. c. 1. n. 22.*

12. Quod ſi verò Medici præſente judice cadaver inſpiciant, fallere non modò non audebunt ſed & veritatem apertius teſtabuntur quod ſciant ſe facilius excuſationem merituros apud propinquos homicidæ, quod judex & ipſe vulnera inſpexerit & ab hoc juſſi curatiſſimè cuncta agere debuerint. *arg. l. 4. ff. de R. I. l. 2. C. Qui accuſ. non poſſ. Vide* Gail. *1. obſ. 90. n. 5.*

Caput XLI.

An ſolis Medicis inſpectio cadaveris committenda, & an eorum ſententiæ in rem judicatam labantur atque retractari poſſint à judice?

1. HÆc licet jus fasque præcipiant multis tamen in locis ſolis Medicis inſpectio & ſectio cadaveris mandatur, quod parùm tutum eſſe exiſtimaverim, etiamſi iſti actui ſcriniarius vel judicii ſcriba interſit. Nam licet ſecretarius, liceat mihi populariter loqui, ſit oculus judicii, uti ſcripſi *de juram. perhorr. c. 6. n. 43. & c 22. n. 12.* tamen oculi plus vident quàm oculus & cum ſuffragio careat nec judicet, quantò tutius

erit,

erit, ſi magiſtratus aut judex ipſe de re adeò arduâ cogniturus propriis oculis cernat ſecari cadaver, nam illi non fallunt uti dixi *d. c.* 8. *n.* 10.

2. Nec ergò ſatis eſſe ſi Fiſci advocatus & Irenarcha Medicis adſint vel hinc conlegere datur. Sed & hos æquè ac ſcribam haut verebuntur Medici & quod præcipuum eſt contra Fiſci patronum & Irenarchen allegabit reus, quod officio accuſatoris fungantur, Treutl. 2. *diſp.* 31. *th.* 1. *f.* Ant. Matthæi *de crimin. tit. de accuſ. c.* 2. *n.* 1. *&* 2. Zoeſius *de accuſ. in Decretal. n.* 7. Vinn. *ad §.* 1. *I. de publ. jud. n.* 2. Voet. *ibid. n.* 3. Contra naturam itaque fore ſi quoque judicis & teſtis perſonam ſuſtinere velint. Carpzov. *p.* 3. *prax. crimin. q.* 104. *n.* 6.

3. Quod ſi autem id ita ſervetur uſu ut Medici abſente judice cadaver inſpiciant, non aliter tamen eorum aſſertio fidem faciet quàm ſi teſtium, qui interfuerunt iſti ſectioni, dicta illi congruant, uti poſt Bartol. Afflict. Muſcatell. reſpondit Pruckman. *d. conſil.* 22. *n.* 172. & uſu fori receptum ſcribit Oldekop. *tit.* 2. *obſ. crim.* 7. *n.* 7.

4. Nam ſœpè Medicis non abhibetur fides ex ratione auctorum adductorum *c.* 40. *n.* 11. ut tutius ſit hanc rem arbitrio judicis relinquere. Clarus *d l. n.* 43. *ibique* Roſſignol. *n.* 164. *lit. q.* Ambroſin. *d. l. n.* 22.

5. Neque enim Medicorum ſententia tranſit in rem judicatam ſed retractari quoque poteſt conſultis aliis artis iſtius peritis. *arg. l.* 17. *ff. de jure patronat.* Maranta. *Spec. aur. p.* 6. *n.* 130. Joh. de Anania. *ad c.* 18. *x. de homicid. n.* 19 *&* 20. Andr. Barbat. *ad Panormit. in c. propoſuiſti. x. de probat. n.* 11. *lit. c.* Bajard. *ad Clar. d. l. n.* 154. Fulv. Pacianus *lib.* 1. *de probat. c.* 47. *n.* 71. Pro ratione adfertur quod Medici non ex certâ ſcientiâ ſed ex eo quod credunt, pronuntient. Felin. Sandeus *ad c. propoſuiſti x. de probat. n.* 10. Farinac. *p.* 5. *oper. crimin. q.* 127. *n.* 128.

6. Et hoc in tantum placuit ut etiam publicatis priorum Medicorum teſtimoniis, ſuper iiſdem capitibus non ſaltem judex ſpontè ſed & ad deſiderium ejus cujus intereſt, aliorum cogitata & opiniones flagitare poſſit. Salicet. *ad l. hac edict. §. his illud. C. de ſecund. nupt. n.* 10. *verſ. item eſt alia diverſitas.* Vitiantur hæc ſi partes in Medicos conſenſiſſent. Zahn. *de mendac.* 1. *c.* 17. *n.* 7. Deinde ſi reus Medicum adduxit. Maſcard. 2. *de probat.* 1029. *n.* 9. Tertiò ſi judex dicta Medicorum ſententiâ probavit & ab eâ non fuit provocatum. Cror. *ad l.* 1. *§. fi. ff. de V. O. n.* 4. Quartò non niſi ſemel retractari poteſt. Pacian. *d. l. n.* 89.

CAPUT

DISPUTATIO VI.

Reſp. Cornel. van Berckeloo, *Vianâ-Batavo.*

CAPUT XLII.

Duos Medicos ſufficere contra Pacianum diſputatur & enarrantur caſus quibus unum adhibuiſſe ſatis eſt. Quot deſiderentur profeſſores *ad examinandum candidatum diſquiritur.*

1. AIt Princeps *unum* Medicinæ doctorem *pluresve* advocandos eſſe. Vocula autem alternativa, ſic latinè loquimur judice Viglio Zuichemo *ad* §. 12. *I. de hered. inſt. n.* 3. rem facit dubiam. *l.* 7. §. 4. *ff. de injur.* Adeò ut judici electio permiſſa videatur an unum an verò plures Medicos adhibere velit. *arg. d.* §. 12. *ibique* Angel. Aretin. *n.* 1. Cum in alternativis ſufficiat alterum adimpleri nec amborum concurſus deſideretur. *c.* 70. *de R. I. in* 6. Socinus 1. *conſil.* 113. *n.* 7. Pichard. *ad* §. 5. *I. de inut. ſtip. n.* 6.

2. Sed melius probabitur, quod eo tantum caſu uni medico credatur ſi plures in eo loco reperiri nequeant, uti Princeps ſtatuit & tradunt Panormitan. *ad c. ſignificaſti. x. de homicid. n.* 3. Bartolus *in l.* 1. *C. de ponderat. n.* 4. Bald. 2. *conſil.* 136. *n.* 4. Alexand. ab Imola. 2. *conſil.* 179. *n.* 8. Ant. de Butrio. *ad d. c. propoſuiſti. n.* 6. Maſcard. *d. concl.* 1039. *n.* 24. *verſ. ſublimita ſecundò*, Gail. 2. *obſ.* 111. *n.* 4. Juſtus Oldekop. *tit.* 2. *obſ. crim.* 7. *n.* 9. Boerius *deciſ. Burdeg.* 323. *n.* 23.

3. Quin & unus Medicus ſufficit, ſi judex cum plures advocare poſſet, id neglexit, tunc enim pro rei defenſione fidem facit contra fiſci advocatum aut judicem ratione officii inquirentem, uti poſt Roman. Socin. Cravett. Cephal. Pariſ. Gabriel. Menoch. Bertazoll. Turret. Burſat. Hondedæum, Farinac. & Aldovinum reſpondit Marius Giurba *conſil. crim.* 84. *n.* 10. & Ordo noſter me cognitore *die* 23. *Octobr.* 1669.

4. Secundò etiam in iis locis, in quibus Medicorum copia haberi poteſt, unicus intervenire poteſt libero conſenſu partium, quæ non tantum ſimpliciter ejus perſonam adprobarunt ſed expreſſè in illum conſenſerunt eâ lege ut is ſolus fidem faceret, eique ſtare promiſerint, uti poſt alios à ſe memoratos docent Gail. *d. l. n.* 5. & Pacian. *d. c. n.* 45.

5. Tertiò unus Medicus tantum requiritur ad actum inſpectionis cadaveris externæ, ſed ſi poſteà de vulnere inter fiſci patronum aut

accuſatorem & reum diſputatio orta, tunc plures ſi reperiri queant, adhibendi. Farinac. *p.* 5. *op. crim. q.* 127. *n.* 160.

6. Quod in tantum placuit ut tunc ex aliis vicinis locis evocandi ſint. Panormitan. *ad d. c. propoſuiſti. n.* 5. Angel. Aretin. *ad l.* 1. *§. fi. ff. de V. O. n.* 40. Alciat. *ibid. n.* 55. Ratio hujus rei eſt, quod eo caſu de re arduâ agatur, quam adducit Panormit. *d. l.* & Socinus *reg.* 362. *fall.* 3. quamque in Cliviâ & Marcâ ſequi oportet, quia ibi plures ex legis præſcripto adhiberi debent. Alciat. *d. n.* 55. Pacian. *d. l. n.* 47. Niſi nimis longo itineris intervallo abeſſent, uti Decium *ad d. c. propoſuiſt. n.* 9. & Maſcardum. *d. l. n.* 26. cum aliis memoratis in tranquillum confer cum Felino Sand. *ad d. c. n.* 7.

7. Quartò unicus ſufficit, ſi publicè ad inſpectiones cadaverum faciendas conſtitutus ſit, nam pro ſuâ fide ſacramento adpromiſſâ atque induſtriâ neque fallet neque falletur, *arg. l.* 12. *C. de ponderat. & auri illat.* Anania *ad c.* 18. *x. de homicid. n.* 14. idque à contrario vindicat Alciatus *d. l. n.* 6. & Maſcardus 2. *de probat. concl.* 1039. *n.* 32.

8. Quod verò Pacianus *d. l. n.* 49. ſeptem Medicos deſideret eosque etiam ex vicinis civitatibus, ſi in urbe iſtâ in quâ cadaver exiſtet & judicium peragitur, tot non ſint, requiri velit, id mihi non faciendum puto. Nam quò plures ſunt eò facilius in diverſas ibunt ſententias. *arg. l.* 17. *in fi. ff. de recept. arbitr.* Hoc ex ſingulari Medicæ gentis vitio eò magis pertimiſcendum, quod nullius diſciplinæ artifices in principiis adeò diſcordes quàm Medici, adeò ut ſciam ſæpè conſultationes Medicorum non aliam ob cauſam omiſſas, quàm quod miſer æger calleret inter eos convenire non poſſe.

9. Cum ergò numerus Medicorum non exprimitur, duos ſufficere puto. *arg. l.* 12. *ff. de teſtib.* Gail. *d. l. n.* 3. Nam in ore duorum & trium conſiſtere omne verum, dixit ipſe qui eſt ſolus veritatis titulo clarus docetque Alciat. *d. l. n.* 38.

10. Nec me movet Paciani ratio tracta inde quod ad examinandum juris aut medicinæ candidatum adhibendi ſint ſeptem doctores ſive anteceſſores: uti quoque tradit Panormit. *d. l. n.* 8. *&* 9. Itali enim non ſecus ac legum Romanarum conditores per *doctores* non eos quos nunc eo nomine appellamus ſed profeſſores intelligunt, uti ſcripſi *lib.* 2. *de titul. honor. c.* 20. *n.* 8. qui & Gallis loquendi mos eſt.

11. Jam

11. Jam autem à diverſis malè inferri nemo neſcit, neque hodiè in Italiâ uti quoque indicare videtur Anania *ad c.* 18. *x. de homicid. n.* 15. nec etiam in Galliis, Germaniâ aut Belgio ſeptem profeſſores ad examen candidati & tranſcriptionem in ordinem doctorum requiruntur. Nam in nonnullis Belgicæ academiis duo Anteceſſores id peragunt & honoraria inter ſe partiuntur.

12. In Academiâ Teutoburgenſi ſi morte aut miſſione unius ordo Jureconſultorum ex duobus tantum conſtabat, tertius extra ordinem ſemper adhibitus fuit, qui honorarii trientem quoque capiebat.

13. Medici autem profeſſores id non ſequebantur inſtitutum niſi cum ad unum jus collegii perveniſſet, tunc enim Clivis alterum Archiatri titulo inſignem evocatum benè adhuc recordor. Si verò JCtos id ligabat cur non æquè Medicos? Nam ubi majus periculum ibi cautius agendum. *c. ubi. de R. I. in* 6.

Caput XLIII.

Si Medici inter ſe diſcordes, quos Judex ſequi debeat?

1. Duos Medicos dixi ſufficere idque doctum nobis à Caſono de *Iudiciis. c.* 2. *de viſo & reperto. n.* 6. Sed quid ſi & illi inter ſe non conveniant? Tertium tunc adſumi oportere facilè & naturaliter omnes intelligunt & docet Salicet. *ad d. l. hac edictali. n.* 10. Hic autem ſi nullius probet ſententiam ſed novam habeat, an ad quartum tunc judex ibit? Minimè! Nam ab infinito abhorret jus & natura. Ergò vel judex eos compellet ut inter ſe conveniant vel ſi id fieri nequeat, tres iſtas diverſas opiniones in unum conferet, & eas ſic junctas dividet in tres partes æquales, & una earum juſta erit ſententia.

2. Idem erit ſi duo diſcordes, nam & tunc ſi tertius adhiberi non poſſit, amborum æſtimatio in unum conferri, & deinde æqualiter ſecari debet ut altera earum juſta æſtimatio ſit, quam cautionem practicam debemus Saliceto *d. n.* 10. & Franciſco Calleto *ad Pacian. d. l. n.* 70. *lit. S.*

3. Ego autem vereor ne ad praxin & uſum in hoc nobis propoſito argumento transferri non poſſit & tantum locum capiat quando arbitri diverſas pecuniæ ſummas præſtari volunt ſinguli, nam illæ in unam conferri queunt non diverſæ ſententiæ Medicorum variè de vulneris qualitate opinantium. Quid facto ergò opus? An id quod

Digitized by Google

minimum ſequemur & pronuntiabimus ſecundum eum qui vulnus non fuiſſe lethale judicat atque reo favet? Id videtur. *arg. l.* 27. *§.* 3. *ff. de recept. arbitr.*

4. Quandò verò curatius hanc rem conſideramus, dicendum nobis eſt, quod judex ex animi ſui ſententiâ æſtimare debeat, quid credat de Medicorum relatione. *arg. l.* 3. *§.* 2. *ff. de teſtib.* Quid enim ſi alter qui contra reum pronuntiaret, longè magis in arte Medicâ excelleret? Judex rectè facturus ſi ſummæ auctoritatis hominem ſequatur ad exemplum Juſtiniani *in l.* 10. *C. de cond. indeb.*

5. Et hoc in tantum verum eſt, ut licet, ſi tres vel quinque aut plures Medici adhibiti, id pro rato habendum quòd major pars decrevit, *arg. l.* 1. *pr. & §.* 8. *ff. de ventre inſpic.* id tamen fallit ſi major numerus eſſet imperitorum. Panormitan. *d. l. n.* 9. Nam in ipſis rerum argumentis diſcimus quod illi aliquandò in collegiis liberalium diſciplinarum majorem conſtituant numerum & livore atque odio peritiores plerumque paucos perſequantur acerbiſſimo, idque poſt Speculatorem docuit Alciat. *ad d. l. n.* 36.

7. Adparet ergò rectiſſimè dictum fuiſſe à Baldo *in c.* 1. *Quib. mod. feud. amitt.* quod ſi numero pares ſint Medici & inter ſe diſcordes ut utroque trahat ſingula pars æqualis, judex ei parti ſtare debeat quæ veriſimilia allegabit.

8. Vero propè autem magis credet illud quod ajunt illi qui excellentiores, uti fui præfatus, vel quibus & laborum adſiduitas & ſtipendiorum prolixitas ſuffragantur. *l.* 3. *C. de Tyron. l.* 2. *C. de offic. mag. officior.* Pluris ergò faciet eos qui ſtipendia habent publicè conſtituta. *d. l.* 2. Pacian. 1. *de probat. c.* 47. *n.* 39. & 41. Rutg. Rulandt. *de Commiſſar. lib.* 4. *c.* 15. *n.* 6. Quales in benè conſtitutis rebusp. eſſe ſolent, qui archiatri & Medici civitatis aut provinciales, Bremæ verò atque alibi in Germaniâ *Phyſici* civitatis appellantur. *l.* 6. *§.* 2. *ff. de excuſ. tut.* Marq. de Suſannis *de Iudæis p.* 2. *c.* 7. *n.* 11.

10. Præferet & eos qui uſu efficaciſſimo, ut dicam cum Plinio *lib.* 26. *hiſt. natur. c.* 2. rerum omnium optimo magiſtro ſeſe adprobarunt populo jam à longo tempore. Decius *ad d. c. propoſuiſti. n.* 26. Lancell. Galliaula. *ad d. l.* 1. *§. fi. ff. de V. O. n.* 7. Nam experientia uti in cunctis artibus ita & hic maximi ponderis. Rulandt. *d. l. n.* 5.

11. Et

11. Et quia major experientia apud ſenes quàm juvenes, ideò ſeniorum judex ſequatur arbitrium. *d. l.* 3. *C. de Tyron.* Pacian. *d. l. n.* 163. *ibique* Callettus *in not. lit. L.* Inter pares autem ætate vel profeſſione ii potiorem fidem merentur qui ter jam in curandis morbis oſtendiſſent quod artem ſuam benè feliciterque callerent. *arg. l.* 3. *C. de epiſc. aud.* Alciat. *d. l. n.* 48. Angel. Aretin. *ad d. §. n.* 40. *& ad d. c. propoſuiſti. n.* 14.

CAPUT XLIV.

Medicorum appellatio generalis. Sed hodiè Doctores eo nomine veniunt, quos & chyrurgiæ peritia inſtructos eſſe oportet. Tonſores ſunt viles. Licentiati *quàm variè dicantur? eorumque tria genera recenſentur.*

1. DE Medicis eorumque differentia jam agamus. Ait Princeps *Doctores Medicinæ.* Medicina & Medici per alluſionem vocabuli veteribus & nominatim Stoicis familiarem à *medio* appellati ſunt, uti Senecæ *in quadam ad Lucilium epiſtolâ* & omnibus propè placuit. Tiraquell. *de nobil. c.* 31. *n.* 522. Eſt autem medicina *ars cum ratione & experientia faciendæ conſervandæque ſanitatis.* Roder de Caſtro *lib.* 1. *Medico Pol. c.* 2.

2. Dividitur in contemplativam & activam. Illa Medico neceſſaria quidem eſt, ſed ſi in eâ adquieſcat, nobis in hoc argumento Medici loco non habebitur qui ſedentarius & in umbrâ ſtudia medicinæ exercet. *arg. l.* 6. *§.* 1. *ff. de excuſ. tut. ibique* Ant. Auguſtin. & Cujac. *in not.* Ergò activa deſideratur medicina, quæ iterum vel diætetica, vel pharmaceutica, quarum prior victus altera verò medicamentorum ratione conſtat, alia verò chyrurgica dicta à χεὶρ quod manu medeatur.

3. Hæc poſtrema inter artes haut liberales vulgò refertur quia Seneca inquit *epiſt.* 88. quod *hæ viles ex profeſſo artes quæ manu conſtant, ad inſtrumenta vitæ plurimum conferunt, tamen ad virtutem non pertinent:* Maimonides *halac. Melach. cap.* 1. *Non conſtituunt ſive Regem ſive Pontificem eum qui eſt aut lanio aut tonſor, aut balneator, aut textor aut coriarius. Non quod artes ejuſmodi illegitimæ habitæ. Sed quoniam ob earum ſordes, populus in ejuſmodi ſucceſſione nunquam adquieſceret:*

4. Quod hodiè ad chyrurgos fortè quis dixerit referri, non tamen generaliter ad chyrurgiam, quod hac non tantum inſtructus eſſe

Digitized by Google

debeat Medicus, ſed & ejus ſolius Doctores apud Italos creentur & in Hiſpaniarum Academiis profeſſores proprii ad eam docendam conſtituti ſint, quod unus omnes medicinæ partes non tam perfectè docere poſſit.

5. Quâ de cauſâ olim apud Ægyptios & Romanos receptum fuit, ut ſinguli ſingulos morbos curarent & Medici alii eſſent ocularii, alii auricularii, alii dentales. Mercurial. 2. *var. lect.* 8. Hinc Medicorum appellatio generalis, complectens omnes qui curandis & profligandis morbis operam dant. Jacob. Concennat. 4. *QQ.* 2. *n.* 6. Heigius 2. *QQ.* 26. *n.* 1. *& ſeq.* Adeò ut chyrurgiæ magiſtri, Seplaſiarii, Empirici, Chymici & circulatores, quin & obſtetrices eo nomine veniant. Paul. Zacchias *lib.* 6. *QQ. Medico-leg. tit.* 1. *q.* 1. *n.* 1. *&* 2.

6. Aliud ergò eſt eſſe doctorem medicinæ abud medicum eſſe. Doctor eſt qui omnes medicæ artis partes callet vel in unâ veluti chyrurgiâ excellit ut in hac ſummos honores decreto ordinis ſit conſecutus. Et quidem ſi de inſpectione vulneris atque cadaveris agatur, doctor chyrurgiæ reliquis præferendus quod is melius præſumatur id ſcire cui ſoli ſe mancipavit. Caſtro. *d. c.* 3. *arg. l.* 80. *ff. de R. I.* Galliaula. *ad l.* 1. §. *fi ff. de V. O. n.* 4.

7. Princeps itaque per doctores Medicinæ intelligit eos Medicos qui in aliquâ univerſitate literariâ in ordinem doctorum cooptati ſunt. His pares ſunt Licentiati, quos etiam in medicâ diſciplinâ creari notiſſimum eſt. Sed ne verbi fallat ambiguitas, dividi ante omnia debet inter Licentiatum *promotum*, latino verbo ſic dictum uti demonſtravi contra Scioppium *in differt. de promot. abſent. pr.* & interprés Modeſtini confirmat *in l.* 6. *pr. ff. de excuſ. tut.* & *non promotum.*

8. Licentiatus promotus eſt, qui cum omnia præſtiterit, quæ fieri debent ab iis qui doctores creari deſiderant, olim ex modeſtiâ hodiè verò ſæpè ex ambitione ſingulari, quod doctoris nomen ipſis ſordeat; in ſubſellio inferiore & capite aperto renuntiantur ex more Academiæ Teutoburgenſis. Eadem tamen jura & privilegia quæ doctoribus conceſſa conſequuntur. *arg. Ord. Cam. Spir. p.* 1. *tit.* 3. Limnæus *de I. P. lib.* 8. *c.* 8. *n.* 41. *& ſeq.* Gotfr. Suevus *ad auth. habita. C. ne fil. pro patre. peric.* 2. §. 7.

9 Et quanquam ſi concurrant cum doctoribus his poſtponantur, in hac tamen materiâ, cum non de honore ſed majore experientiâ & pe-

& peritiâ hic agatur, ſeniorem & peritum Licentiatum juniori doctori præferrem, nam novellus præſumitur imperitus. Maſcard. *d. concl.* 1039. *n.* 27. Accedit quod licet hac tempeſtate Medicorum appellatio non amplius generalis ſit, uti olim erat, tamen Licentiati *promoti* eâ veniunt.

10. Jam verò conſtat quod judici permiſſum etiam eos advocare ad inſpicienda vulnera, qui doctores non ſunt ſed tamen uſu communi loquendi Medici dicuntur. Alciat. *ad d. §. ult. n.* 47. Maſcard. *d. concl. n.* 11. Hinc Rulandt *d. c.* 15. *n.* 7. indiſcriminatim ſcribit, quod judex adhibere debeat *Doctorem* vel *Licentiatum*. Si itaque hunc elegerit judex non erit in culpâ, quâ alias non caret qui cum Doctoris copia eſſet imperitiorem adhibuit. Pacian. *d. l. n.* 145.

11. Sequitur jam *Licentiatus non promotus*. Hic iterum in duplici differentia eſt. Nam primò reperiuntur hodiè multi, ſi juris diſciplinam ſpectes, inter Medicos autem rariores ſed tamen nonnulli, qui cum artis ſuæ fundamenta benè didicerint omniaque præſtiterint quæ præſtanda ab iis, qui Doctores eſſe cupiunt, vel ridiculo tituli Doctoris faſtidio, vel quod oneri ipſis ille titulus ſive Doctoris ſive Licentiati futurus ſit, neutrum in ſe conferri ab Ordine deſiderant.

12. Hos ſi de Jure conſultis ſermo, rectius cum priſcis πρoλύταις comparaveris quàm ut eos cum Licentiatis promotis convenire ſtatuas cum Val. Forſtero *hiſtor. jur. civ. lib.* 3. *c.* 3. *n.* 8. Hi Licentiati non promoti etiamſi honore & privilegiis Doctorum & Licentiatorum promotorum non gaudeant, quia privilegia tranſcriptis in ordinem vel ſummis gradibus data, tamen à judice rectè abhibentur imò Doctoribus & Licentiatis promotis junioribus minusque exercitatis præferuntur. Neque enim hic de honore aut proædriâ tractatur, ſed uti anteà dixi, uſus & experientia cum ſcientiâ conjuncta ſpectatur.

13. De horum ſcientiâ judex autem certus eſſe debet ex teſtimonio Ordinis Academici, qui confirmet quod ea perſona & examinata fuerit & diſputaverit eaque fecerit quæ fieri oportet ante diem illam qua ſolemnis alias renuntiatio fit, qualia teſtimonia Duisburgi non negantur à ſingulis Ordinibus, ſi ea petantur.

14. Eſt

14. Eſt & alterum genus *Licentiatorum non promotorum*, qui non perfectam diſciplinæ alicujus ſcientiam in Academiis aut ex ore docentium vel libris nacti ſed uſu longo peritiam qnandam conſecuti videntur. Plures hodiè invenias in diſciplinâ juris. Nam cum Advocati ferè ubique nomina debeant adſcribere libellis aliisve ſcriptis quæ in judicio exhibentur, idque ex uſu Groningano-Omlandicæ provinciæ, Drenthiæ, Cliviæ, Marcæ, Juliæ, Montium & Monaſterienſis diocœſis, certiſſimum ſit legibusque eorum locorum & edictis cautum ſciam, ideò illi qui antea poſtularunt nec tamen Doctores & Licentiati ſunt promoti, quales eſſe debent qui memoratas ſcripturas ſubſignant, à Principe ejusve ſupremo Senatu *licentiam* poſtulandi vel quia nunc barbaræ voces magis ex vitio ſeculi placent, poteſtatem *advocandi* impetrant.

15. In arte Medicâ autem licentia *practicandi* vel potius exercendi eam artem dicitur, ſed ab ordine Academico iſta indulgetur. Exemplum hujus rei ante novem ferè annos contigiſſe memini in Conſule Civitatis cujusdam in inferiore Germaniâ, qui ſcientiæ Medicæ in Academiis operam non dederat ſed pharmacopola prius poſteà autem ex Medicorum adſervatis præſcriptis Medicus, huic cum quæſtionem ſtatus Profeſſores & Doctores movere in animum inſtituiſſent, ab academiâ Ultrajectinâ licentia praxin Medicam exercendi ei data fuit.

16. Hi autem Licentiati non promoti cum non ſcientiâ ſed uſu ſolo inſtructi, Empiricorum numero hoc in argumento habendi, idque fortè voluit Corneus 3. *conſil.* 283. *n.* 3. quem etiam memorat & ſequitur Farinac. *p.* 5. *op. crim. q.* 127. *n.* 120. quod Medicus imperitus ſit qui neſcit latina legere, quod tales Medicaſtri ſœpè ignorant. Neque his obſtat, quod magis horum hominum quam ipſorum Medicinæ Doctorum auxilium ab ægrotantibus imploretur.

17. Cui quidem Doctores reponent quod non modò lubricum ſit vulgi judicium ſed & ab eventu omnia æſtimet contra juris rationem. *l.* 6. *§.* 7. *ff. de Offic. Præſid.* Addent & illud quod hoc ideò fiat, quod ægrotorum voluptati indulgeant idque ipſis ægrotantibus permittant, quod ſeveriores medicinæ regulæ vetant atque vaſis jacturâ unius ſigulinam ſtolidè exerceant, in eosque allegabunt illud Auguſtini *tom* 9. *in epiſt.* 1. *Iohan.* ajentis; *Quàm multi vocantur Medici, qui curare non norunt:*

18. Ego

18. Ego verò qui nec lucri cupidine nec damni horrore angor, propter quæ invidiæ pelagus inexhauſtum Medicus dicitur Zacchiæ, *d. tit. 1. q. 3. n. 2.* & ſuum cuique tribuere cogor, illud lubentiſſimè largior, quod ſæpè contingere poſſit, ut in morbo cujus indicia certa, veluti febris tertianæ ſimilisve, plus præſtare poſſit is qui multo uſu vel obſervatione eventus boni ad hæc vel illa Medicorum tabernam ſuam frequentantium præſcripta ſecuti, curare noſſet, quàm alius Doctoris titulo licet clarus.

19. Nam ne videar ego juſta negare mortuis. Memoratus conſul non tantum vicinæ ei urbi Principi Eſſendienſi ſed & optimatibus agrorum multis erat ſpectatus artemque medicam dicebatur tractaſſe feliciter, adeò ut vulgò *Doctor* appellaretur. Aſt hæc nil ad inſpectionem cadaveris, quia hæc deſiderat Medicum non tàm diæteticum & pharmaceuticum quàm chyrurgum, nec eum ſolum qui uſu & peritià inſtructus tantum eſt ſed talem, qui ex principiis Anatomicis totam humani corporis ſtructuram & omnes ejus partes earumque neceſſitudinem probè calleat.

CAPUT XLV.

Judæi *an & ubi in doctores tranſcribantur? & indagatur num illos* vel Anabaptiſtas *judex advocare poſſit?*

1. QUid autem judici obſervandum ſit ſi Doctor Medicinæ ſit *Iudæus* examinandum occurrit. Quæ quæſtio eſt referenda inter eas quæ præjudiciales dicuntur. Nam Judæos in ordinem Doctorum non poſſe tranſcribi communi ſuffragio juris interpretes docent, moti hac ratione quod is ordo ſit dignitas, *c. quantò. ẍ de magiſtr.* hanc verò non cadere in Judæos, *l. fi. C. de Iud.e. & cœlicol.* Speckhahn. *Diatagm. de Iudæis. th. 14. tit. a.* Et ſic ſentire videas Bartol. *ad d. l. fi. & ad l. 1. C. de novo cod. fac. n. 10. & 12.* Matth. Stephani *ad d. l. ult.* Zabarell. *ad c. Iudæi. ẍ. de teſtib. n. 3.* Medices *de LL. & Statut. p. 4. q. 17. n. 7.* Ferret. *de juſto & inj. bello. n. 104.* Zaſium. *ad tit. ff. de I. & I.* qui omnes docent quod Judæi non admittendi in ordinem Doctorum.

2. Pro his auctoribus firmiſſimè ſtat jus Canonicum quod vetat generaliter ne quis Chriſtianus medicinam à Judæis capiat. *c. nullus eorum. 28. q. 2.* Pro ratione adſertur ne Judæis Chriſtiani inferiores eſſe incipiant & ab iis poſcant auxilia quæ à nobis oblata contemnunt. *c. omnes.*

d. q. 2. Marq. de Suſannis. *d. tract. p.* 2. *c.* 7. *n.* 10. *&* 11. Adjicitur & illud quod Carolus Calvus à Judæo cui nomen Zedechiæ & qui ejus medicus erat, veneno necatus fuerit, Sebaſt. Franck. *in Carolo Calvo.* & patrem illius Imperatoris arte alterius cæcum factum, narrat Dubrav. *hiſt. Bohem. lib.* 21.

3. Si ergò medicam artem exercere non poſſunt, minimè creari debent Doctores, ne tributo hoc titulo id faciant vel ſe id facere poſſe vulgo imponant. Quâ de cauſâ non credo quod in Germaniæ Academiis Judæi in ordinem Doctorum vel juris vel Medicinæ cooptari poſſint, eumque honorem ipſis negat etiam Joh. Herm. Stam Adſeſſor olim Cam. Spirenſ. *tract. de ſervit. perſonal. lib.* 1. *tit.* 5. *c.* 1. 14.

4. Duisburgi ſcio aliquandò ad Decanum ordinis Medici literas datas fuiſſe à Judæo, qui ibi in doctores tranſcribi deſiderabat, quæ res quidem ad ſenatum Academicum nunquam delata fuit, quod ſpontè Candidatus deſiſteret, quia ipſe fortè intelligebat quod obtinendi ſpem non haberet, ego autem crediderim Principem tanquam Pontificem in ſuis provinciis ſummum de eâ re adiri oportere ſi caſus ejusmodi proponeretur. *l. ult. in fi. C. de ll.*

5. Nemo enim negaverit eum dubitationi obnoxium eſſe, quia ad privatos honores Judæi non prohibentur adſpirare ſed publici ipſis tantum interdicti uti ex Tiraquello docet Auguſtin. Barboſa *ad d. l. n.* 5. Pro ſecundo quia in eâdem ſede morari poſſe Judaicam ſuperſtitionem & civilem ſapientiam ac medendi artem, & nil impedimento eſſe quo minus quis ſit judæus & ſimul JCtus vel medicus, docet Wiſſenbach. *ad d. l. ult. pr. C. de Iudæ.*

6. Tertiò quia Lugduni in Batavis etiam Judæi creantur Doctores & inter feliciſſimos auguſtæ reip. Amſtelodamenſis Medicos illi numerantur ut horum locorum ad exemplum totus videatur componendus orbis. *arg.* §. *fi. I. de ſatisdat.* Et quod magis eſt pro quarto vel ipſa Princeps Abbatiſſa Eſſendienſis ſingulari planè Pontificis tutelâ fulta, non tàm arctè ejus canones hac in re obſervat, ut non toleraret Judæum exercentem medicam praxin, quâ Eſſenæ vixit aliquis ante paucos annos clarus nunc verò defunctus. In Belgio libero ergò atque in Germaniæ provinciis, ſi harum Principes conſentiant & in Doctores tranſcribi & artem medicam tractare queunt Judæi.

7. An verò ideò tutò eos advocare poſſit judex ſi inſpiciendum cadaver

daver porrò videamus? Id negant & Judæo medico fidem habendam non eſſe ſtatuunt Plaza *de delict. c.* 13. *n.* 10. Rulandt. *d. c.* 15. *n.* 9. Adducunt pro ratione quod periti alicujus artis, ſi teſtimonium perhibere debeant de eo quod ſcire debent, ad inſtar teſtium habeantur. Alciat. *ad d. l. n.* 14. Crotus *de teſtib. p.* 7. *n.* 1. Generaliter autem traditum eſſe infirmari oportere Judæorum teſtimonium, quia in fide falſi docentur, nec eis credendum eſſe, qui veritatis à ſe fidem abjecerint. *c. non poteſt.* 2. *q.* 7. Quid quod in tantum ars medica Judæis dicatur interdicta à Paulo Zacchia, ut Medicum Chriſtianum peccare mortaliter ſi Judæum admittit ſocium, ſcribat *d. tit.* 1. *q.* 3. *n.* 10. *in fi.*

8. Cum autem aliorum ſcripta non ut præſcripta & imperata intueri conveniat, ideò divido an agatur de inſpectione cadaveris externâ, & cum ea tantum fiat ut de crimine conſtet idque puniri reip. interſit atque ideò neceſſe ut citò ea peragatur, nil vetat Judæum adhibere Medicum, cum tunc de delicto per eam conſtet, non autem ſemper nec ilicò de delinquente & ita ratio ab odio Judæorum, quo contra Chriſtianos flagrant, ceſſat omnis. Id etiam videtur voluiſſe Farinacius *d. q.* 127. *n.* 123. quando Judæo de vulnere an id lethale nec ne haut credendum eſſe tradit atque ita internæ inſpectioni eum non adhibendum docet.

9. Liceat mihi autem diſtinctione hac uti, an aut cæſus aut reus ſit judæus & tunc Farinacii opinio veriſſima, an verò uterque Chriſtianus aut Judæus & nil vetat quo minus Judæus longo uſu & multâ ſcientiâ toti populo ſpectatus à judice advocari poſſit quod non uni magis præſumatur favere quam alteri nec majore odio vel favore hunc quam illum perſequi credendum ſit. *arg. l.* 67. §. 1. *ff. de ritu nupt.*

10. De Anabaptiſtis aut Memnonitis idem omninò & fortiore ratione ſtatuendum, quos etiam Lugduni in Batavis in Doctorum ordinem acceptari conſtat, & ejus ſectæ homine Arenaci aliquando uſus feliciter, qui erat filius Memnonitæ medici Zutphanienſis, ad quem Clivia ferè tota curſitabat, uterque autem nunc exſtinctus. Atheus autem & qui nullius numinis reverentia tangitur non adhibendus nec etiam is qui arte Diaboli morbos profligat, nam cujus animum mendaciorum pater occupavit, eum vera dicturum veriſimile non eſt. Rulandt. *d. l. n.* 8.

Caput XLVI.

Adhibere Empiricos *judex nequit*. Chymici *defenduntur*.

1. Liquere arbitror quod Medicinæ doctor, qui ad inſpiciendum cadaver advocatur & ſcientiâ & experientiâ pollere debeat, hanc cum ſolam crepent Empirici atque iſtâ deſtituantur nec humani corporis ſtructuram intelligant, ideò iſti agyrtæ à judice in re adeò arduâ haut requirendi. Bernh. Grævæus *ad Gail. lib.* 2. *concl.* 111. *n.* 13.

2. Dabo ſæpè inſignitius experimentum apud iſtos homines reperiri eoque etiam bonos uſos ſcio feliciter. Verum id ad pharmaceuticam pertinet, quæ hic non ſufficit, ſed noſter Medicus vel totius artis medicæ cognitione vel egregiè parte illa ad hanc rem neceſſariâ ſive chyrurgiâ & corporis humani intelligentiâ perfectâ præditus eſſe debet. Alexander ab Imola 1. *conſil.* 115. *n.* 1.

3. Quanquam ejus auctoris ratio æquè abſurda quàm diſſentientis Angeli a Gambigl. de Aretio *ad §. cumque hæc. proœm. Inſt. n.* 2. Iſte enim ut probet non deſiderari Doctores, dicit ſervos olim medicos fuiſſe, *l.* 1. *§.* 5. *C. de Comm. ſerv. man.* quos conſtet doctores creari non poſſe. *arg. l.* 7. *C. Qui mil. non poſſ.* Hic autem ut oſtendat quod totius Medicæ artis ſcientiâ Doctor noſter inſtructus eſſe debeat, adducit *§. ult. d. proœm. ibi, toto legitimo opere perfecto*:

4. Hæc allegaſſe pro refutatione ſit. Nam eâ tempeſtate quâ ſervi medicinam faciebant doctores erant ignoti. Nec ſequitur medicam artem eſſe individuam quod ejus naturæ ſit juriſprudentia, cum à ſeparatis malè inferatur & partis iſtius ad inſpectionem neceſſariæ opus perfeciſſe ſatis ſit. Ut autem revertar ad Empiricos caſu magis quàm conſilio omnia agunt, & cum ad audendum faciles ſæpè palliati ſunt latrones & perſonati ſicarii. Lævin. Lemnius *lib.* 1. *de occult. nat. mirac. c.* 17. Annæ. Robert. 1. *Rer. judicat.* 5. Zacchias. *d. q.* 3. *n.* 7. *& q.* 11. *n.* 1. *& ſeq.*

5. Qui poſtremus idem ad Chymicos transfert eique præivit Roder. de Caſtro *d. tract. lib.* 1. *c.* 6. atque ante eos apertiſſimè ſcripſit Petr. Heigius *d. l. q.* 26. *n.* 40. *& ſeq.* quod Judex Paracelſi diſcipulos adhibere non debeat. Sed hæc partim ex invidiâ partim verò ignorantiâ quin & ex abuſu nonnullorum ante ſatis notam aut cultam artem Spagyricam & medicam chymiam prolata nemo hodiè eſt qui non intelligat,

Digitized by Google

telligat, cum contra nil certius quàm multa laudabiliter à chymicis inventa, quorum præſidio & citò & æquè tutò pelluntur morbi quorumque uſu non onerantur ægri, *ut in genus humanum meritò ingrati videri poſſint, qui aut eam ex Medicis negligunt aut ſepultam velint*: uti rectiſſimè pronuntiavit Athan. Kircher. *mund. ſubterr. tom. 2. lib. 11. ſect. 1. cap. 1. in fi.*

6. Alia ergò ratio requirenda cur inſpectioni cadaveris & vulnerum adhibendi haut ſint. Erit autem hæc quod Chymici meri nil niſi pharmaceuticam calleant, quam hic ſolam dixi non ſufficere. Sed quid ſi Medicus ſit qui præter chyrurgiam aut etiam diæteticam, pharmaceuticam tractaret ex firmamentis Chymicis? Hic ſanè non ſpernendus in hoc negotio, cum non agatur de medicamentis præſcribendis ſed de examinandis vulneribus ex regulis chyrurgiæ & corporis humani ſcientia.

CAPUT XLVII.

Medicos oportet eſſe perſonas honeſtas. Profeſſio artis medicæ non eſt nobilitati generis contraria. Mulieres *medicinam facere & oportere & expedire rationibus demonſtratur.*

1. MEdicos oportere eſſe viros bonos & honeſtos ſcriptum reliquerunt Angelus *ad d. §. proœm. Inſt. n. 1.* & Rulandt. *d. l. n. 6.* Quibus contradicere videtur Decius *ad c. cum cauſam. x. de teſtib. n. 2.* motus hac ratione, quod peritia artis hic tantum ſpectetur, quæ & cadere poſſit in homines nec fideles nec integros vitæ ſcelerisque puros.

2. Prior autem ſententia magis placuit. *arg. l. 1. pr. ff. de ventr. inſpic. ibi; probata artis & fidei.* Ratio Decii à peritiâ deſumpta quidem confirmat ea quæ de admittendis Judæis & Memnonitis tradidi, ſed huc planè non pertinet, quia Medicus inſtar teſtis cenſetur, ſed in hoc deſideramus ut honeſta ſit perſona ergo & in perito alicujus artis, nam aliàs non eſſemus certi quod non peritiâ abuteretur. Pacian. *d. l. n. 156.*

3. Illud autem non requiritur ut Medicinæ Doctor ſit genere nobilis. Alex. de Nevo *ad c. ult. x. de frig. & malefic. n. 10.* Quod licet rarum tamen aliquandò evenit. Nam inter archiatros Sereniſſ. D. Electoris Brandenburgii reperitur, qui generoſo ſanguine cretus quemque præter generis nobilitatem obſervationes in publicum editæ commendant.

 4. Per

Digitized by Google

4. Per quam profeſſionem nil derogari nobilitati generis multis tuetur argumentis & exemplis Tiraquellus *de nobilit. c.* 31. *n.* 522. *& ſeq. & n.* 81. *& ſeq.* & ne hujus vetuſtatem objicias idem ſentientem adfero celeberr. Brunneman. *ad l. un. C. de Comit. & archiatr. ſacri palat.*

5. Mulieribus olim medicinam facere apud Athenienſes interdictum fuit. Cujac. 17. *obſ.* 27. Sed apud Romanos cum pleræque mulieres præ nimio pudore per medicos mares partes corporis ſecretiores nollent tractari, perierunt propter neglecta à ſe medicamenta, atque ideò fœminis medicam artem exercere permiſſum fuit *l.* 1. *§.* 5. *C. de Comm. ſervo manum. ibi; ſive in fœminis.* & inter has obſtetrices ad ſuam curam eam trahebant. *l.* 1. *§* 2 *ff. de var. & extraord. cogn. l.* 9 *pr. ff. ad L. Aquil.*

6. Et cum optimâ ratione id conſtet, non videò cur Lud. Vives *lib.* 2. *de mul. Chriſt.* & Camerarius 1. *medit. hiſtor.* 52. mulieres hodiè à medicinâ arceant. Moribus hominum fateor nunc medicam artem à fœminis non niſi furtim exerceri, quod licet valdè quoque improbem, tamen nullum cernere queo idoneum argumentum, cur fœmina probatæ artis & fidei quæque aut à patre Medico aut ex libris medicinam callet, medendi artem exercere non debeat, tunc enim nec propriam agens cauſam Zacchias *d. tit.* 1. *q.* 12. *n.* 12. contradicere audebit.

7. Res iſta meræ facultatis eſt ratione uſus, unde ea præſcriptione non amittitur. *arg. l.* 2. *ff. de via publ.* Uſurpatum quoque hoc non fuerit ab aliis privatis mulieribus, an eæ jus & legem cæteris ponent? Minime! Ergò ſi hæ prohibeantur injuriarum agere poſſunt. *arg. l.* 13. *in fi. ff. de injur.*

8. Obſtare ſi dixeris verecundiam ſexus propter quam vetatur mulier ſe cœtui virorum miſcere, & virilibus officiis fungi. *l.* 1. *§.* 5. *ff. de poſtul. l.* 2. *ff. de R. I. l.* 12. *§.* 2. *in fi. ff. de judic.* Reſponſum tibi petenti dabo quod id non contra pudicitiam ſed pro eâ tuendâ & in vitâ adprime utile erit, ne mares Medici ad meram phyſicam digreſſi non aliud pharmacum adhibeant, ex quo familiarum dignitas ſalva non maneat. *arg. l.* 1. *§.* 13. *ff. de ventre inſpic.*

9. Porrò negatur iſtud quod virile munus ſit facere medicinam, aliud enim memoratæ leges oſtendunt, ut fruſtrà à poſtulandò atque judicando ad medicæ artis exercitium inferas, cum hoc in latenti illud utrumque verò non niſi in cœtu virorum fiat. *d. l.* 1. *§.* 5. Neque conſuetudine iſtas leges abrogatas & ideò hac tempeſtate fœminas medici-

nam

Digitized by Google

nam facere prohiberi credas id adſerenti Heigio *d. p.* 2. *QQ.* 26 *n.* 44. Nam Julius Clarus *lib.* 5. *recept. ſent.* §. *homicidium. n.* 17. potius confirmat meam ſententiam. Dicit enim quod alicui mulieri cui nomen Roſæ ex cauſâ juſtâ medicæ artis tractatio fuerit interdicta.

10. Quapropter ſi nulla talis cauſa adſit mulier medicinam facere & à judice ad inſpiciendum cadaver adhiberi poteſt, uti poſt Alexandr. Bartol. Anan. Panormit. Felinum & Jaſonem tradit Petr. à Plaza *d. c.* 13. *n.* 9. Boer. *deciſ* 323. *n.* 20. Farinac. *p.* 5. *op. crim. p.* 4. *tit.* 14. *q.* 127. *n.* 112.

11. Utile id erit ſi cadaver ſit ſexus ſequioris & maritus nolit id inſpici ab adoleſcente Doctore medicinæ quem & præſtat præteriri tunc à judice tum honeſti deſiderii privati tum quoque publicæ honeſtatis cauſâ. *arg. l.* 15. *ff. de condit. inſtit.*

CAPUT XLVIII.

Doctores medicinæ & chyrurgos ſimul, ſi eorum copia, adhibendos multis argumentis evincitur & à contrariis vindicatur. Ocularum vel *&* præcipuè *ſignificatio proponitur nec non docetur* obſtetrices *adſumi aliquando poſſe non autem* tonſores *aut* balneatores, *niſi cum chyrurgiæ periti.*

1. AIt Princeps *Doctores vel Chyrurgos.* Unde ex dictis *in cap.* 42. *n.* 1. dubitatio oritur an arbitrio judicis linquatur, num Doctores an chyrurgos advocare velit. Secundò quia in Nemeſi Karulinâ tantum requiruntur wundartzen id eſt *chyrurgi.* Non autem novum eſt ut poſterior lex ad priorem trahatur & ex anteriore lucem capiat. *l.* 26. *l.* 28. *ff. de ll.*

2. Pro tertio quia conſtat ex Rutgero Rulandt. *de Commiſſar. lib.* 4. *c.* 16. *n.* 2. quod ex decreto ſummi Imperii tribunalis ſoli chyrurgi ad inſpicienda vulnera adhibiti. Non peccat ergò judex inferior ſi ejus obſervantiam ſequatur. §. *ult. I. de ſatisdat. Receſſ. Imp. Ratisbon.* 1654. §. 137.

3. Quartò ſolos balneatores aliquando adhibitos fuiſſe adparet ex re judicatâ apud Carpzovium *p.* 1. *Iurispr. for. conſt.* 22. *def.* 12. *in fi.* Pro quinto quia omnes conſentiunt tonſores advocari poſſe, Clarus *d.* §. *homicidium. n.* 43. Farinat. *d. q.* 127. *n.* 105. quod exemplo confirmat Franc. Marci *p.* 2. *deciſ.* 181. *n.* 5. *& ſeq.* eosque ſolos ſufficere ſcribit Juſtus Oldekop. *tit.* 2. *obſerv. crim.* 7. *n.* 3.

4. Hæc

4. Hæc autem tanti non ſint ut me victum profiteri cogar, quin magis ſentio quod & Medicos & Chyrurgos ſimul judex adhibere debeat, idque ſcribunt Ambroſin. *d. c.* 1. *n.* 19. & D. Brunneman. *de proceſſ. inquiſ. c.* 7. *n.* 26. *&* 27. Sic enim facilius impellentur Medicinæ Doctores ad inſpectionem adcuratè faciendam, ſi alii ſint, qui manum cadaveri admoveant idque pro iis faciant quod ipſis ſordidum & vile videtur, ex dictis *c.* 44. *n.* 3.

5. Deinde quia chyrurgi quotidie in vulneribus tractandis verſantur atque ideò nec fallunt nec falluntur. *arg. l.* 2. *C. de ponderat. & auri illat.* Quâ de cauſâ in Nemeſi Karulinâ *art.* 147. dicitur; *& debent præcipuè vulnerum curatores ejus rei periti:* atque ideò chyrurgo magis credi quàm Medicinæ doctori ex Maſcardo ſcribit Græværus *d. concl.* 111. *n.* 9.

6. De quâ re tamen in progreſſu notabo nunc autem prius ad quinque argumenta in contrarium allata reponam. Ad primum ajo quod particula *vel* ſœpè ſit conjunctiva & ponatur pro *& etiam*: uti conſtat ex *l.* 53. *ff. de V. S.* Peck. *ad c.* 70. *de R. I. in* 6. Carpzov. *p.* 1. *prax. crim. q.* 21. *n.* 43. *& p.* 4. *I. F. conſt.* 18. *def. ult. n.* 8. idque maximè locum habet ſi inter perſonas ponatur, uti docet eruditiſſ. Strauch. *de Particul. jur. voc. vel. n.* 4.

7. Unde ſicuti Juſtinianus *in l.* 4. *C. de V. S.* ait, ita & mihi immutatis paululum verbis, hic fari liceat; Melius itaque mihi viſum eſt conjunctionem *vel* pro *&* accipi, ut videatur copulativo modo eſſe prolata. Sed & dici poteſt hunc eſſe ſenſum verborum, *unum vel plures Doctores medicinæ & unum vel plures chyrurgos*: quaſi Princeps celeriter locutus poſterioribus verbis idem expreſſiſſe videatur. *arg. §.* 16. *I. de L. Aquil*

8. Nemeſis Karulina pro ſecundo adducta pertinet ad iſta tempora quibus rariores quàm nunc erant medicinæ Doctores atque ideò chyrurgorum mentionem facit, quod hi ut plurimum adhiberi deberent propter Doctorum penuriam. *arg. l.* 3. *& ſeq. ff. de ll.* Deinde non excludit nemeſis illa Medicos vel Doctores, quin potius & eos deſiderat, uti indicat vocula *præcipuè*, nam hæc ejus eſt naturæ ut caſum contrarium non expreſſum comprehendat. Wehner. *obſ. pract. verb.* Sonderlich. Beſold. *th. pract. lit. S. n.* 91. Burgos. *ad LL. Tauri.* 2. *n.* 23.

9. Prætereà per *vulnerum curatores* vel wundartzen/ uti ſcriptura prima habet, ibi non intelligi *chyrurgos ſimpliciter* hodie ſic dictos ſive *chyrurgia ma-*

gis magiſtros, ſed *Medicos vulnerarios* vel *Doctores chyrurgiæ* eosque potius quàm Phyſicos meros & contemplativam medicinam tantum tractantes advocandos eſſe à judice ſanxit Karulus V. Grævæ. *ad Gail. d. concl.* 111. *n.* 8. *&* 10. Galliaula *ad d. l.* 1. *§. fi. ff. de V. O. n.* 4.

10. Exempla Rulandi pro tertio memorata ſpectant ad priora tempora, quibus medicinæ Doctores rariores erant, nec exempla jus faciunt. *l.* 13. *C. de ſent. & interloc.* Quanquam ratione ordinis in foro ſervandi alias tutò in inferioribus judiciis ſequamur id quod receptum Spiræ, hæc autem inſpectio non ad merum judiciorum ordinem ſed ad eorum ſubſtantiam, quippe cum pro probatione efficaciſſimâ ſit, pertinet. Nec omittendum non aliter in dicaſteriis inferioribus ordinem Spirenſis tribunalis cuſtodiri, quàm ſi Principibus id placuerit. *d. Receſſ. Imp. §.* 137.

11. Quod ad balneatores & tonſores adtinet, quos pro quarto & poſtremo adduxi, ſciendum eſt quod non aliter illi admittendi quàm ſi chyrurgiæ quoque periti. Farinac. *d. q.* 127. *n.* 105. Qui teſtis eſt tonſores in Italia ſimul chyrurgos eſſe, quod & de Belgio univerſo & Germaniâ pro certiſſimo habeo atque ideò in illis locis rectè adhibentur. Carpzov. *d. d. fin.* 12.

12. Sed in Galliis & nominatim Lutetiæ tonſores reperiuntur, qui vulnera nec curant nec curare norunt, quales etiam Hagæ-Comitum reperiuntur & Teutoburgi memini fuiſſe lanionem qui cum diu mactatos porcos tondiſſet, raſitare plebem quoque ſolebat, hujusmodi tonſores judex minimè adhibebit. Grævæ. *d. l. n.* 12.

13. Sola enim ſcientia corporis humani deſideratur in eo qui ad cadaver inſpiciendum advocatur, quare & obſtetrices adhibere debet judex ſi nupta pars ejus aut uterus inſpiciendus quod exemplo firmavi loco ſuperiore & docet Ambroſin. *d. c.* 1. *n.* 19. & de illis, qui meri tonſores accipe quod dixi *c.* 44. quod non de chyrurgis adfirmari poteſt nec hos viles appellare fas eſt.

CAPUT XLIX.

Aliquandò chyrurgi ſoli *ſufficiunt. Hos artis ſuæ magiſtros eſſe oportet. Quid ſi hi à Doctoribus diſſentiant? Medicus rejici poteſt ob eas cauſas propter quas teſtis repellitur & judex fit ſuſpectus.*

1. CHyrurgos ſolos advocari ſatis eſſe, ſi in eo loco aut vicino non reperiantur medicinæ Doctores, ex ediſſertatis colle-

gere facilè quilibet poteſt. Et quod tunc chyrurgi de vulnere aut annotarunt ipſi aut ex ipſorum ore ad acta retulit vel judex ipſe, ſi ſcribam non habeat veluti in Omlandiâ, vel alias ſcriba, id Medicinæ Doctoris in vicinâ urbe degentis examini à judice ſubjici poteſt.

2. Ante biennium & quod excurrit in agro Occidentali vulneratus quis erat, eum inſpexerant tres chyrurgi, horum obſervationes de externâ vulneris conſtitutione nec non tempore quo demum id fuerat obligatum etiamque de vulnerati ratione vivendi ſcripto conſignatæ Medico poſteà in hac urbe propoſitæ fuerunt, qui ex iis judicavit vulnus lethale non fuiſſe eumque ſic judicare potuiſſe nomine Ordinis JCtorum hujus Univerſitatis reſpondi ad deſiderium illuſtris & generoſiſſ. B. ab In & Kniphauſen, Domini in Nienoort &c. *die* 23. *Octobr.* 1669.

3. Iſtos autem Chyrurgos oportet eſſe artis ſuæ magiſtros, uti *arg. Nov.* 7. *c.* 3. poſt Durand. & Angel. Aretinum tradit Alciat. *ad l.* 1. *§. ult. ff. de V.* O. *n.* 34. Tutius enim eſt, ut probatæ artis eligantur & peritiores vel ejuſmodi perſonæ, quæ peritiores eſſe præſumuntur. Pacianus. *d. l.* 1. *de probat. c.* 47. *n.* 149. Alex. ab Imola 2. *conſil.* 148. *n.* 1.

4. Quid autem judici obſervandum ſi Doctores medicinæ & Chyrurgi inter ſe diſſentiant? Hos melius judicare poſſe an vulnus lethale nec ne ſtatuit Farinac. *op crim. lib.* 1. *tit.* 1. *q.* 2. *n.* 4. idemque ex Maſcardo docet Grævæ. *ad Gail. d. l. n.* 9. ubi Chyrurgis magis credi oportere tradit. Contra Doctoribus potius ſtandum eſſe ipſe Farinacius ſcribit. *p.* 5. *op. crim. q* 127. *n.* 107. docetque Rulandt *d. c.* 15. *n.* 7.

5. Alii generaliter diſtinguunt an hi vel illi contra reum judicent nec ne? Ajunt enim nonnulli quod judex debeat fidem adhibere illis qui vulnus fuiſſe lethale pronuntiant, quod in criminibus præſumptio ſit contra reum. *c. ſignificaſti* x. *de homicid.* Hippol. de Marſil. *ad l.* 1. *ff. ad* L. *Corn. de ſic. n.* 10. Decius *conſil.* 415. *per tot.*

6. Negant & hoc iterum alii, & docent quod in dubio mitiorem ſententiam judex ſequi debeat, quia ad inferendam mortis pœnam requiruntur luce meridianâ clariores probationes, *l. fi. C. de probat.* adeò ut ſatius ſit nocentem abſolvere quàm innocentem condemnare. *l.* 5. *ff. de pœn.* uti reſpondit ipſe Decius *d. conſil.* 415. *& conſ.* 678. *n.* 8. quem probat Gail. *d. obſ.* 111. *n.* 10. *&* 11.

7. Ve-

7. Verùm enimverò hanc diſtinctionem ſi toleramus, maleficia ſæpè manebunt impunita, ut rectius ab aliis doctum fuerit tantum adfirmantibus credi quantum negantibus in iis quæ pendent à peritiâ artis, uti de re propoſitâ legimus apud Franciſc. Herculan. *tract. de probat. negat. n.* 225. & Pacian. *d. c.* 47. 3.

8. Quapropter primò dividemus an vulnus ſit in eâ corporis parte quæ periculum adferre ſolet & intra paucos dies homo inde mortuus fuerit an non? priore caſu judex ſtabit Doctoribus ajentibus vulnus lethale fuiſſe poſteriore Chyrurgis id negantibus & contrà, idemque obſervandum ſi vel ſoli ſint Doctores vel ſoli Chyrurgi nec inter eos conveniat. Decius. *d. conſil.* 415. *n.* 2. *&* 3 Boer. *deciſ.* 323. *n.* 23. Gail. *d. l. n.* 11. Pacian. *d. l. n.* 169. *& ſeq.* Farinac. *d. q.* 127. *n.* 150.

9. Pro ſecundo diſtinguendum eſt inter ea quæ facti & juris. Si enim quæſtio ſit de læſâ corporis humani parte & medicinæ Doctores opinentur quod homo vel inde mori debuerit aut non, hoc verò aliter viſum ſit Chyrurgis, tunc judex tutò fidem Doctoribus habet, quod illi ex ſeveriore medicinæ ſtudio & exercitiis Academicis melius præſumantur vires & corporis humani partes noſſe & ſic cape auctores memoratos *hoc cap. n.* 4.

10. Quod ſi autem de facto diſcordes & Medici negent id quod in cadavere reperitur, eſſe id in quo quotidie verſantur Chyrurgi, hi verò id adfirment tunc hos judex ſequi debet. Nam hi melius id ſcire præſumuntur. *d. l.* 2. *C. de ponderat. & auri illat.* Sed & turpè illis forit, ſi id ignorarent. *l.* 2. *§.* 43. *ff. de O. I.*

11. Judex quoque perſonas deligenter ſpectabit. Quid enim ſi in regiâ cædes facta & Chyrurgi eſſent homines ſimplicitate gaudentes & ſorte ſuâ contenti nec ipſi è plebejâ conditione emergere molirentur, contrà verò Doctores ſperarent & ambirent meliorem conditionem vel pro ſe ipſis vel pro progenie ſuâ? Hoc ſanè caſu ſi reus neceſſitudine iis, qui Principi ab arcanis ſunt, permixtus, & Doctores dicerent vulnus non fuiſſe lethale, judex potius ſequatur contrarium ſentientes Chyrurgos, uti conlegere eſt ex traditis *c.* 40. *n.* 12.

12. Poſtremò quia periti alicujus artis & cum teſtibus & cum judicibus conveniunt uti per duodecim differentias probat Pacian.

d. q. 2. Marq. de Suſannis. *d. tract. p. 2. c. 7. n. 10. & 11.* Adjicitur & illud quod Carolus Calvus à Judæo cui nomen Zedechiæ & qui ejus medicus erat, veneno necatus fuerit, Sebaſt. Franck. *in Carolo Calvo.* & patrem illius Imperatoris arte alterius cæcum factum, narrat Dubrav. *hiſt. Bohem. lib. 21.*

3. Si ergò medicam artem exercere non poſſunt, minimè creari debent Doctores, ne tributo hoc titulo id faciant vel ſe id facere poſſe vulgo imponant. Quâ de cauſâ non credo quod in Germaniæ Academiis Judæi in ordinem Doctorum vel juris vel Medicinæ cooptari poſſint, eumque honorem ipſis negat etiam Joh. Herm. Stam Adſeſſor olim Cam. Spirenſ. *tract. de ſervit. perſonal. lib. 1. tit. 5. c. 1. 14.*

4. Duisburgi ſcio aliquandò ad Decanum ordinis Medici literas datas fuiſſe à Judæo, qui ibi in doctores tranſcribi deſiderabat, quæ res quidem ad ſenatum Academicum nunquam delata fuit, quod ſpontè Candidatus deſiſteret, quia ipſe fortè intelligebat quod obtinendi ſpem non haberet, ego autem crediderim Principem tanquam Pontificem in ſuis provinciis ſummum de eâ re adiri oportere ſi caſus ejusmodi proponeretur. *l. ult. in fi. C. de ll.*

5. Nemo enim negaverit eum dubitationi obnoxium eſſe, quia ad privatos honores Judæi non prohibentur adſpirare ſed publici ipſis tantum interdicti uti ex Tiraquello docet Auguſtin. Barboſa *ad d. l. n. 5.* Pro ſecundo quia in eâdem ſede morari poſſe Judaicam ſuperſtitionem & civilem ſapientiam ac medendi artem, & nil impedimento eſſe quo minus quis ſit judæus & ſimul JCtus vel medicus, docet Wiſſenbach. *ad d. l. ult. pr. C. de Iud.*

6. Tertiò quia Lugduni in Batavis etiam Judæi creantur Doctores & inter feliciſſimos auguſtæ reip. Amſtelodamenſis Medicos illi numerantur ut horum locorum ad exemplum totus videatur componendus orbis. *arg. §. fi. I. de ſatisdat.* Et quod magis eſt pro quarto vel ipſa Princeps Abbatiſſa Eſſendienſis ſingulari planè Pontificis tutelâ fulta, non tàm arctè ejus canones hac in re obſervat, ut non tolleraret Judæum exercentem medicam praxin, quâ Eſſenæ vixit aliquis ante paucos annos clarus nunc verò defunctus. In Belgio libero ergò atque in Germaniæ provinciis, ſi harum Principes conſentiant & in Doctores tranſcribi & artem medicam tractare queunt Judæi.

7. An verò ideò tutò eos advocare poſſit judex ſi inſpiciendum cadaver

daver porrò videamus? Id negant & Judæo medico fidem habendam non eſſe ſtatuunt Plaza *de delict. c.* 13. *n.* 10. Rulandt. *d. c.* 15. *n.* 9. Adducunt pro ratione quod periti alicujus artis, ſi teſtimonium perhibere debeant de eo quod ſcire debent, ad inſtar teſtium habeantur. Alciat. *ad d. l. n.* 14. Crotus *de teſtib. p.* 7. *n.* 1. Generaliter autem traditum eſſe infirmari oportere Judæorum teſtimonium, quia in fide falſi docentur, nec eis credendum eſſe, qui veritatis à ſe fidem abjecerint. *c. non poteſt.* 2. *q.* 7. Quid quod in tantum ars medica Judæis dicatur interdicta à Paulo Zacchia, ut Medicum Chriſtianum peccare mortaliter ſi Judæum admittit ſocium, ſcribat *d. tit.* 1. *q.* 3. *n.* 10. *in fi.*

8. Cum autem aliorum ſcripta non ut præſcripta & imperata intueri conveniat, ideò divido an agatur de inſpectione cadaveris externâ, & cum ea tantum fiat ut de crimine conſtet idque puniri reip. interſit atque ideò neceſſe ut citò ea peragatur, nil vetat Judæum adhibere Medicum, cum tunc de delicto per eam conſtet, non autem ſemper nec ilicò de delinquente & ita ratio ab odio Judæorum, quo contra Chriſtianos flagrant, ceſſat omnis. Id etiam videtur voluiſſe Farinacius *d. q.* 127. *n.* 123. quando Judæo de vulnere an id lethale nec ne haut credendum eſſe tradit atque ita internæ inſpectioni eum non adhibendum docet.

9. Liceat mihi autem diſtinctione hac uti, an aut cæſus aut reus ſit judæus & tunc Farinacii opinio veriſſima, an verò uterque Chriſtianus aut Judæus & nil vetat quo minus Judæus longo uſu & multâ ſcientiâ toti populo ſpectatus à judice advocari poſſit quod non uni magis præſumatur favere quam alteri nec majore odio vel favore hunc quàm illum perſequi credendum ſit. *arg. l.* 67. §. 1. *ff. de ritu nupt.*

10. De Anabaptiſtis aut Memnonitis idem omninò & fortiore ratione ſtatuendum, quos etiam Lugduni in Batavis in Doctorum ordinem acceptari conſtat, & ejus ſectæ homine Arenaci aliquando uſus feliciter, qui erat filius Memnonitæ medici Zuthphanienſis, ad quem Clivia ferè tota confitabat, uterque autem nunc exſtinctus. Atheus autem & qui nullius numinis reverentia tangitur non adhibendus nec etiam is qui arte Diaboli morbos profligat, nam cujus animum mendaciorum pater occupavit, cum vera dicturum veriſimile non eſt. Rulandt. *d. l. n.* 8.

Digitized by Google

CAPUT XLVI.

Adhibere Empiricos *judex nequit.* Chymici *defenduntur.*

1. Liquere arbitror quod Medicinæ doctor, qui ad inſpiciendum cadaver advocatur & ſcientiâ & experientiâ pollere debeat, hanc cum ſolam crepent Empirici atque iſtâ deſtituantur nec humani corporis ſtructuram intelligant, ideò iſti agyrtæ à judice in re adeò arduâ haut requirendi. Bernh. Grævæus *ad Gail. lib.* 2. *concl.* 111. *n.* 13.

2. Dabo ſæpè inſignitius experimentum apud iſtos homines reperiri eoque etiam bonos uſos ſcio feliciter. Verum id ad pharmaceuticam pertinet, quæ hic non ſufficit, ſed noſter Medicus vel totius artis medicæ cognitione vel egregiè parte illa ad hanc rem neceſſariâ ſive chyrurgiâ & corporis humani intelligentiâ perfectâ præditus eſſe debet. Alexander ab Imola 1. *conſil.* 115. *n.* 1.

3. Quanquam ejus auctoris ratio æquè abſurda quàm diſſentientis Angeli a Gambigl. de Aretio *ad* §. *cumque hæc. proœm. Inſt. n.* 2. Iſte enim ut probet non deſiderari Doctores, dicit ſervos olim medicos fuiſſe, *l.* 1. §. 5. *C. de Comm. ſerv. man.* quos conſtet doctores creari non poſſe. *arg. l.* 7. *C. Qui mil. non poſſ.* Hic autem ut oſtendat quod totius Medicæ artis ſcientiâ Doctor noſter inſtructus eſſe debeat, adducit §. *ult. d. proœm. ibi, toto legitimo opere perfecto:*

4. Hæc allegaſſe pro refutatione ſit. Nam eâ tempeſtate quâ ſervi medicinam faciebant doctores erant ignoti. Nec ſequitur medicam artem eſſe individuam quod ejus naturæ ſit jurisprudentia, cum à ſeparatis malè inferatur & partis iſtius ad inſpectionem neceſſariæ opus perfeciſſe ſatis ſit. Ut autem revertar ad Empiricos caſu magis quàm conſilio omnia agunt, & cum ad audendum faciles ſæpè palliati ſunt latrones & perſonati ſicarii. Lævin. Lemnius *lib.* 1. *de occult. nat. mirac. c.* 17. Annæ. Robert. 1. *Rer. judicat.* 5. Zacchias. *d. q.* 3. *n.* 7. *& q.* 11. *n.* 1. *& ſeq.*

5. Qui poſtremus idem ad Chymicos transfert eique prævivit Roder. de Caſtro *d. tract. lib.* 1. *c.* 6. atque ante eos apertiſſimè ſcripſit Petr. Heigius *d. l. q.* 26. *n.* 40. *& ſeq.* quod Judex Paracelſi diſcipulos adhibere non debeat. Sed hæc partim ex invidiâ partim verò ignorantiâ quin & ex abuſu nonnullorum ante ſatis notam aut cultam artem Spagyricam & medicam chymiam prolata nemo hodiè eſt qui non intelligat,

Digitized by Google

telligat, cum contra nil certius quàm multa laudabiliter à chymicis inventa, quorum præſidio & citò & æquè tutò pelluntur morbi quorumque uſu non onerantur ægri, *ut in genus humanum meritò ingrati videri poſſint, qui aut eam ex Medicis negligunt aut ſepultam velint*: uti rectiſſimè pronuntiavit Athan. Kircher. *mund. ſubterr. tom. 2. lib. 11. ſect. 1. cap. 1. in fi.*

6. Alia ergò ratio requirenda cur inſpectioni cadaveris & vulnerum adhibendi haut ſint. Erit autem hæc quod Chymici meri nil niſi pharmaceuticam calleant, quam hic ſolam dixi non ſufficere. Sed quid ſi Medicus ſit qui præter chyrurgiam aut etiam diæteticam, pharmaceuticam tractaret ex firmamentis Chymicis? Hic ſanè non ſpernendus in hoc negotio, cum non agatur de medicamentis præſcribendis ſed de examinandis vulneribus ex regulis chyrurgiæ & corporis humani ſcientia.

CAPUT XLVII.

Medicos oportet eſſe perſonas honeſtas. Profeſſio artis medicæ non eſt nobilitati generis contraria. Mulieres medicinam facere & oportere & expedire rationibus demonſtratur.

1. MEdicos oportere eſſe viros bonos & honeſtos ſcriptum reliquerunt Angelus *ad d. §. procem. Inſt. n. 1.* & Rulandt. *d. l. n. 6.* Quibus contradicere videtur Decius *ad c. cum cauſam. x. de teſtib. n. 2.* motus hac ratione, quod peritia artis hic tantum ſpectetur, quæ & cadere poſſit in homines nec fideles nec integros vitæ ſceleriſque puros.

2. Prior autem ſententia magis placuit. *arg. l. 1. pr. ff. de ventr. inſpic. ibi; probata artis & fidei.* Ratio Decii à peritiâ deſumpta quidem confirmat ea quæ de admittendis Judæis & Memnonitis tradidi, ſed huc planè non pertinet, quia Medicus inſtar teſtis cenſetur, ſed in hoc deſideramus ut honeſta ſit perſona ergo & in perito alicujus artis, nam aliàs non eſſemus certi quod non peritiâ abuteretur. Pacian. *d. l. n. 156.*

3. Illud autem non requiritur ut Medicinæ Doctor ſit genere nobilis. Alex. de Nevo *ad c. ult. x. de frig. & malefic. n. 10.* Quod licet rarum tamen aliquandò evenit. Nam inter archiatros Sereniſſ. D. Electoris Brandenburgii reperitur, qui generoſo ſanguine cretus quemque præter generis nobilitatem obſervationes in publicum editæ commendant.

4. Per quam profeſſionem nil derogari nobilitati generis multis tuetur argumentis & exemplis Tiraquellus *de nobiln. c. 31. n. 522. & ſeq. & n. 81. & ſeq.* & ne hujus vetuſtatem objicias idem ſentientem adfero celeberr. Brunneman. *ad l. un. C. de Comit. & archiatr. ſacri palat.*

5. Mulieribus olim medicinam facere apud Athenienſes interdictum fuit. Cujac. 17. *obſ.* 27. Sed apud Romanos cum pleræque mulieres præ nimio pudore per medicos mares partes corporis ſecretiores nollent tractari, perierunt propter neglecta à ſe medicamenta, atque ideò fœminis medicam artem exercere permiſſum fuit *l. 1. §. 5. C. de Comm. ſervo manum. ibi; ſive in fœminis.* & inter has obſtetrices ad ſuam curam eam trahebant. *l. 1. § 2 ff. de var. & extraord. cogn. l. 9 pr. ff. ad L. Aquil.*

6. Et cum optimâ ratione id conſtet, non videò cur Lud. Vives *lib. 2. de mul. Chriſt.* & Camerarius *1. medit. hiſtor.* 52. mulieres hodiè à medicinâ arceant. Moribus hominum fateor nunc medicam artem à fœminis non niſi furtim exerceri, quod licet valdè quoque improbem, tamen nullum cernere queo idoneum argumentum, cur fœmina probatæ artis & fidei quæque aut à patre Medico aut ex libris medicinam callet, medendi artem exercere non debeat, tunc enim nec propriam agens cauſam Zacchias *d. tit. 1. q. 12. n. 12.* contradicere audebit.

7. Res iſta meræ facultatis eſt ratione uſus, unde ea præſcriptione non amittitur. *arg. l. 2. ff. de via publ.* Uſurpatum quoque hoc non fuerit ab aliis privatis mulieribus, an eæ jus & legem cæteris ponent? Minime! Ergò ſi hæ prohibeantur injuriarum agere poſſunt. *arg. l. 13. in fi. ff. de injur.*

8. Obſtare ſi dixeris verecundiam ſexus propter quam vetatur mulier ſe cœtui virorum miſcere, & virilibus officiis fungi. *l. 1. §. 5. ff. de poſtul. l. 2. ff. de R. I. l. 12. §. 2. in fi. ff. de judic.* Reſponſum tibi petenti dabo quod id non contra pudicitiam ſed pro eâ tuendâ & in vitâ adprime utile erit, ne mares Medici ad meram phyſicam digreſſi non aliud pharmacum adhibeant, ex quo familiarum dignitas ſalva non maneat. *arg. l. 1. §. 13. ff. de ventre inſpic.*

9. Porrò negatur iſtud quod virile munus ſit facere medicinam, aliud enim memoratæ leges oſtendunt, ut fruſtrà à poſtulandó atque judicando ad medicæ artis exercitium inferas, cum hoc in latenti illud utrumque verò non niſi in cœtu virorum fiat. *d. l. 1. §. 5.* Neque conſuetudine iſtas leges abrogatas & ideò hac tempeſtate fœminas medicinam

nam facere prohiberi credas id adſerenti Heigio *d. p.* 2. *QQ.* 26 *n.* 44. Nam Julius Clarus *lib.* 5. *recept. ſent.* §. *homicidium. n.* 17. potius confirmat meam ſententiam. Dicit enim quod alicui mulieri cui nomen Roſæ ex cauſâ juſtâ medicæ artis tractatio fuerit interdicta.

10. Quapropter ſi nulla talis cauſa adſit mulier medicinam facere & à judice ad inſpiciendum cadaver adhiberi poteſt, uti poſt Alexandr. Bartol. Anan. Panormit. Felinum & Jaſonem tradit Petr. à Plaza *d. c.* 13. *n.* 9. Boer. *deciſ* 323. *n.* 20. Farinac. *p.* 5. *op. crim. p.* 4. *tit.* 14. *q.* 127. *n.* 112.

11. Utile id erit ſi cadaver ſit ſexus ſequioris & maritus nolit id inſpici ab adoleſcente Doctore medicinæ quem & præſtat præteriri tunc à judice tum honeſti deſiderii privati tum quoque publicæ honeſtatis cauſâ. *arg. l.* 15. *ff. de condit. inſtit.*

Caput XLVIII.

Doctores medicinæ & chyrurgos ſimul, ſi eorum copia, adhibendos multis argumentis evincitur & à contrariis vindicatur. Vocularum vel *&* præcipuè *ſignificatio proponitur nec non docetur* obſtetrices *adſumi aliquando poſſe non autem* tonſores *aut* balneatores, *niſi cum chyrurgiæ periti.*

1. Ait Princeps *Doctores vel Chyrurgos.* Unde ex dictis *in cap.* 42. *n.* 1. dubitatio oritur an arbitrio judicis linquatur, num Doctores an chyrurgos advocare velit. Secundò quia in Nemeſi Karulinâ tantum requiruntur wundärtzen ideſt *chyrurgi.* Non autem novum eſt ut poſterior lex ad priorem trahatur & ex anteriore lucem capiat. *l.* 26. *l.* 28. *ff. de ll.*

2. Pro tertio quia conſtat ex Rutgero Rulandt. *de Commiſſar. lib.* 4. *c.* 16. *n.* 2. quod ex decreto ſummi Imperii tribunalis ſoli chyrurgi ad inſpicienda vulnera adhibiti. Non peccat ergò judex inferior ſi ejus obſervantiam ſequatur. §. *ult. I. de ſatisdat. Receſſ. Imp. Ratisbon.* 1654. §. 137.

3. Quartò ſolos balneatores aliquando adhibitos fuiſſe adparet ex re judicatâ apud Carpzovium *p.* 1. *Iuriſpr. for. conſt.* 22. *def.* 12. *in fi.* Pro quinto quia omnes conſentiunt tonſores advocari poſſe, Clarus *d.* §. *homicidium. n.* 43. Farinac. *d. q.* 127. *n.* 105. quod exemplo confirmat Franc. Marci *p.* 2. *deciſ.* 181. *n.* 5. *& ſeq.* eosque ſolos ſufficere ſcribit Juſtus Oldekop. *tit.* 2. *obſerv. crim.* 7. *n.* 3.

4. Hæc

4. Hæc autem tanti non ſint ut me victum profiteri cogar, quin magis ſentio quod & Medicos & Chyrurgos ſimul judex adhibere debeat, idque ſcribunt Ambroſin. *d. c.* 1. *n.* 19. & D. Brunneman. *de proceſſ. inquiſ. c.* 7. *n.* 26. *&* 27. Sic enim facilius impellentur Medicinæ Doctores ad inſpectionem adcuratè faciendam, ſi alii ſint, qui manum cadaveri admoveant idque pro iis faciant quod ipſis ſordidum & vile videtur, ex dictis *c.* 44. *n.* 3.

5. Deinde quia chyrurgi quotidie in vulneribus tractandis verſantur atque ideò nec fallunt nec falluntur. *arg. l.* 2. *C. de ponderat. & auri illat.* Quâ de cauſâ in Nemeſi Karulinâ *art.* 147. dicitur; *& debent præcipuè vulnerum curatores ejus rei periti:* atque ideò chyrurgo magis credi quàm Medicinæ doctori ex Maſcardo ſcribit Græværus *d. concl.* 111. *n.* 9.

6. De quâ re tamen in progreſſu notabo nunc autem prius ad quinque argumenta in contrarium allata reponam. Ad primum ajo quod particula *vel* ſæpè ſit conjunctiva & ponatur pro *& etiam*: uti conſtat ex *l.* 53. *ff. de V. S.* Peck. *ad c.* 70. *de R. I. in* 6. Carpzov. *p.* 1. *prax. crim. q.* 21. *n.* 43. *& p.* 4. *I. F. conſt.* 18. *def. ult. n.* 8. idque maximè locum habet ſi inter perſonas ponatur, uti docet eruditiſſ. Strauch. *de Particul. jur. voc. vel. n.* 4.

7. Unde ſicuti Juſtinianus *in l.* 4. *C. de V. S.* ait, ita & mihi immutatis paululum verbis, hic fari liceat; Melius itaque mihi viſum eſt conjunctionem *vel* pro *&* accipi, ut videatur copulativo modo eſſe prolata. Sed & dici poteſt hunc eſſe ſenſum verborum, *unum vel plures Doctores medicinæ & unum vel plures chyrurgos*: quaſi Princeps celeriter locutus poſterioribus verbis idem expreſſiſſe videatur. *arg. §.* 16. *I. de L. Aquil*

8. Nemeſis Karulina pro ſecundo adducta pertinet ad iſta tempora quibus rariores quàm nunc erant medicinæ Doctores atque ideò chyrurgorum mentionem facit, quod hi ut plurimum adhiberi deberent propter Doctorum penuriam. *arg. l.* 3. *& ſeq. ff. de ll.* Deinde non excludit nemeſis illa Medicos vel Doctores, quin potius & eos deſiderat, uti indicat vocula *præcipuè*, nam hæc ejus eſt naturæ ut caſum contrarium non expreſſum comprehendat. Wehner. *obſ. pract. verb.* Sonderlich. Beſold. *th. pract. lit. S. n.* 91. Burgos. *ad LL. Tauri.* 2. *n.* 23.

9. Præterea per *vulnerum curatores* vel wundartzen/ uti ſcriptura prima habet, ibi non intelligi *chyrurgos ſimpliciter* hodie ſic dictos ſive *chyrur-*

gia ma-

Digitized by Google

gia magiſtros, ſed *Medicos vulnerarios* vel *Doctores chyrurgiæ* eosque potius quàm Phyſicos meros & contemplativam medicinam tantum tractantes advocandos eſſe à judice ſanxit Katulus V. Grævæ. *ad Gail. d. concl.* 111. *n.* 8. *&* 10. Galliaula *ad d. l.* 1. *§. fi. ff. de V. O. n.* 4.

10. Exempla Rulandi pro tertio memorata ſpectant ad priora tempora, quibus medicinæ Doctores rariores erant, nec exempla jus faciunt. *l.* 13. *C. de ſent. & interloc.* Quanquam ratione ordinis in foro ſervandi alias tutò in inferioribus judiciis ſequamur id quod receptum Spiræ, hæc autem inſpectio non ad merum judiciorum ordinem ſed ad eorum ſubſtantiam, quippe cum pro probatione efficaciſſimâ ſit, pertinet. Nec omittendum non aliter in dicaſteriis inferioribus ordinem Spirenſis tribunalis cuſtodiri, quàm ſi Principibus id placuerit. *d. Receſſ. Imp. §.* 137.

11. Quod ad balneatores & tonſores adtinet, quos pro quartò & poſtremo adduxi, ſciendum eſt quod non aliter illi admittendi quàm ſi chyrurgiæ quoque periti. Farinac. *d. q.* 127. *n.* 105. Qui teſtis eſt tonſores in Italia ſimul chyrurgos eſſe, quod & de Belgio univerſo & Germaniâ pro certiſſimo habeo atque ideò in illis locis rectè adhibentur. Carpzov. *d. d. fin.* 12.

12. Sed in Galliis & nominatim Lutetiæ tonſores reperiuntur, qui vulnera nec curant nec curare norunt, quales etiam Hagæ-Comitum reperiuntur & Teutoburgi memini fuiſſe lanionem qui cum diu mactatos porcos tondiſſet, raſitare plebem quoque ſolebat, hujusmodi tonſores judex minimè adhibebit. Grævæ. *d. l. n.* 12.

13. Sola enim ſcientia corporis humani deſideratur in eo qui ad cadaver inſpiciendum advocatur, quare & obſtetrices adhibere debet judex ſi nupta pars ejus aut uterus inſpiciendus quod exemplo firmavi loco ſuperiore & docet Ambroſin. *d. c.* 1. *n.* 19. & de illis, qui meri tonſores accipe quod dixi *c.* 44. quod non de chyrurgis adfirmari poteſt nec hos viles appellare fas eſt.

CAPUT XLIX.

Aliquandò chyrurgi ſoli *ſufficiunt. Hos artis ſuæ magiſtros eſſe oportet. Quid ſi hi à Doctoribus diſſentiant? Medicus rejici poteſt ob eas cauſas propter quas teſtis repellitur & judex fit ſuſpectus.*

1. CHyrurgos ſolos advocari ſatis eſſe, ſi in eo loco aut vicino non reperiantur medicinæ Doctores, ex ediſſertatis conle-

7. Verùm enimverò hanc diſtinctionem ſi toleramus, maleficia ſæpè manebunt impunita, ut rectius ab aliis doctum fuerit tantum adfirmantibus credi quantum negantibus in iis quæ pendent à peritiâ artis, uti de re propoſitâ legimus apud Franciſc. Herculan. *tract. de probat. negat. n.* 225. & Pacian. *d. c.* 47. 3.

8. Quapropter primò dividemus an vulnus ſit in eâ corporis parte quæ periculum adferre ſolet & intra paucos dies homo inde mortuus fuerit an non? priore caſu judex ſtabit Doctoribus ajentibus vulnus lethale fuiſſe poſteriore Chyrurgis id negantibus & contrà, idemque obſervandum ſi vel ſoli ſint Doctores vel ſoli Chyrurgi nec inter eos conveniat. Decius. *d. conſil.* 415. *n.* 2. *&* 3 Boer. *deciſ.* 323. *n.* 23. Gail. *d. l. n.* 11. Pacian. *d. l. n.* 169. *& ſeq.* Farinac. *d. q.* 127. *n.* 150.

9. Pro ſecundo diſtinguendum eſt inter ea quæ facti & juris. Si enim quæſtio ſit de læſâ corporis humani parte & medicinæ Doctores opinentur quod homo vel inde mori debuerit aut non, hoc verò aliter viſum ſit Chyrurgis, tunc judex tutò fidem Doctoribus habet, quod illi ex ſeveriore medicinæ ſtudio & exercitiis Academicis melius præſumantur vires & corporis humani partes noſſe & ſic cape auctores memoratos *hoc cap. n.* 4.

10. Quod ſi autem de facto diſcordes & Medici negent id quod in cadavere reperitur, eſſe id in quo quotidie verſantur Chyrurgi, hi verò id adfirment tunc hos judex ſequi debet. Nam hi melius id ſcire præſumuntur. *d. l.* 2. *C. de ponderat. & auri illat.* Sed & turpè illis forit, ſi id ignorarent. *l.* 2. *§.* 43. *ff. de O. I.*

11. Judex quoque perſonas deligenter ſpectabit. Quid enim ſi in regiâ cædes facta & Chyrurgi eſſent homines ſimplicitate gaudentes & ſorte ſuâ contenti nec ipſi è plebejâ conditione emergere molirentur, contrà verò Doctores ſperarent & ambirent meliorem conditionem vel pro ſe ipſis vel pro progenie ſuâ? Hoc ſanè caſu ſi reus neceſſitudine iis, qui Principi ab arcanis ſunt, permixtus, & Doctores dicerent vulnus non fuiſſe lethale, judex potius ſequatur contrarium ſentientes Chyrurgos, uti conlegere eſt ex traditis *c.* 40. *n.* 12.

12. Poſtremò quia periti alicujus artis & cum teſtibus & cum judicibus conveniunt uti per duodecim differentias probat Pacian.

d. l. à n. 15. *ad n.* 94. ideò examinabit judex omnes cauſas propter quas tàm teſtis quàm judex rejici poteſt, de quibus egi ex inſtituto *in tract. de juram. perhorreſc.* & quarum multæ quæ intellectu magis à judice percipi quam elocutione à me exprimi poſſunt. *arg. l.* 12. §. 3. *ff. rem rat. hab. l.* 3. §. 2. *in fi. ff. de teſtib.*

Caput L.

Medici & chyrurgi an & quandò prius jurare cogantur & in quibus locis id receptum? Advocati & artifices *in ſingulis cauſis apud Germanos ſacramentum dicunt & quid in Belgio pro jure obſervetur?*

1. AIt Princeps *qui prius jurare debent.* Ratio eſt quia in Cliviâ & Marcâ aliisque inferioris Germaniæ provinciis Chyrurgi jus jurandum haut præſtant, quandò recipiuntur in collegium & artem ſuam exercere auſpicantur. Cum ergò periti alicujus artis quodammodò conveniant cum teſtibus, ideò illis non habetur fides absque ſacramento. *c. propoſuiſti. x. de homicid.* Alciat. *ad l.* 1. §. *eadem. ff. de V. O. n.* 14. Garſias *de expenſ. c.* 24. *n.* 18. Gail. 2. *obſ.* 111. *n.* 13.

2. Quid ergò juris ſit, ſi Chyrurgi initio muneris jurarint, quod Groningæ & in Friſiâ Orientali fit & cautum LL. Amſtelod. *c.* 11. *art.* 12. & 13. Hos non cogi ſpeciale jusjurandum præſtare nec etiam ad id Doctores medicinæ teneri videtur, quia hi quandò in ordinem recipiuntur ex legibus Academiarum omnium, ſacramento ſe obſtringunt, quod in omnibus rebus ad diſciplinam ſuam pertinentibus *officio boni viri fungi* velint.

3. Primò quia juramenta temerè repetenda non ſunt. *arg. l.* 13. §. 6. *ff. de jurej.* Secundò quia nemo præſumitur facturus contra jusjurandum ſemel præſtitum. *arg. l. fi. C. ad L. Iul. repet.* uti poſt Baldum & Felinum docet Patian. *d. lib.* 1. *c.* 46. *n.* 22. Tertiò quia uſu id ſervatur ut Doctores non jurent nec etiam Chyrurgi, ſi in principio profeſſionis ſuæ ſacramentum dixerunt, quod de Groningano-Omlandicæ provinciæ moribus certiſſimum & de locis aliis teſtes ſunt Maſcard. *de probat. concl.* 1037. *n.* 36. Oldekop. *tit.* 2. *obſ. crim.* 7. *n.* 4. atque Heigius ſcribit; *p.* 2. *QQ.* 26. *n.* 68. *ego rarò medicos juratos in talibus cauſis juramentum perhibuiſſe animadverti*; Conſuetudo autem eſt legum optima interpres. *l.* 37. *ff. de legib.*

4. Hæc

4. Hæc licet colore nitantur eo qui vero ſimilis, tamen aliter longè mihi ſedet. Nam generaliter pro primo videas uno ore ſcribere juris interpretes non tantum ſed & legum conditores in edictis atque conſtitutionibus ſancire ut Medici & Chyrurgi, quandò vulnera inſpicienda, jurejurando ſingulari adpromittant, ſe ex conſcientiâ veritatem dicturos: *Nemes. Karul. art.* 149. *Edict. Brandenb.* Jul. Clarus *lib.* 5. *recept. ſent.* §. *fi. q.* 4. *n.* 4. Ambroſin. *d. c. p. n.* 20. Carpzovius *p.* 1. *prax. crim. q.* 26. *n.* 30. nec gratiæ aut odio ſe litaturos, uti olim benè obſervatum Panormitano. *ad d. c. propoſuiſti. n.* 11. *in fi.* Quandò autem lex generaliter loquitur nec diſtinguit, nos quoque diſtinguere haut oportet. *arg. l.* 8. *pr. ff. de Public. in rem act.*

5. Nec obſtat primum, cum temerè non fiat, quod exigitur de eo caſu, ubi de capite hominis agitur. *arg. l.* 2. §. 16. *ff. de O. I. ibi; neve poſſent in caput civis Romani animadvertere injuſſu populi:* Secundum quoque nullius eſt momenti, quia ex vitio humanæ conditionis facilè & quaſi per oblivionem negligitur adpromiſſio etiam jurata, ſi olim ea facta ſit. Non longè iero, propter hanc rationem Advocati licet initio muneris jurarint, ſingulis tamen annis ſacramentum repetunt. *Inſtruct. cur. Holland. art.* 71. *Trajectin. tit. de Advocat. n.* 1. *Groningano-Omland. art.* 60.

6. Et ut propiùs ad noſtrum inſtitutum accedam, multis in locis Advocati quanquam ſacramentum dixerint quando in Academiis tranſcripti in Doctores aut Licentiatos, & præterea initio muneris aliud quoque præſtiterint, novum tamen in ſingulis cauſis ſolvere debent. *Receſſ. Imp. Ratisbon.* 1654. §. 118. Gemeine beſcheid 1657. 28. *Ian.* Blum *proceſſ. Cam. tit.* 48. *n.* 57. *& tit.* 79. *n.* 17. Elector. Saxon. D. Joh. Georgii *deciſ. noviſſ.* 70. Lamb. Goris *ad conſuet. Velav. c.* 16. *art.* 7. *p.* 273.

7. Alii quoque artifices licet initio profeſſionis ſuæ jusjurandum præſtiterint, tamen de rebus ſingulis, quibus adhibentur, jurare iterum coguntur, veluti de pictoribus & notariis tradit Rulandt *de Commiſſar. p.* 1. *lib.* 4. *c.* 10. *n.* 7. Poſtremum me quoque non turbat, quod de contrario uſu fori non tantum teſtis ſit Rulandt. *d. n.* 7. ſed & diſtingui debeat an conſuetudine populi, penes quem eſt legis condendæ poteſtas quid introductum, an verò diu quid pro jure non obſervatum ſit?

8. Poſterior caſus huc pertinet, unde nec in hac provinciâ hodiè judex, ſi reus, qui ſe ſentit judicio Medicorum oneratum id flagitet, benè functus officio dicetur quando & medicinæ Doctores & Chyrurgos haut jusjurandum ſpeciale præſtare cogit. *arg. l.* 13. *in fi. ff. de injur.*

9. Hic autem me ſiſtit auctoritas Cl. Brunnemanni, qui *d. c.* 7. *n.* 18. ſcribit; *Malè igitur nonnulli Practici præciſè urgent juramentum hoc, nam quia ſciunt Medicos non facilè id præſtituros, hac cautela ſubvenire clientibus annituntur cum animarum ſuarum atque interdum integrarum provinciarum damno:*

10. Nam licet fuerint, qui tradiderint Medicos aut Chyrurgos cogi non poſſe ut ſuam de vulneribus opinionem proferant, uti videre apud Durand. *in Specul. tit. de requiſ. conſil. n.* 9. *verſ. & nunquid.* Decium *ad d. c. propoſuiſti. n.* 57. Verior tamen eſt ſententia & uſu forenſi comprobata aliter ſtatuentium. Felin. Sandeus *ad d. c. n.* 6. Pacian. *d. c.* 47. *n.* 57.

11. Quæ tamen ſic temperanda, ut locum tunc capiat, ſi interna cadaveris inſpectio fit & de vulneribus quæritur an ex iis mors ſecuta nec ne? Ut hoc caſu non verò ſi externa cadaveris inſpectio tantum fiat ut de crimine conſtet, jusjurandum neceſſarium ſit. Farinac. *d. q.* 127. *n.* 118. Heig. *d. l. n.* 65. *&* 66.

12. Quoties enim judex probationes ſumit ex officio ad ſui informationem, juramentum in teſte, cui ſimilis eſt medicus, non eſt neceſſarium, uti loquitur & tradit Carpzov. *p.* 2. *Iuriſpr. for. conſt.* 7. *def.* 15. *n.* 7. & ad rem nobis propoſitam id transfert Oldekop. *tit.* 2. *obſ. crim.* 7. *n.* 2. Sed nec eo caſu, quandò vulnera inſpiciuntur, Medici aut Chyrurgi jurare adſtringuntur, ſi eam in rem nominatim & ſpecialiter conſtituti & initio iſtius muneris jurarunt. Pacian. *d. c.* 47. *n.* 24. Farinac. *d. q.* 127. *n.* 118. Franc. Niger Cyriaci *controv. for.* 395. *n* 5. Oldekop. *d. obſ.* 7. *n.* 4. & re judicatâ confirmat Carpzovius *p.* 1. *Iuriſpr. for. conſt.* 22. *def.* 12. *in fi.* Quanquam aliàs nequidem à reo id eis remitti poſſit ex traditis Dan. Mollero 1. *Semeſtr.* 10. *n.* 2.

Caput

Caput LI.

Formula juriſjurandi Medicorum. Debent corporaliter *jurare nec ſufficit relatio ad ſacramentum anteà dictum neque etiam adpromiſſio loco juramenti facta.* Memnonita *&* Judæus *quomodò jurent?*

1. JUriſjurandi autem hujus, quod Medici & Chyrurgi præſtant, formula exſtat in *Ordinat. Cam. Spir. p.* 1. *tit.* 85. quam latinè verſam hic ſubjicere operæ precium duxi, quod non modò conveniens iis quas exhibent Baldus *ad d. c. propoſuiſti. x. de probat. n.* 3. & Pacian. *d. l. n.* 32. ſed & longè melior ſit.

2. Sic autem habet; *Iurabis quod in hac re propter quam adhibitus es, quantum per experientiam artis tuæ didiciſti & ſenſibus corporalibus deprehendere potes, nullus in commodum aut incommodum, nec ex livore & odio, neque etiam ob mercedem, favorem vel donum ſed tantum ad promovendam juſtitiam & uti rem ipſam reperis, veritatem dicere velis, & quod credis id ita eſſe, uti Deus te adjuvet & ſanctum evangelium:*

3. Ex quibus verbis adparet quod id ſit jusjurandum credulitatis, nec enim de veritate in abſtracto ſpectatâ ſed de eâ quam animo ſuo & opinione conceperunt atque credulitate jurant. Anania *ad d. c.* 18. *x. de homicid. n.* 13. Pacian. *d. l. n.* 17. Maſcard. *d. concl.* 1039. *n.* 37. Farinac. *d. q.* 127. *n.* 113. *&* 114.

4. Quâ de cauſâ ſi eorum judicium poſteà retractetur & alios Medicos judex ſequatur, uti eum facere poſſe dixi, non fiunt perjuri, quia Medicorum manus & oculi ſæpè falluntur; *c. cauſam matrim. x. de probat.* nec veritatem ſemper certò percipere queunt. Roman. *ad l.* 1. *§. fi. ff. de V. O. n.* 2.

5. Hoc autem ſacramentum aliquandò eſt veritatis, ſi de re eâ Medicorum teſtimonium requiratur quæ externis ſenſibus corporis certò ſciri poteſt. Oldekop. *d. obſ.* 7. *n.* 5. Neque ſolum hoc ſed & credulitatis memoratis præcedente capite caſibus ad ſubſtantiam actus hujus & ex formâ deſideratur atque ideò verè & propriè atque corporaliter præſtari debet. Alexand. de Imola *ad l.* 1. *ff. de lib. & poſthum. n.* 9.

6. Nec itaque per æquipollens adimpleri poteſt. Hartm Piſtor. *p.* 4. *QQ.* 6. *n.* 3. Non enim eſt idem quod ponitur pro eodem. Setſer. *de jurament. lib.* 1. *c.* 16. *n.* 15. Quare promiſſio facta à Doctore genere nobili *per nobilis honorem & fidem* hic non ſufficit. Carpzov. *p.* 2. *Iurispr. for. conſt.* 36. *def.* 9. *n.* 3.

7. Non

7. Non enim generaliter jusjurandum præſtitiſſe ſatis eſt, ſed nuncupatim & verbis propriis exprimi debet *c.pen.x.de jurej.* Tiraquell. *ad LL. Connub.* 16.*gloſſ.* 7.*n.* 121. Qui auctor inde rectè infert quod non hac in re valeat relatio ad aliud ſacramentum, *d. c. pen.* nec ſufficiat ſi itaque Medicus profeſſor velit dicere ſe id adſerere cum iſto jurejurando quod Principi initio muneris dixit, quia verè non autem fictè jurandum uti ait Tiraquell. *d. l. n.* 189. qui plures adducit idemque reſpondit Bertrandus *lib.* 1. *conſil.* 181, *n.* 9.

8. Sic cum ante luſtrum in Academiâ Teutoburgenſi Bibliothecarii munus cuperet Profeſſor & crederet ſe novo & ſingulari ſacramento onerari non potuiſſe quod generale principio ſuſcepti muneris præſtitiſſet, pluribus tamen aliud placuiſſe memini. Nec immeritò! Qui enim jurat is religioſè enunciare atque ideo ad pœnam quà æternam excidii quà temporalem iterum atque iterum ligare & devovere ſe debet ſi ſciens fallat, uti docui *in tract. de juram. perhorreſc. c.* 2.*n.* 12.

9. Ejuſmodi autem obligatio non adeſt ſi quis quid adſeveret cum relatione ad aliud ſacramentum anteà dictum, neque enim ſi contra id fecerit perjurii reus fit. Setſer. *d.c.* 16. *n.* 12. Canonum interpretes veluti Panormit. Joan. Andreæ, Butrio & Imola *ad d. c. pen. x. de jurejur.* Hartmanni. *pract. obſ. tit.* 29. *obſ.* 3. *in fi.* In tantum hoc verum ut nec Medicus perjurus fiat, ſi à Principe juſſus pronuntiare cum *jurisjurandi vinculo* vernaculè bey Endes pflicht. Setſer. *d. l. n. ult.*

10. Commemorandum tamen hoc eſt quod ſi Medicus aut Chyrurgus ſit Memnonita, tunc in Cliviâ, Marcâ, Hollandiâ nec non Groningano Omlandicâ provinciâ ſi verba velis ſpectare non rem, haut dicitur jurare ſed *per ſuam conſcientiam & viri veritatem adſumens in teſtem Deum omnipotentem tanquam ſolum perſcrutatorem cordium & renum* enuntiat id quod ſibi de vulnere videtur, uti docui *in d. tract. de juram. perhorreſc. c.* 41. *n.* 3. *& ſeq.*

11. Judæis contra formula magis rigoroſa atque ſeverior præſcribitur uti ex jure Saxonico & Suevico tradit Speidel. *Spec. Hiſtor. Iurid. Pol. lit. I. n.* 76. & exſtat *in LL. Municipal. Clivens. tit.* 256. Quæ verò hanc in rem transferri & adjectis iis quæ cadaveris inſpectionem ſpectant, communiter obſervari poſſit, diſcas ex *Ordin. Cam. Spir. part.* 1. *tit.* 86. Speckhan. *Diatagm. de Iudæ* 17. *lit. a.*

CAPUT LII.

DISPUTATIO VII.

Reſp. Gerardo Ten Bergh, *Amſtelodamo-Batavo.*

CAPUT LII.

Citò cadaver inſpiciendum idque etiam die ſacro cultui dicato fieri poteſt.

1. CAdaver *tam citò ut fieri poteſt* inſpiciendum eſſe ait edictum, & præcipiunt LL. Trans-Iſal. *p.* 2. *tit.* 21. *art.* 1. Velav. *c.* 3. *art.* 12. ut fruſtrà ſcribat Oldekop *tit.* 4. *obſ. crim.* 47. *n.* 6. quod id monere non ſit neceſſe; Intra ſeptem horas à tempore mortis computandas, quod tam diu calor naturalis in corpore humano ſervetur ex ſententiâ Ficini *ad Lucret. lib.* 4. *verſ. Emicat in partem ſanguis unde icimur ictu*: tradit Caſonus *de indic. c.* 3. *n.* 3.

2. Quo citius eò melius inſpectio ergò peragenda, nam vulnus quod initio lethale non erat caſu & aere externo mortem adferre poteſt uti docet Zacchias *lib.* 5. *QQ. Medico leg. tit.* 2. *q.* 3. *n.* 16. & tàm Medicus quam Chyrurgi pronuntiarant de caſu eo de quo Ordo noſter reſpondit *die* 23. *Octobr.* 1669.

3. Nec tamen ſi judex non niſi poſt ſeptem horas ſciverit cædem eſſe patratam, ideò id inſpicere deſinet, ſed & poſt diem unum aut alterum eum id facere oportet, uti plenius tradit Theſſaur. *decis. Pedemont.* 173. *n.* 4.

4. Quod ſi verò ilico judex id noverit ad inſpiciendum cadaver cum Medicis & Chyrurgis vel ipſe vel is cui ejus rei cura data; properabit, etiamſi dies ſit divino cultui dedicatus. Bald. *in l* 2. *ff. de feriis. n.* 4. Angel. Aretin *ad l.* 1. *§. ult. ff. de V. O. n.* 40. Decius *ad d. c. propoſuiſti. n.* 55. Maſcard. *d. concl.* 1039. *n.* 16. Qui pro ratione adducunt quod Medici & Chyrurgi non pronuntient tanquàm in judicio. Melius autem erit ſi ajamus ideo quarumcunque feriarum tempore id fieri poſſe, quia *facillimè & in hoc ſummi numinis ſperetur venia per quod multorum ſalus & incolumitas procuratur*, uti ajunt Honor. & Theod. adeò ut *nec venerabilem Paſchæ diem exiſtiment excipiendam ne differatur ſceleratorum conſiliorum* & quæſtio latronum. *l.* 10. C. *de feriis.*

Digitized by Google

Caput LIII.

Explicatur quid vocula diligenter *ſignificet & enarrantur ſingula ex quibus conſtare poteſt num ita judex egerit* ratione teſtium, *qui inſpectioni cadaveris interera͏nt.* Frequentatio loci, *in quo cadaver repertum &* digreſſio à viâ publicâ *ſuſpicionem ſceleris arguunt.*

1. JUdicem oportet *diligenter* inſpicere cadaver Princeps conſtituit. Verbum *diligenter* pro diverſitate rei de qua agitur variè accipitur. Corſet. *ſingul. lit.* D. Hic autem poſitum eſt pro *valdè diligenter* aut *diligentiſſimè*. Quod ſi ergò per imperitiam judex non cum omni omninò diligentiâ cadaver inſpexerit, culpæ reus eſt, cum affectare quisque non debet munus in quo vel intelligit vel intelligere debeat imperitiam ſuam alii ſive reip. ſive cognatis occiſi periculoſam futuram. *l.* 8. §. 1. *l.* 44. *ff. ad L. Aquil. l.* 132. *ff. de R. I.*

2. Ut autem culpæ vacuus ſit judex non tantum debet cuncta ea obſervare quæ toto hoc libro tradita, ſed & præterea interrogabit eos qui adſunt, an (1) ſciant eum cæſum ab alio? (2) Unde id ſciant? (3) quis ergò hoc crimen patraverit? Si neutrum ex illis intelligere queat, quærat (4) an non ſuſpicentur aut conjectent quis id fecerit? vel (5) an non indicare poſſint quâ ratione cædis auctor inveſtigari queat? (6) An non noverint, quis mortuo fuerit inimicus capitalis aut rixas paulò ante cum ipſo habuerit vel minas contra eum jactaverit? (7) An neminem viderint apud cadaver cum ad illud acceſſerint? (8) Quis fuerit? (9) Num in ſermone varius aut vultu vel perterriti vel pavore defixi hominis figuram expreſſerit? (10) An in veſtibus ejus ſanguinem vel aliud quid viderint, ex quo luctatio quædam colligi poſſit? (11) Telone inſtructus fuerit nec ne? & quale id fuerit? Papon. *corp. jur. Gallic. lib.* 24. *tit.* 9. *arreſt.* 5. & an mortuus arma habuerit & quo loco ea ſita eſſent? (12) Quâ ratione abiiſſet iſte homo & quid dixiſſet & an cum crederet ſeſe è conſpectu aliorum eſſe, elabi properaſſet & ad quem locum eum tendere vidiſſent? (13) An quoque obſervarint, quod aliquando oculos poſt terga rejecerit & viderit num alii eum inſequerentur? (14) Num etiam cum à cadavere & teſtibus eſſet digreſſus obſervaverint quod dubitaverit quam viam, ſi forte bivium aut trivium ibi erat, ingrederetur? (15) Et an viâ publicâ iverit an vicinali aut per medios fundos.

3. Quid

3. Quid porrò teſtibus hac de re notum ſit, hæc omnia & ſingula ut eâ fide, quàm deinde jurejurando firmare queant, dicant monere eos debet judex, ex quo iterum intelligitur quàm neceſſaria ejus ſit præſentia idque ſentire quoque videtur Cl. Brunnemannus, qui nonnullas memoratas interrogationes quoque exhibuit. *d. c. 7. n. 28.*

4. Ex reſponſis ſi de hoc vel illo liqueat judici, tunc per hanc inquiſitionem generalem facilis eſt progreſſus ad ſpecialem contra hanc vel illam perſonam quæ iſtis argumentis onerata. Et tunc latiſſimus indiciorum campus adeundus, ex quo carpi queunt rationes per quas hic vel ille cædis ſuſpectus argui poteſt.

5. De cunctis autem enarratis quindecim argumentis & interrogationibus aliisque quas ex ipſo facto judex adjiciet illis, videndi Zangerus, Caſonus & Cruſius *tract. de Indiciis*, nec non Farinacius, Carpzovius aliique *in operib. crimin.* etiamque Ambroſinus, atque Brunneman. *de proceſſu inform. & inquiſit.* quibus & adde eos qui *de quæſtione reorum* ſcripſerunt.

6. Hæc enim argumenta hic excutere ad rem propoſitam non pertinet, nec ex vitio ſcriptorum hujus tempeſtatis, qui extra propoſitam materiam, ut in vaſtam molem conſurgat liber, inferciunt multa, viribus ſed imbecillitate magis peccare volo. Liceat mihi tamen hic commemorare reſponſum, quod convenienter interrogationi ſeptimæ ante annum & ſemeſtre dedi de caſu qui in Drentiâ contigerat. Viſa fuerat mulier in eo loco, quo poſteà cadaver infantis repertum fuit, unde argumentum contra eam fœminam & aliis oneratam indiciis quoque deprompſi, idque vel eò magis quod publicè eò commeari non ſolebat nec muliercula cauſam haberet cur eò iret.

7. Certum autem eſt quod ex frequentatione loci, in quo crimen eſt admiſſum, accedentibus argumentis aliis, ad quæſtionem ipſam progredi detur, uti allegabam ex Zangero *de tortura. c. 2. n. 153.* Mario Giurba. *conſil. crim.* 87. *n.* 17. & Carpzovio *p.* 3. *prax. crim. q.* 120. *n.* 30. *& ſeq. & d. p.* 3. *q.* 122. *n.* 2. 3. *&* 4. Quantò magis ergò ad inquirendum inde orietur argumentum? Caſonus *de indic. c. 2. de viſo & reperto. n.* 4. *&* 5. Non enim id quod minus eſt licere non debet ei, cui licet id quod majus eſt. *l.* 21. *ff. de R. I.* uti reſpondi conſultus 12. *Ian.* 1672.

8. Occaſione quintæ decimæ interrogationis Teutoburgi in Clivis, cum profeſſoris munere ibi fungerer, fur improbus deprehenſus fuit in agro per cives, qui cum alios graſſatores in ſaltu & nemoribus fruſtrà inveſtigaſſent, in reditu hunc hominem metu & conſcientiâ ſcelerum perculſum non aliam ob rationem ſiſtebant quàm quod licet pedes eſſet ipſi verò equites quæſiviſſent, viâ publicâ non iret.

9. Captus ilicò ad conſulem D. Reinh. ab Eick virum dum viveret mihi amiciſſimum ductus & ab eo interrogatus quis eſſet, unde veniret & quò vellet? nutare & poſteà contremiſcere cœpit, & ubi in urbem ductus & cuſtodiæ traditus nomenque profeſſus eſſet, & multorum ſcelerum convictus multaque flagita confeſſus è infami trabe ſuſpenſus, cui nomen dedit.

CAPUT LIV.

Vulnus definitur & à contuſione atque ulcere differe oſtenditur. Quandò ſectione cadaveris opus ſit etiam ubi ſtatim homo ex ictu periit? Teſtes etiam de vulneribus interrogandi & hos Medicis præferre judex aliquandò debet.

1. Ait edictum *illatas noxias & vulnera*: Noxiam dico id quod vernaculè ſchaden appellat Princeps. Differunt autem à vulneribus. Nam noxia hic ſignificat ictum, qui ſanguinem haut provocat niſi forte ex naribus aut ore & *contuſio* à Medicis vocatur. Sed vulnus eſt læſio, per quam ſanguis effluere cogitur, niſi fortè foramen aut omento aut meſenterio vel ipſis inteſtinis obſtruatur, uti aliquandò vidi & acciderat in caſu de quo conſulti reſpondimus ante biennium.

2. Rectiſſimè ergò definitur vulnus quod ſit *ſolutio continui in carne per rem extrinſecam facta & ad ſanguinis amiſſionem apta.* Genus benè ſe habere diſcas ex Galeno *method. med. lib.* 3.*c.* 1. atque ſic per ſolutionem continui vulnus differt à tubere. Carnis appellatione excluduntur omnia quæ inter excrementa Medici numerant veluti capillos & ungues, præter ea autem totum corpus humanum atque adeò etiam oculus carnis nomine nobis venit. *l.* 5. *§.* 3. *ff. ad L. Aquil.* neque removetur venæ ſectio dolo malo aut culpa facta. *§.* 7. *I. eod. tit.*

3. Fit

3. Fit vulnus per rem extrinſecam atque ita ſeparatur ab ulcere. Gloſſa *ad l. 4. §. fi. ff. de Ædil. ed.* Cœpolla *ibid. n.* 4. Boer. *deciſ.* 327. *n.* 3. Eſtque *ad ſanguinis effuſionem apta*. Nec obſtat quod vulnus abſque ſanguine detur, uti ex Medicis & JCtis contrarium ſtatuit Paul. Zacchias *lib. 5. QQ. Medico-legat. tit.* 2. *q.* 1. *n.* 13. *& ſq.* Nam & ipſe hoc anteà ſcripſi, quod caſu id contingat, ſui naturâ autem ad ſanguinem mittendum extra ſua vaſa vulnus aptum atque plerumque id fit, unde id ſpectandum eſt. *arg. l.* 3. *& ſeq. ff. de legib.*

4. Sic pace Medicorum permiſſum mihi fuerit ad exemplum Boerii *deciſ.* 323. *n.* 1. meam de vulnere traditam definitionem tueri. De quo cum jam conſtet revertemur ad edictum quod vult vulnera *aperiri*. Hac re autem opus non eſt, ſi ex vulnere homo ſtatim atque ictus erat, mortuus fuerit, nam in claris non opus eſt conjecturis. *l.* 137. §. 2. *in fi. ff. de V. O.*

5. Niſi fortè in tumultu & à pluribus cædes facta eſſet, nam aperiendum & ſecandum tunc erit cadaver ut inveſtigemus globum quo homo periit & cujus bombardæ congruit is reus erit non alter cujus ſclopetum adeò parvum ut talem globum capere non poſſit. Pariter ſi unus aut argenteo globo aut dentibus perforato oneraſſe bombardam viſus & ilicò eâ petiiſſet cæſum atque in hujus corpore repertus fuerit talis globus, occidionis reus erit ſolus.

6. Non ergò judex fidem habere debet Medicis aut Chyrurgis ſi aliter pronuntiant de vulnere ex quo notorium eſt mortem fuiſſe è veſtigio ſecutam. Plaza *de delict. d. c.* 13. *n.* 8. Farinac. *d. q.* 127. *n.* 124. Qua de cauſa res facti veluti vulnerum *qualitatem, locum & numerum cum omnibus circumſtantiis* quidem per Medicos aut Chyrurgos *conſignari* & *an vulnus, noxia vel ictus lethalis ſit vel non* per eos *enuntiari curabit* uti Princeps dicere pergit, inquirere tamen in cuncta ipſe judex debet & de omnibus & teſtes & Medicos ipſos atque Chyrurgos examinabit.

7. De quâ re totâ in actis adpareat idque Princeps vult quando ſancit ut *diligenter ad protocollum referri* judex operam det traduntque Joan. de Anania. *ad c. ſignificaſti. il.* 2. *x. de homicid. n.* 10. Plaza *d. c.* 13. *n.* 11. Pacin. *d. c.* 47. *n.* 66. Farinac. *d. l. n.* 132. Non ergò tam craſſè accipiendum quod vulgò dicitur peritis in arte atque ideò Medicis credendum, quod tantopere rem propriam agens urget

Zacchias *d. q.* 1. *n.* 2. *&* 7. ubi plauſtra interpretum juris adducit.

8. Id enim tunc verum ſi non aperta veritas refragetur aut juſta cauſa dubitandi apud judicem ſit, nam tunc priores ſpernere & ad alios ire poteſt, uti uſu fori noſtri & Italici ſervatur, uti teſtis eſt Farinac. *d. q. n.* 133. quodque ex hodiernâ praxi teſtes prius non tantum de cunctis *c.* 53. *n.* 4. *& ſeq.* enarratis, ſed & de vulneris qualitate an id mortiferum nec ne, examinari debeant, tradit Juſtus Oldekop. *tit.* 2. *obſ. crim.* 7. *n.* 7.

CAPUT LV.

De Vulneribus lethalibus ediſſeritur, atque indicatur quæ ratione partis læſæ talia non ſint.

1. NOn abs re ergò facturus ſi breviter hic tradam differentiam vulnerum lethalium & non lethalium eorumque exempla explicatè quantum potero proponam, ut judex cernere poſſit an Medicorum judicia conveniant cum præceptis artis iſtius quam profitentur. Nam judicem circumſpectum & diligentem hac in re eſſe & cuncta rimari oportet. Gail. 2. *obſ.* 111. *n.* 24.

2. Sunt autem lethalia vulnera non unius generis. Alia enim neceſſariò & ſemper alia verò ut plurimum mortem adferunt. Fortunius Fidel. 4. *Relat. Medic.* 2. Roder de Caſtro *Medico-Polit. lib.* 1. *c.* 11. *pr.* Neceſſariò lethalia ſunt quæ omnem ſanandi rationem ſpernunt & vitam homini aufferunt. Farinac. *d. l. q.* 126. *n.* 5. Ut plurimum mortifera ſunt verò illa quorum rara & difficilis curatio non verò ἀδυνατὸς, cum ope artis Medicæ ſanari queant. Perr. Royz. *deciſ. Lithuan.* 1. *n.* 247. Guazzinus *de defenſ. reor. def.* 4. *c.* 11. *n.* 6. Tiraquell. *ad LL. Connub.* 2. *n.* 29. Zacchias. *d. tit.* 2. *q.* 2. *n.* 7. *& ſeq.*

3. Mortem neceſſariò accelerat vulnus cordis etiamſi tantum pulpa vel caro ejus læſa, etiam modicum in diaphragmate quia propter motum cordis continuum, utrumque coaleſcere nequit. Fallop. *de vulner. c.* 6. Zacchias. *d. l. n.* 20. 21. *&* 24. Ejusmodi vulnera neceſſariò lethalia etiam ſunt ea quæ cerebrum, jecur, ventriculum, ſtomachum, aſperam arteriam, venam itemque arteriam magnam, ſpinalem medullam, umbilicum proximumque duorum aut trium digitorum ambitu ei locum, pulmonem, lienem, fellis veſicam etiamque urinariam, tenuia inteſtina, præſertimque Jejunum, renes & temporales muſculos læſerint. Zacchias. *d. l. n.* 23. 4. Sed

4. Sed non in his veluti in corde vel minima læſio mortis cauſam præbet ſed ſi nobiliores ad particulas penetret. Fallop. *d. c. 6.* Celſus Medic. *lib. 5. c. 26.* Niſi enim ad baſin cerebri & interiores atque præſtantiores pulmonum hepatis renum aliorumque particulas attigerit vulnus neceſſario mortiferum non eſt, ut tale non rectè dixerit eſſe quod cerebrum tangit Farinacius *d. q. 126. n. 5.* Toties ergò dicimus vulnus ut plurimum lethale eſſe ſi in memoratis corporis partibus læſio contigit ſed non earum nobiliora & interiora attingit.

5. Facile nunc cuilibet obſervitare quod ratione partis læſæ vulnera non mortifera ſint, quæ in parte ignobiliore & ſenſu obtuſo prædita quis accepit. Paul. Zacchias *d. q. 2. n. 26.* Talia ſunt illata brachio, Bald. 2. *conſil.* 136. *n.* 4. Guazzin. *d. c.* 11. *n.* 10. Farinac. 2. *conſ.* 81. *n.* 6. Boer. *d. decis.* 323. *n.* 3. natibus, Boer. *d. n.* 3. Maſcard. *de probat. concl.* 1073. *n.* 13. Farinac. *conſil.* 171. *n.* 6. coſtis, Paſetus. *conſil.* 202. *n.* 29. manui & digitis. Boer. *d. n.* 3. Decius *conſil.* 415. *n.* 3. Joh. Vinc. Hondedæ. 1. *conſult. deciſ.* 104. *n.* 28. Quanquam autem hæc vulnera, ſi ſimplicia & modica in robuſtæ maturitatis homine & armis potius incidentibus quàm alterius generis inflicta, non ſint lethalia, mortem tamen adferre poſſunt ex variis cauſarum figuris, uti vel diſcimus ex uno Decio *d. conſil.* 415. *n.* 9.

6. Ubi primò quantitas vulneris ſpectanda, nam ſi id profundius tunc cæteris iſtud periculoſius eſt. Idem dicendum de iis vulneribus quæ non quidem adeò penetrant in corpus, attamen in longum & latum ſeſe extendunt vel rotunda & in orbem ſe pandunt. Hæc enim æquè ac profunda licet inlata in eam corporis partem fuerint, ſine quâ homo vivere poteſt, tamen mortis cauſam præbere poſſunt certiſſimam, tum ob varia ſymptomata ilicò ſecuta tum propter nimiam amiſſi ſanguinis copiam. Decius. *d. n.* 9.

7. Sola quoque vulneres qualitas id poteſt reddere mortiferum licet ratione partis læſæ tale non ſit. Zacchias. *d. tit.* 2. *q.* 6. *n.* 5. Nam id quod cum contuſione factum certius mortem adfert quàm illud quod inciſum atque ideò majori periculo obnoxium quod globo ex bombardâ illatum, quàm gladio ſimilive telo. Licet inter gladios, haſtas, ſicas; & alia ejusmodi arma magis noxia quæ pungentia, hamata & ferrata, quam ea quæ ſecant. Boer. *d. n.* 3. Zacchias. *d. q.* 2. *n.* 27. Marius Giurba *conſil. crim.* 51. *n.* 19.

8. Pejora

8. Pejora quoque & facilius mortem adferunt rubigine obſiti enſes, nam veneno tinctis pares. Cardan. *lib. 2. de venen. c. 6.* Zacchias. *d. q. 6. n.* 10. Veneno autem tincta arma quoque inferre poſſe vulnus mortiferum etiam in non neceſſariis corporis partibus dubium non eſt. Zacchias. *d. q. 2. n. 11. & q. 7. n 7.* In ſenibus etiam & maribus vulnera aliàs non lethalia mortis cauſam præbent: uti poſt Accurſ. Signorol. de Homodæis, Bolognet. & Hippol. Marſil. tradit Tiraquell. *ad LL. Connub. 9. n. 225.*

9. Tempus quoque diverſitatem introducit. Peſſimum eſt autumnus & per totum annum id quod frigidum & humidum vulneribus magis noxium. Fortun. Fidel. *d. c. 2.* Locus non ſecus ac tempus etiam facit ut vulnus mortiferum ſit, quod tamen alibi & ratione partis læſæ tale non eſt. Nam in editioribus & apertioribus locis aeriſque tenuioris, vulnera capitis non niſi difficulter, crurum contra facillimè ſanantur. E diverſo in locis humilioribus craſſioriſque aeris vulnera crurum difficillimè & capitis frequentiſſimè curantur. Zacchias. *d. q. 2. n. 31.* Vulnera infirmis, cacochymicis & morbo facilè correptis inlata, citius mortem accelerant quàm quæ robuſtis & ſanis. Thom. Actius *de Infirm. p. 2. verb. vulnus. n. 1. & ſeq.*

CAPUT LVI.

Non ſatis eſt unum interrogari Medicum de qualitate vulneris. Judicio Medicorum nulla fides habetur ſi judex ex præſcripto legis non inſpexit cadaver. Declaratur cur illi enuntiationis ſuæ cauſas *adjicere debeant? Requirere & eorum arbitrium debet judex* de genere teli *quo vulnus inlatum.*

1. QUandò ergò cadaveris inſpectio fit, judex ipſe diligenter videat an aliqua iſtarum partium quæ ad vitam neceſſariæ & memoratæ *c. 55. n. 5.* & *6.* vulnerata, & eas ſi non noverit ipſe ſibi explicari curet per Medicos aut Chyrurgos & non modò unum interrogaſſe ſatis putet, ſed ne is fortè gratificetur reo & alios quoque id enuntiare jubeat.

2. De facto enim prius certi eſſe debemus antequam ad juris quæſtionem perveniamus, cum hæc ex facto oritur. *l. 52. §. 2. ff. ad L. Aquil. ibique* Gothofred. *in not.* Nam ſi fundamentum non valeat, tunc omnia corruunt quæ ei inædificata. *Matthæi. 7. 27. c. cum Paulus. 1. q. 1. arg. l. 178. ff. de R. I.*

3. Sed

Digitized by Google

Sed non tantum *locum & numerum* vulnerum, verum etiam eorum *qualitatem* diverſam præcedente capite traditam ſcripto *conſignari* & gentium leges præcipiunt: *Conſuet. Velav. c.* 3. *art.* 12. *LL. Tran-Iſal. p.* 2. *tit.* 21. *art.* 21. & jubet Princeps Elector Brand. Idem vult ut id fiat *cum omnibus circumſtantiis* à perſonâ vulneratâ ejusque ætate, ſexu & valetudine, etiam à tempore nec non à loco domicilii deſumptis. De quibus ergò omnibus & ſingulis Medicorum & Chyrurgorum dicta ad acta referri curet judex & ea ipſe cum cadavere conferat ubi à ſcriba fuerunt annotata ut videat an res facti benè & juſtè obſervatæ ſint, nam ſi legis & edicti normam non fuit ſecutus judex, nec Medicorum judicio vis ulla ineſt. Oldekop. *tit.* 4. *obs. crim.* 47. *n.* 5.

4. Quod etiam Medicis & Chyrurgis tantum tribuere non debeat judex ut eorum pronuntiata pro imperatis habeat vel inde palpari poteſt, quod edictum præcipiat, ut illi *cauſas cur vulnus cenſeant eſſe lethale aut non* adjicere eæque ad *protocollum referri* debeant. Licet enim teſti credatur dicti ſui rationem non reddenti, uti nonnullis placuit interpretibus *ad l.* 4. *C. de teſtib.* aliter tamen rectius viſum, *arg. d. l.* 4. Brunnemanno viro Cl. *de proceſſ. c.* 20. *n.* 71.

5. Deinde ſi id in teſte receptum eſſet, ab eo tamen in nonnullis differt artis alicujus peritus, ut à diverſis malè inferatur, atque ideò perito non adhibeatur fides niſi enuntiati ſui cauſas reddiderit, etiamſi de iis à judice non fuerit interrogatus, uti poſt Baldum docent Decius *ad d. c. propoſuiſti. n.* 30. Pacian. *d. c.* 47. *n.* 64. Rationem arceſſit inde Alexander ab Imolâ. 2. *conſil.* 148. *n.* 4. quod artis peritiam profeſſi de eâ re teſtimonium dent, quam ſolo ſenſu & intellectu percipiunt.

6. Quod etiam Medici & Chyrurgi non tantum de vulnere an id ratione partis læſæ mortiferum, ſed & de eo interrogandi quo genere teli quibusve armis illud inlatum & an punctim an verò cæſim inflictum, poſt Durandum Speculatorem docet Farinac. *d. q.* 127. *n.* 115. & exemplo illuſtrat Anania *ad c.* 18. *x. de homicid. n.* 8.

7. Hac autem de re ſi judicium ſuum proferant etiam ejus cauſas addere cogantur. Quid enim ſi ajant globo ex ſclopeto icto vulnus eſſe illatum ut liberent eum, qui in tumultu alteri id intulit gladio, qui totus non tantum ſanguine tinctus ſed & bombardæ ſonus nec auditus nec, ſi eum cohiberi poſſe dixeris arte & commixtione rerum aliarum cum nitrato pulvere, ullus teſtis aut obſervaverit

Digitized by Google

bombarbâ aliquem uſum aut ulla apud rixantes reperiatur? Plus apud judicem hoc caſu valeat quod in rei veritate quam quod in opinione Medicorum eſt. *arg.* §. 11. *I. de legat.*

8. Contrà ſi unius, qui rixæ interfuit, enſis ſanguine maculatus & tamen mortiferum vulnus adeò latum ut ejusmodi gladio minimè id factum eſſe judicent, tunc Medicorum arbitrium ſequi poteſt judex, præſertim ſi alius in eodem tumultu vel ipſe cæſus latiorem enſem habuit. Ex facto cum incidiſſet caſus ſic ab Ordine Medico in Academiâ Duisburgenſi memini reſponſum *anno 1666.*

Caput LVII.

Quibus ex ſymptomatibus cognoſcatur vulnus mortiferum fuiſſe vel non? Non ſtatim à cæde liber eſt vulnerator, ſi læſus domo prodierit à vulnere accepto. Ubi Jus & divinum & humanum explicantur, etiamque docetur quod homicidii reus ſit, qui vulnus intulit quod ratione partis læſæ lethale non erat.

1. JUbet Princeps ut quoque actis inſeratur *quænam ſymptomata acceſſerint*: Farinacius 2. *conſil.* 171. *n.* 46. poſt Cœpoll. & Grammat. dividit an ſtatim mala ſymptomata, ſecuta nec ne? priore caſu vulnus mortiferum fuiſſe & inde hominem exſtinctum non verò poſteriore cenſet. Errant longè meâ ſententiâ, quia tertiâ & quartâ die à vulnere, illud demum ex motu naturæ recrudeſcere incipit, ſed quid de meâ ſententiâ dico, eſt ea Pauli Zacchiæ. *d. q. 6. n.* 25.

2. Ergò ex ipſis ſymptomatibus malis id judicandum, an vulnus lethale ſit? quale dicemus illud fuiſſe ſi dolore atrociſſimo poſt acceptum vulnus excruciatus, febre ardente correptus, ſyncope & ſpasmus eum occupaverit, ſanguis ex vulnere manans ſiſti nequiverit, tumor plagæ receſſerit, continuo vomitu turbatus, delirium paſſus & deſiderio ullius alimenti haut tenebatur. Zacchias. *d. q. 6. n.* 24.

3. Qui auctor cum hisce conjungit exitum cibi vel potus, aut fœcum aut urinæ per vias alienas. Sed hoc ſymptoma non modò prioribus cunctis eſt certius ſed apertiſſimè indicat ratione partis læſæ veluti ventriculi, inteſtinorum aut veſicæ illud vulnus mortiferum eſſe idque Duisburgi in milite vulnerato aliquandò obſervavi.

4. Ob-

Digitized by Google

4. Obſervandum ergò judici ut dum inſpicit cadaver, quoque interroget eos qui defuncto poſtquam vulnus accepiſſet ad extremum vitæ ſpiritum adfuerunt, quid ex memoratis ſymptomatibus obſervaverint idque omne ad acta referendum.

5. Judex quoque inquirat in valetudinem quâ defunctus cum adhuc vivebat uſus fuit, nam ſi mala nec confirmata fuerit atque ideò vulnus obligari ſe non paſſum nec pus naturæ conveniens excreverit, ut dolore vulneratus nunquam vacaverit & febriculam vel continuam vel intervallo temporis diſtinctam contraxerit, ipſa valetudo ab ipſo vulnere pependiſſe & inde vulnus lethale factum dicetur. Zacchias. *d. q. 6. n.* 25. & 14.

6. Famæ autem nil tribuat judex. Zacchias. *d. q. 6. n.* 12. & 13. Plus enim duobus Medicis cauſas dicti ſui allegantibus & per eas vulnus non eſſe mortiferum ajentibus credendum, quàm mille imperitis nullâ ratione adductâ contrarium dicentibus, Carrer. *d. §.* 11. *n.* 17. Carpzov. *d. q.* 26. *n.* 43. atque ſic capiendus eſt Muſcatellus quem memorat & ſequitur Oldekop. *tit.* 2. *obs. crim.* 7. *n.* 6.

7. Symptomata etiam aliquandò arguunt vulnus non fuiſſe lethale & hominem ſuo potius fato exſtinctum. Inter bona iſta ſymptomata nonnulli referunt vulneris conſolidationem. Bartol. *tract. de percuſſor. n.* 3. Huic autem conjecturæ judex non aliter fidem habeat quàm ſi nulla pravitas in ipſo vulnere ſuperſtes manſerit. Interrogare itaque debet teſtes, qui cum vulnerato egerunt, an non poſtquam conſolidatum fuerat vulnus, deinde ante mortem illud recruduerit an non febre poſteà correptus aut dolorem in parte læſâ ſe ſenſiſſe aut torporem ejus obſervaſſe ſe dixerit mortuus? Zacchias. *d. q.* 6. *n.* 28.

8. Eam prætereà cadaveris partem ſecari curet judex cui vulnus fuerat inlatum, nam ſi pus intus reperiatur, certiſſimum id erit argumentum quod imperitè & citò nimis vulnus fuerit conſolidatum. In hac re enim obſervari debet id quod Auguſtus ex Euripide crebrò jactabat; *Feſtina lentè*:

9. Si autem mala iſta ſymptomata à me memorata non acceſſerint ad vulnus & omnimodò natura ſuperaverit imbecillitatem ex vulnere contractam in principio, tunc licet poſteà iſte homo moriatur, non propter vulnus defunctus cenſeri debet. Damhouder.

 pract.

Digitized by Google

pract. crim. c. 77. *n.* 10. Menoch. *arb. jud.* QQ. *caſu* 275 *n.* 9 Atque ſic interpretor Jus veteris præfecturæ ditionis Groninganæ, quod *lib.* 5. *art.* 43. cavet; *Si homo ita vulneretur, ut periculo vitæ expoſitus & poſt aliquot dies domo prodeat in templa, tabernas, vel per vicos, plateas, tunc reus vitam & tranquillitatem retinet & tantum de vulnerato tenetur:*

10. Niſi id capias de omnimodâ naturæ victoriâ, id æquè abſurdum foret ac illud Petri de Ravenna, qui *ſing.* 795. ſcribit, quod vulnerans de occiſo non teneatur, ſi vulneratus poſt triduum è lecto ſurrexerit & foras ambulaverit. Conſtat enim quod adinſtar ægritudinum malignarum etiam vulnera maligna & mortifera aliquandò in initio remiſſius agant in vulneratos & hoc quaſi proprium habeant. Galen. *comm.* 2. *in* 1. *Epidem. text.* 25.

11. Adeò ut inter conjecturas contrarias, per quas conlegitur lethale fuiſſe vulnus, id numeretur, quod vulneratus poſteà in morbum & infirmitatem iterum lapſus fuerit Farinac. *d. q.* 127. *n.* 77. Zacchias. *d. q.* 6. *n.* 22. & 23. Nec obſtat locus ſacri codicis *Exod.* 21. 21. quem egregiè explicat Roderic. de Caſtro. *d. lib.* 4. *cap.* 11. Quinimò licet nec ex naturâ partis læſæ ex cadaveris inſpectione liqueat judici id eſſe mortiferum neque intellexerit graviora iſta ſymptomata ſecuta fuiſſe vulnus interrogabit tamen eos qui vulnerato adfuerunt, num ilicò poſt vulnus, cœperit morbo aut febricula laborare & hæc ſemper duraverit atque in pejorem valetudinem lapſus ut tandem vitam finierit?

12. Hoc enim caſu ex eventu mortiferum id vulnus appellabimus. Is enim qui vulneravit proximam cauſam lethi præbuit & absque ejus facto alter mortuus non fuiſſet, ut nil interſit an vulnus mortiferum ratione partis læſæ inflixerit, an verò tale quod in hoc vulnerato morti cauſam dederit. *arg. l.* 15. *pr. ff. ad L. Corn. de ſicar.* Neque alium intellectum habet Jus Omlandicum, quo *lib.* 6. *art.* 39. ſancitum eſt; *Si vulneratus aut læſus homo moriatur ex vulnere vel læſione, idque alter ei intulerit, pro cæde id judicari debet:*.

13. Cum enim generaliter loquatur, ita id interpretari nobis convenit, ut locum capiat ſi liquidò conſtet propter vulnus hominem exſtinctum eſſe, quo ſenſu & prudenter à veteribus dictum, quod ex omni vulnere homines mori contingat; Zacchias. *d. q.* 2. *n.* 16. Accepimus enim quod vulnus brachio inlatum mortiferum

fuerit

fuerit in Artabano apud Trogi epitomatorem *lib.* 42. *hiſtor. c.* 2. atque etiam aliis quorum mentionem injicit Menoch. *d. caſu.* 275. *n.* 12.

14. Idem de vulnere digiti, quod ex eo eques aliquis mortuus fuerit narrat Cardanus *in lib.* 5. *aph. Hippocr.* 2. Quibus caſibus argumentum à conditione vulnerati infirma magni momenti erit atque ideò providus judex inquirere debet, an infirmus & debilis fuerit antequam vulneraretur, ſimul & obſervabit an non morbus quo leviter ita vulneratus exſtinctus, univerſos corripiat ejus terræ incolas.

15. De quâ re ſi non adpareat vulnerantem morti cauſam præbuiſſe ajemus. Nec obſtat, quod nullus Medicus ſcire poſſit an is qui in brachio aut digito vulneratus ex ipſo vulnere an verò non potius ex cacochymia mortuus nec febriculâ correptus fuerit niſi quod eſſet cacochymicus, quemadmodum videtur ſentire Caballus *de omni gen. homicid. n.* 330.

16 Quod enim in corpore ſano eſſet cauſa mortis remotior & lethi potius occaſio, ſi vulnus ſequeretur novus morbus, qui fortius in corpus ſæviret quod ex vulnere vel minima mutatio aut infirmitas contigiſſet, id in cacochymico pro mortis cauſâ proximâ haberi oportet, quod absque tali vulnere is homo mortuus non fuiſſet. Zacchias. *d. q.* 6. *n.* 14.

17. Cui iterum objicitur, quod ex vulnere valetudo aucta & vulnerati conditio mutata nec ergò vulnerantem niſi de iſto vulnere teneri. Reſpondetur, quod ſicuti absque infirmitate non eſſet ſecuta mors neque etiam absque vulnere infirmitas tanta fuiſſet. Bartol. *de percuſſor. n.* 5. Paria ergò ſunt, ex vulnere vel morbo à vulnere aut aucto aut profecto aliquem mori. Bartol. *d. l. n.* 1. Boer. *decis.* 175. *n.* 10. Gail. *d. obſ.* 111. *n.* 21. Zacchias. *d. l. n.* 15.

18. Princeps ait de *armis* & *telis* quibus mortuo nocitum fuit, judicium Medicorum quoque perquirendum. Viderint ergò an veneno tincta nec ne? Quod vix experiare ſi illis lædas canem aliudve animal, cum hoc perire poſſit veneno, quod homini innoxium foret. Cardanus *lib.* 2. *de Venen. c.* 6.

19. Aliunde ergò vel ex confeſſione rei & teſtimonio pharmacopolæ nec non teſtibus, qui vidiſſent quod reus venenum malum

telo indidiſſet, id conſtare debet. *arg. l. fi. C. de probat.* Confeſſio rei & tunc ſola ſufficeret, ſi in alio homine periculum fiat. Si enim magiſtratus tolerat ut agyrtæ bufones aliudque venenum malum devorent ſumto ſtatim antidoto, cur non in humano corpore ut in re hac maximè arduâ de veritate conſtare poſſit, permitteremus idem fieri ſi & hoc contra veneno infectum telum eſſet benè munitum atque defenſum? Nam bono publico multa admittuntur quæ alias non licent. *l. 33. ff. de injur.*

20. Idem ſtatuendum ſi cum confeſſione rei concurrant ſymptomata hæc; quod vulnerati animus poſt acceptam plagam avius à ratione erraverit valdè & delira faſſus, cordis quoque palpitationem paſſus rigidusque adinſtar marmoris factus fuerit, & acerbiſſimos dolores in parte læſâ ſenſerit, ac ſi acubus ea pungeretur, ejusque cadaver odorem peſſimum edat: nam iſta ſigna ſunt hominis telo necati quod veneno tinctum erat. Zacchias. *d. tit. 2. q. 7. per tot.*

Caput LVIII.

Multum intereſſe oſtenditur an vulnus ratione partis læſæ, an verò ratione conditionis vulnerati lethale ſit. Hoc caſu recipitur probatio negligentiæ & inſcitiæ Medici aut chyrurgi, non illo.

1. AD *circumſtantias* quas Princeps vult & à Medicis & à judicibus obſervari, etiam pertinet tempus intra quod vulneratus obiit diem ſuum. Valdè hac in re variare juris auctores videas apud Carpzovium, quem nolo exſcribere, is autem id tradit *d. p. 1. prax. crim. q. 26. n. 19.* Sanè ſi eadem die vel intra triduum mortuus tunc ex vulnere id contigiſſe pro certiſſimo habet Farinacius 1. *conſil. 100. n. 16.* ubi memorat idem ſentientes Bald. Boer. Becc. Menoch. Gomez. Gail. & Placha. quod vix dari poſſit morbus acutus, qui vulneri non propter vulnus accedat & tàm brevi temporis inter vallo hominem interimat.

2. Quâ ratione motus Paulus Zacchias *d. tit. 2. q. 5. n. 13.* ad ſeptimam diem id extendit, & addit quod licet fieri quidem poſſit, difficulter tamen id eveniat ut intra hebdomadem talis morbus vehementior ſurrepat, qui non ex vulnere procedat. Cum contrà ſi imminere proponatur morbus vehementiſſimus eo tempore quo vulnerabatur, ejus mali infecti vis valde per ſanguinis effuſionem,

quæ

Digitized by Google

quæ plerumque ex vulnere accidit atque alia præſidia quibus utimur in ſanando vulnere, frangi & ex acutiſſimo minus acutus factus fuiſſet.

3. Quæ quamvis diſputari ſic poſſint, tamen in ſtatu juredicìali non niſi præſumptionem inde oriri ajam atque ideò ſi conſtet quod peſtis vulneratum occupaverit aut ejus notæ in cadavere conſpiciantur recentes vel ipſe reus probare poſſit non ex vulnere eum hominem mortuum eſſe, audiendus eſt nec de occiſo tenebitur. Carpzov. *d. q.* 26. *n.* 47. Cujus doctrinam ſemper debemus admittere ſi ratione partis læſæ vulnus non ſit neceſſariò lethale, nam tunc ſi vulnerator oſtendere poſſit, quod longè aliter ſe habeant circumſtantiæ, à quantitate & qualitate vulneris, teli, temporis & loci nec non ab ætate, ſexu & valetudine vulnerati tractæ, à pœnâ mortis abſolvendus.

4. Et quia his caſibus non ſui naturâ ſed ratione perſonæ vulneratæ id vulnus mortiferum, ideò quoque inquiret judex ſpontè & reum admittet id allegantem vel Medici aut Chyrurgi negligentiâ aut inſcientiâ vel malo vitæ genere vulnerati quodque is non abſtinuerit à cibo potuque interdicto, mortem eſſe ſecutam. *l.* 30. *§.* 4. *l.* 52. *pr. ff. ad L. Aquil.* Plaza à Moraza *lib.* 1. *de delict. c.* 13. *n.* 7. Hippol. de Marſil. *pract. crim §. & quia. n.* 20. Boer. *d. dec.* 323. *n.* 4. *&* 7. Gail. *d. obſ.* 111. *n.* 22. Guazzin. *d. c.* 10. *n.* 13. Carpzov. *d. q.* 26. *n.* 7. *& ſeq.* Paſet. *d. conſil.* 200. *n.* 50. Giurba *d. conſil.* 51. *n.* 27.

5. Aſt ſi ex naturâ partis vulneratæ homo neceſſariò mori debeat ex iſto vulnere tunc reus non audiendus etiamſi probare velit & poſſit, quod Medici inſcitia & negligentia vulnerati intervenerint. *arg. d. l.* 30. §. 4. Ægid. Boſſius *pract. crim. tit. de homicid. n.* 115. Cravetta. *conſil.* 451. *n.* 8. Clarus *d. §. homicidium. n.* 33. Cardin. Tuſchus *lit. V. concl. pract.* 376. *n.* 25. Paſet. *d. conſil. n.* 46. Farinac. *d. q.* 127. *n.* 10. Guazzin *d. def.* 4. *c.* 10. *n.* 1.

6. Quod his rationibus porrò firmatur. Prima eſt, quod fruſtrà exſpectatur id quod nil operatur etiamſi fiat. *arg. l.* 14. §. 1. *ff. Ut legat. vel. fideic. nom. cav.* Secundò quia in re adeò clara non eſt opus conjecturis. *l.* 137. *§.* 2. *in fi. ff. de V. O.* Giurba *conſil. crim* 84. *n.* 27. Atque ideò omnium evidentiſſimam & certiſſimam conjecturam & abſque ullâ hæſitatione ſequendam eſſe, quæ à naturâ partis læſæ deſumitur, ſcribit Zacchias *d. tit.* 2. *q.* 6. *n.* 3.

7. Qui

7. Qui tamen ei non aliam vim quam quæ communiter omnium præſumptionum juris eſt, tribuit atque ideò contrarii probationem in reum rejici tantum ſtatuit. Quæ opinio tolerari poteſt niſi cum inſpectio cadaveris ritè peracta eſt judex ipſe viderit eâ corporis parte læſionem factam fuiſſe quæ ad vitam neceſſaria eſt atque huc faciunt exempla repræſentata *c.* 57. *n.* 2. *&* 3.

8. Graviter his adverſatur, quod memorentur fuiſſe vulnerati in latioribus inteſtinis & ventriculo, qui tamen inde mortui non fuerint quod eâ parte quâ læſio contigerat, carni increviſſet. Non longè iero, ante aliquot annos Groningæ quis vulnus acceperat in ventriculo, ut aſellus arefactus, quem lætus paulò ante quam vulnerabatur, manducaverat, exiret plagâ & hunc tamen ope præſtantiſſimorum ejus tempeſtatis Medicorum D. Deuſingii & D. Emmen curatum & in hanc usque diem aſelli iſtius reliquias adſervari, mihi narravit D. Berckhuys.

9. Cum autem incertum in initio ſit an non inteſtinum plane ſuccifum aut in eo ventriculove tam magnum vulnus ſit ut agnaſci nequeat carni vel locus plagæ impedimento ſit, ideò ſi caſus ejusmodi contingat tunc advertere debemus ad ſymptomata *d. c.* 57. *n.* 2. enatrata, hæc enim ſi adfuerint vulnus lethale eſſe indicant, quam ob rem licet tunc inciſum apertumque non fuerit nec plaga confixa, ubi tamen mors ſecuta eſt alter qui eum ſauciavit reus cædis erit, non tantum ex ediſſertatis *h. cap. n.* 5. *&* 6. ſed quod tormentis & doloribus tantis non ſit ſubjiciendus is qui ex ſymptomatibus ejusmodi noſcitur mortalitati proximus eſſe. Nec audiendus eſt reus ſi dicat ſiphunculo potuiſſe pharmaca plagæ injici. Quanquam Medici & chyrurgi frequenter id facere ſoleant, quo nil dicantur omiſiſſe, quod ad ipſorum artem pertinet.

10. Si verò talia ſymptomata mortisque præſaga nuntia haut obſerventur in vulnerato, magis aperiendum atque incidendum eſt foramen quod ex vulneratione factum, nam ſumma ratio eſt quæ facit non tantum pro vitâ ſauciati, ſed & ejus qui plagam ei intulit. Non diſtinguemus an iſte id pati nolit, quippe cum propriæ ſalutis cauſâ calculos veſicæ per Lithotomos exſcindi curent etiamſi mortis periculum inde non immineat, cur ergò detrectabit dolores ferre cum & aliena vita & fama in diſcrimine ſit & ipſe mortis periculo

riculo expoſitus ſit vulneratus atque ab eo per ſectionem liberari poſſit.

10. Ut non memorem quod doloris acerbitati poſſit occurri ſi vel opio hauſto in profundiſſimum ſomnum mergantur, aut ſi id ei perſonæ quæ vulnerata eſt non convenire arbitrentur Medici, in balneum dimittantur & ſupinis venæ circa guttur apoplecticæ dictæ ligentur, hoc Aſſyrii illud Turcæ faciunt ſi ferro demetunt omne per quod quis vir appellatur. Zacchias. *d. tract. lib.* 2. *tit.* 3. *q.* 9. *n.* 8.

11. Conſpicuum ſi non ſit vulnus ilicò ſed tamen evidentiſſima adſit ejus conjectura, principiis obſtare debemus ex artis Medicæ præcepto notiſſimo. Clitophon apud Achill. Tatium *de amor. Clitoph. & Leucipp. lib.* 7. *p.* 420. ait; quod ſi apri dente ictus quis fuerit non ſtatim vulnus inveniatur, utpote quod altius penetraverit, ſed brevi tempore poſt alba quædam linea vulneris index oritur, ac illud largiter deinde manante ſanguine conſpiciendum ſe præbet: Quare ſi alterius dolo aut culpâ id eveniſſet ubi linea iſta cerneretur & ſanguis non ſat citò ſequeretur facili apertione provocari debet.

Caput LIX.

Quid de ſanguine ex cadavere manante ſentiendum curatius examinatur. Excubiæ apud cadavera vetitæ. Mirabilis locus ex inſtitutis Clivenſibus *adducitur.* Clamor *accuſatoris ferè in deſuetudinem abiit æquè ac mos deferendi cadaver occiſi in judicium. Huic reus tamen rectè ſiſtitur.*

1. INter circumſtantias quas Judex obſervare debet ſi cadaver inſpicit quaſque ad acta referre debet ſcriba, num quoque memorari debeat ejus *cruentatio* nec ſatis ſcio nec ſi ſciam dicere vix auſim, quippe cum tanti viri & doctrinæ variæ & varii in rep. uſus utroque trahant.

2. Reperias enim non paucos qui in tantum huic rei fidem habent, ut ideò ad quæſtionem progredi licere exiſtiment. Boer. *decis.* 166. *n.* 1. Hippol. de Marſil. *pract. crim. §. diligenter. n.* 181. Menoch. *arb. jud. QQ. caſu.* 270. *n.* 16. *& ſeq. &* 1. *præſumt.* 89. *n.* 128. Ant. Theſſaur. *decis.* 173. *n.* 2. Quod tamen alii non aliter admittunt,

tunt, quam ſi reus aliis quoque argumentis oneratus ſit. Treutl. 2. *diſp.* 4. *th.* 7. *lit. e.* Cruſius *p.* 2. *de indic. c.* 27. *§.* 20. Carpzov. *p.* 3. *prax. crim q.* 122. *n.* 36.

3. Hi omnes, ſi poſtremum excipias, & rationibus & experimentis ſuas confirmant opiniones. Rariſſimè id argumentum fefelliſſe ſcribit Treutlerus, & exempla hanc in rem adducunt Boerius & Hippol. de Marſiliis & alia infinita apud auctores adductos à Paulo Zacchia *d. tit.* 2. *q.* 8. *n.* 11. quibus adjice Paponium *Corp. jur. Gall. lib.* 24. *tit.* 9. *arreſt.* 5. Joſeph. à Seſſe *decis. Arrag.* 111. *per tot.* Beſold. *th. pract. lit.* B. *n.* 2. & noviſſimè poſt hæc ſcripta editum Juſt. Georg. Schottel. *de ſing. Germ. Iur. c.* 3. *n.* 20. *& ſeq.*

4. Rationes hujus rei alii naturales alii non naturales allegant. Ad non naturales ajunt pertinere nemeſin divinam, ut quæ hoc oſtento utatur ad vindicandum ſcelus quo in ſacris literis ipſa tellus pollui & ſanguis ideò ad Deum clamare dicitur. *Genes.* 4. 10. Guil. Onciac. *QQ. jur. philoſ.* 36. *n.* 1. *&* 2. Petr. Binsfeld. *de confeſſ. maleſ. præluд.* 12. *dub.* 4. *concl.* 8. Collocutor ſeptimus *in coll. curioſ. Paris. colloq.* 16. Speidel. *ſpec. hiſt. jur. pol. lit. B. n.* 2. Quibus longè abſurdiores illi, qui dæmonis arte id fieri exiſtimant, quos non ſecus ac illos eleganter refutant Libavius *tract. de cruent. cadav. à n.* 46. *ad n.* 65. *& ſeq.* & Zacchias *d. q.* 8. *n.* 18. *& ſeq.*

5. Naturales ergò cauſas quod adtinet eas alii repetunt ab inimicitiâ, quam dicunt imprimi animo ejus qui cæditur, ut per illam præſente interfectore cadaver moveatur, uti ex Platone, Lucretio aliisque probare conantur Cæl. Rhodigin. 3. *lect. antiq.* 12. Simon. Majolus. *dier. canicul. p.* 1. *colloq.* 1. Martin. Delrio *lib.* 1. *diſq. magic. c.* 3. *q.* 4. *§. ſextò cadaver.* Sunt qui ab animâ occiſi arceſſunt rationem eamque cadaveri adeſſe idque movere nugantur, quæ quidem ratio non naturalis potius eſt & benè à Libavio refutata.

6. Nam orta fuit hæc opinio ex falſâ gentilium fide, qui credebant animas è corporibus migrantes in tenues abire auras & corporibus circumſtare. Virgil. *Æneid.* 4. *in fi.*

Utque inventos vita receſſit:

& *Georg.* 4.

Quemque ſibi tenues naſcenti arceſſere vitam:

Animæ

Animæ reliquias in moribundò & tunc præcipuè manere opinabantur, ſi violentâ morte peremptus eſſet uti idem Maro *Æneid. lib.* 4.

> *Nam quia nec fato merita nec morte peribat*
> *Sed miſera ante diem, ſubitoque accenſa furore*
> *Nondum illi flavum, Proſerpina vertice crinem*
> *Abſtulerat:* Planiſſimè Achill. Tatius *de Amor. Clitoph. & Leucipp. lib.* 5. λέγουσι δὲ τὰς ἐν ὕδατι, ψυχὰς ἀνῃρημένας, μηδὲ εἰς ἅδου καταβαίνειν ὅλως ἀλλ' αὐτοῦ περὶ τὸ ὕδωρ ἔχειν τὴν πλάνην:

7. Quod etiam per ſatyram ſcriptam de morte alicujus è gente Palavicinâ titulo *dell' anima Vagante de Palavicino* imitatus videtur auctor ἀκέφαλος, & ſequi hodiè atque credere dicuntur, qui rationem de Deo ſuæ rationi naturali ſubmittunt. Poſtremum hoc quod non naturale eſſe dixi, non magis autem curandum quàm illud quod adducit Franciſc. Venetus, qui *tom.* 2. *problem. ſacr. ſcript. ſect.* 2. *problem.* 79. *&* 80. tradit mortuorum cadavera à dæmonibus frequentari, atque hanc eſſe cauſam cur terrorem incutiant ideoque lumina incendi ſolere, quod mali genii lucem oderint veluti veſpertiliones.

8. Suavis certè ad ridendum materia! Quamvis & hoc cauſam videtur dediſſe pravo iſti mori, qui in Cliviâ & inferiore Germaniâ inter quosdam homines adhuc ſervatur, ut ſolemniter non nulli ex amicis & cognatis invitentur dicis cauſà ad excubandum apud cadaver ſed re ipſâ ad commiſſationem, quam rem idèò Dux Wilhelmus Clivius Julius. &c. *Polit. Ordin.* 1554. edicto Von haltung der kindtauffe. §. Dieweil das nachtwachen beyden todten / vetuit. Quod autem reliquias animi in iis qui non ſuâ morte ſed caſu perierant manere credebant gentiles id nil ad nos, nam & illi fati veſtigia retinere mortuos ſibi perſuaſum habebant, uti oſtendit vir non tralatitiæ eruditionis Gronovius *diatrib. ad Stat. lib.* 2. *ſilv. c.* 7.

9. Utrumque autem nefas nobis ſentire. *c. tempus.* 13. *q.* 2. D. Paulus *ad Corinth. c.* 15. *verſu* 35. *& ſeq.* Nam & Auguſtin. *de Spiritu & anima.* ſcripſit, mortuorum ſpiritus eo loci eſſe, ubi quæ in hac vita aguntur eveniuntque mortalibus conſpicere vel audire non poſſunt. Nec alicujus momenti eſt ea in ſpeciem allata ratio naturalis ab antipathiâ deprompta, non quidem propter id quod ad eam

Digitized by Google

confutandam à Zacchia *d. q.* 8. *n.* 17. adfertur, ſed ex cauſâ aliâ iſta diſplicet.

10. Non enim ſatisfacit Zacchias quandò dicit narrari ab aliis infantis cadaver emiſiſſe ſanguinem præſente matre parricidâ, quâ de re etiam exemplum memorat Harsdorfer. *part.* 1. *Jämmerl. Mordgeſchichten. n.* 24. tunc autem propter στοργὴν naturalem inimicitiam ceſſare: Si enim genitrix in id quòd anteà portio viſcerum ejus fuit, *l.* 1. *§.* 1. *ff. de ventre inſpic.* ſæviat, quis non videt ultrò citròque tunc ſolvi mutuam iſtam affectionem atque ſic facilem imò neceſſariam ad inimicitiam dari viam?

11. Ratio ergò in infante alia quærenda & dicendum quod cum ipſe nil intelligat quid ſecum agatur, *§.* 9. *I. de inutil. ſtipulat.* & animus in ipſo ſtolidus ſit, uti ex Stoicorum doctrinâ tradidi *in tract. de jure in re & ad rem. c.* 31. *n.* 86. non ipſi infanti aut ejus animo inimicitia infigi poſſit, dum infans moritur. Statuere ergò debent ipſi, qui urgent cauſam iſtam ab impreſſâ inimicitiâ, quod infantis animus ubi ex corpore diſceſſit ſtatim majorem intellectum accipiat etiam ratione ejus quod corpori accidit, quod quàm abſurdum ſit nulli non patet, nec Theologia Chriſtianorum admittit.

12. Mirari ideò ſatis nequeo reperiri mortales qui doceant aut tradere audeant manum cadaveris pridem toſtam poſteà præſente ſicario ſanguinem reddidiſſe. Libavius. *tract. th.* 158. quod & de manu ante bina luſtra præciſâ ex Chytræo narrat erudiſſ. Schottel. *d. l. n.* 23. *in fi.* Licet conditores inſtitutorum Clivenſium & idem voluiſſe videantur. Cadaver enim ipſum ad tempus longius adſervari nequit, atque ideò manus ei olim amputabatur & in teſtâ recente per tres aut quatuor horas aquâ & ſale coquebatur, huic ſeptem judicis adſeſſores, quos *Scabinos* vocamus, cerâ coopertæ ſignacula imponebant eaque recognoſcebant ſi manus in judicio deinde exhibenda erat. *LL. Municip. Cliv. tit.* 132. *Calcar. tit.* 75. Niſi quis id, quod verò propius, exiſtimaverit factum, ut in parte cadaveris cenſeretur hoc quaſi totum in jus eſſe delatum. *arg. l.* 76. *ff. de R. V.*

13. Antiquitus enim mos iſte inoleverat, ut cadaver cæſi in jus deferre neceſſe eſſet, quod & Cliviæ civitatium memoratæ leges apertiſſimè indicant, quibus & mentio ſit *clamoris* per accuſatorem

facti,

facti, qui dicitur *wapen-geſchrey*. Sed hic clamor æquè apud Clivios in deſuetudinem abiit quam apud alios populos & pleroſque fœderatos Belgas & jàm olim quoque conſuetudo cadaver in jus deferendi conſtitutione Caroli IV. ſublata fuit. Ant. Matthæi *de crimin. ad tit. ff. ad L. Corn. de ſicar. c. 7. n. 6.*

14. Clamor tamen in liberâ Tremonienſi rep. adhuc in uſu eſt, ut lictor evaginato gladio ter funus feriens increbret illud *wapen, wapen, wapen*. Mentio quoque ejus clamoris injicitur in Jure Omland. *lib. 7. art.* 2. etiamque comprobari videtur rebus judicatis 5. *Mart.* 1622. Conſtare arbitror ex ediſſertatis, quàm fallax argumentum ſit quod ex ſanguinis redditione deſumitur; nec ergò fidem habeamus exemplis ab aliis allatis, cum ea pro legibus non habenda. *l.* 13. *C. de ſent. & interlocut. omn. jud.*

15. Sed & apertiſſimè conſtat atque à multis obſervatum fuit, quod cadavera ſanguinem non emiſerint præſente ſicario & ſæpè id acciderit dum aderant & innocentiſſimi & amiciſſimi. Bachov. *ad Treutl. d. l.* Zacchias *d. q.* 8. *n.* 17. *&* 25. Et fruſtrà ad cauſam naturalem planè occultam atque ab infixâ inimicitiâ depromptam recurrimus ubi apertam & veriſſimam cruentationis habemus aliam. *arg. l.* 137. *§.* 2. *ff. de V. O. §.* 11. *I. de legat.* Quod enim per calorem qui putrefactionem cadaveris anteire ſolet, illud moveatur loco ſuperiore docui, ut mirum videri non debeat, ſi inde ſanguinis redditio, quam & quotidiè in exſtinctis ſuâ morte obſervamus, oriatur: Heigius *p.* 2. *q.* 39. *n.* 104. *& ſeq.* Zacchias. *d. q.* 8. *n.* 25. Juſt. Oldekop. *tit.* 2. *obſ. crim.* 2. *n.* 4. atque eveniſſe cadaveri Friderici Daniæ Regis *anno* 1533. ſuo fato exſtincti ex Reckmanno nobis tradidit idem Cl. Schottel. *d. n.* 23.

16. Quâ de cauſâ nec ad quæſtionem nec ad ullum argumentum eam ſanguinis redditionem ſufficere ſentio, adeò ut propter hanc ſolam inquiri contra eum qui præſens fuiſſet, non oporteat. Farinac. *op. crim. lib.* 1. *tit.* 5. *q.* 52. *n.* 156. Caſon. *de indic. c.* 3. *n.* 3. Zacchias. *d. l. n.* 27. Wiſſenbach. *vol.* 2. *diſp. ff.* 37. *th.* 7. Conrad. Hartz. *de inquiſit. venefic. concl.* 8. *n.* 23. *&* 24. Beſold. *th. pract. d. n.* 2. Mornac. *ad l.* 6. *C. de dolo malo.* Anton. Matthæi. *de crim. tit. de quæſtion. c.* 3. *n.* 12. Joh. Norderman. *de jure principat. concl.* 55. Carpzov. *d. q.* 122. *n.* 30. 31. 32. 33. 34. *&* 35. Oldekop. *d. n.* 4. Tabor. *tract. de confront. p.* 5. *cap.* 4. *n.* 3. Brunneman. *d. c.* 7. *n. ult.* 17. Que-

17. Quemadmodum ergò neminem ea ſanguinis emiſſio ſola ſuſpectum reddit, rectiſſimè ſic quoque ſentiente Schottelio *d. l. n.* 24. ſic quoque ſi ea deſit, ideò haut liberabitur qui aliis ſuſpicionibus oneratus eſt. Brunneman. *d. n. ult.* Tabor. *d. n.* 3. & reſpondi de jure conſultus. 1669. 15. *Maji.* Quanquam contra Taborem cum Brunnemano & Oldekop. judicaverim, rectè facturum judicem, qui vel levi ex argumento ſuſpectum, non imperio tamen ſed arte potius, per alios apud cadaver ſiſti curet, nam ex vultu atque facie ejusque colore & animi trepidatione conjectura capitur. Menoch. 1. *præſumpt.* 89. *n.* 71. Zanger. *de torturâ. c.* 2. *n.* 101. Farinac. *d. q.* 52. *à n.* 2. *ad n.* 39. & eleganter Cl. Tabor. *d. tract. de confront. p.* 1. *n.* 4.

18. Hæc autem non erit firma, ſi ad juſſum judicis ducatur apud cadaver cum tunc conſtantiſſimus ſæpè & qui innocentiſſimus, quod ſibi videat adeò gravem impingi dicam, animo perturbato eſſe poſſit. Heigius. *d. l. n.* 105. Et è contrario reus ex notitiâ iſtius collationis cum cadavere animo ſatis firmato accedere poteſt, uti ex actis ad me curatis obſervavi contigiſſe in muliere, quæ infantem necaverat nec ullum ſignum ediderat cum apud cadaver ſiſteretur & tamen posteà non tantum parricidii convicta ad reſponſum à me datum, ſed & juſtiſſimè ſic arbitrantibus D. Junio & D. Sohnio Aſſæ in Drenthiâ capite punita fuit *æſtate adultâ anni* CIↃ IↃC LXIX.

19. Hæc res apud Germanos appellatur das Baar-recht, Wehner. *obs. pract. d. verb.* quod *jus feretri* vertit Schottel. *d. l. n.* 4. atque hac ratione exercetur ut criminis ſuſpectus duos digitos ori cadaveris, deinde vulneri & poſtea umbilico ipſius imponat & ſacerdotem, à quo ad numinis reverentiam excitatus; ſolemnia verba præfantem ſequatur, uti videre apud Beſoldum *thes. pract. d. lit. B. n.* 2. *p.* 129. ex quo id quoque ſcribit Schottel. *d. l. n.* 22. *p.* 88. Sed cui non hi ritus ſuſpecti? & quis non damnaverit ea carmina? Nam *ſi quis quid fecerit quo leves hominum animi ſuperſtitione numinis terrerentur, Divus Marcus hujusmodi homines in inſulam relegari reſcripſit*: ait Modeſtinus *in l.* 30. *ff. de pœn.*

20. Rationem autem à libero Dei arbitrio depromptam miror etiam viris doctis probari atque pro eà tuendâ exempla edi. Ut autem id dicam, quod ſentio, docere illi prius debebant Deum id velle ut per cruentationem cadaveris miraculo factam de cædis au-

ctore

ctore conſtaret, nam *judicio ſano removenda ſunt ac ſeparanda hominum inventa, ne illis credatur tanquam ſermonibus Dei*: uti diſſerit egregiè atque à contrariis vindicat Petr. Martyr. *loc. comm. claſſ.* 3. *c.* 3. *n.* 9. Neque *Deo ſapientiſſimo noſtro cogitatu & induſtriâ absque ejus mandato præſcribi debent organa quibus operetur, ſiquidem hoc nullus artifex in ſua arte ferret*: uti eleganter in re ſimili Groenewegen. *de LL. abrog. ad* 2. *F.* 27. §. 3. *n.* 5.

21. Si enim ea admittamus pro veris atque hoc pacto cruentationi memoratæ eam vim tribuamus & ea quoque ad probationem per ferrum candens vel aquam calore ebullientem transferenda erit cum de eâ Schottelius *d. tr. c.* 28. 21. *in fi.* ſcripſerit; *Etiam in hiſtoriis mirabilia multa atque memorabilia exempla exſtant, quemadmodum minus ſpectata innocentia per ejusmodi ferrum & aquam innotuerit & tecta flagitia punita fuerint*: Cum verò juſtiſſimis ex cauſis ea ſit damnata, Camerar. 2. *lect. ſubceſ.* 18. Andr. Vallenſis. *ad tit.* x. *de purg. vulg. n.* 2. Groeneweg. *d. l. n.* 10. eæque cruentationi etiam conveniant, quippe cum & eveniret innocentem inde damnari & Deus per eam tentetur, meritò & hanc quoque ſpernimus tanquam modum ex quo de criminis auctore conſtare poſſit. *arg. c.* 2. *& ult.* x. *de purg. vulg.*

22. Neque ſi ſanguis etiam poſt longius tempus quàm communiter fieri ſoleat, effluat ex cadavere id miraculo contigiſſe ſtatim adſeverabimus, cum & naturaliter tamen id accidere poſſit quod cauſa quædam putrefactionem antea ſtiterit eâque deinde ſecutâ calor & motus cruentationem effecerit atque ita pro miraculo habeatur quod per naturam evenit, nam *quod crebrò videt non miratur* homo, *etiamſi cur fiat neſcit: quod autem non vidit id ſi evenerit, oſtentum eſſe cenſet*: Cicero. *de divin. lib.* 2.

23. Quam ob rem admittamus cruentationem ſœpiſſimè contigiſſe præſente interfectore, qui furiis agitatus & conſcius ſceleris à ſe patrati abſtinere ab eo loco non potuit, non tamen id imputabimus facinoroſi præſentiæ cumque & abſente eo id ſœpiſſimè accidat. Si enim te ambulante fulgur è cœlo mittatur, non quia tu ambulaſti fulgur ex æthere deſcendit, nec quia fulgur dejectum tu ambulaſti, ſed hoc cum illo caſu contigit, uti diſputat Ariſtot. 1. *poſt.* 34.

24. Mi-

24. Minus credendum quod cadaveris manu aut digito homicida fuerit indicatus, etiamſi exempla ejus rei memorentur apud Joſeph. à Seſſe & Schottelium locis adductis. Non nego motum in cadavere recente quoties putrefactio incipit eſſe poſſe, ſed is absque animâ atque iræ ſede in certum objectum ferri nequit atque ita & innocens æquè ac reus ſic notari poteſt. Quòd verò aliquandò de homicida ita conſtiterit, id inde evenit, quod alii ejus vultum obſervaverint & cum eo, quod tamen caſu & naturaliter eveniebat, illum ſignificari errore vulgi ſtatim dicerent is uti dixi præſens & perterrefactus atque conſcientia criminis convictus ſpontè illud confeſſus fuerit.

CAPUT LX.

Indagatur cujus ſumptibus inſpectio cadaveris peragatur? Principes ſibi ſubjectis debent juſtitiæ adminiſtrationem.

1. Cum autem ſumptus in inſpectionem cadaveris, veluti in illud transferendum ex agro in urbem nec non in ſepulturam faciendi, ſed & judex pedes ſæpè ad illud ire nequeat, verùm vel ſcaphâ vel equo vel vehiculo uti cogatur, quæritur quis iſtas expenſas præſtare & ſalaria Medicis atque Chyrurgis dare debeat? Et generaliter traditum eſt quod ſi quis ex muneris neceſſitate quid facere cogatur, proprio ſumptu id ab eo expediri debere nec eum habere expenſarum condictionem. *arg. l.* 18. *ff. de oper. libert.* Carpzov. *p.* 2. *Iurispr. for. conſt.* 51. *def.* 15 *n.* 3.

2. Idque in primis verum, ſi judicibus pro munere rectè explicando Principes vel mulctas vel earum partem in penſationem onerum conceſſerint. Menoch. *remed.* 7. *retin. poſſ. n.* 32. Quâ ratione etiam receptum ut epiſcopi ab archiepiſcopo vocati ad aliquem ordine removendum ſuis ſumptibus venire debeant uti poſt Abbat. Siculum & Felinum tradit Boer. *decis.* 303 *n.* 6. Si autem commodum ex mulctis aliudve compendium ratione exercitionis meri imperii judices non habeant, à fiſco expenſæ præſtabuntur, *Nemes. Karol. art.* 47. uti de omnibus expenſis criminalibus & nominatim quandò cædes patrata definit Jus Drenthiæ, *lib.* 4 *art.* 38. Ubi dicitur ex *domaniis* eas peti oportere.

3. Hoc

3. Hoc optimâ ratione conſtitutum, nam Principes civibus ſuis debent juſtitiæ adminiſtrationem. Fernand. Vaſquius *præfat. ill. QQ. n.* 102. Lancellot. Conradus *in templo omn. judic. lib.* 1. *c.* 1. §. 3. *verb. juſtitiam colere n.* 1. Conſequitur ergò quod judicia per ſuos miniſtros proprio ſumptu exercere eaque civibus in penſationem tributorum & vectigalium nec non redituum publicorum exhibere debeant. Heigius 2. *QQ.* 23. *n.* 2. Qui hoc exemplo id illuſtrat, quod ſi quis ſuſpendio ſe necaverit & per carnificem loco motus atque humatus ſit, iſti merces è publico præſtetur, uti ab Electorali aulico ſenatu reſponſum memorat *d. l. n.* 11. & uſu Groningæ ſervatur.

4. Iniquum enim foret ſi executiones criminalium judiciorum populus, qui Principi dat quæ Principis ſunt, ferret. Boer. *d. deciſ.* 303. *n.* 10. Jul. Clarus *lib.* 5. *recept. ſent.* §. *ult. q.* 99. *n.* 5. Id ipſum etiam à reo præſtari incivile & abſurdiſſimum foret, nam ut proprio quis juguletur gladio & virgis ſuâ pecuniâ emptis cædatur nec relatum nec receptum unquam, ſi credimus Heigio. *d. l. n.* 16.

5. Hæc ſi probantur quod ad expenſas factas in executiones criminum, idem omninò obſervandum in iis quæ ad eorum inquiſitionem pertinent, cum absque hac ad iſtam perveniri nequeat. *arg. l.* 2. *ff. de juriſd.* Non aliter tamen hæc ediſſertata admittenda quàm ſi ignoretur homicida, quod ſi verò is ſciatur & in bonis habeat, tunc idem jus hoc caſu cuſtodiendum videtur, quod in expenſis judicialibus omnibus aliis, nam ad hanc inquiſitionem generalem & inſpectionem cadaveris neceſſariæ ad eas quoque ſpectant, quia hæc eſt actus judicialis. *c.* 4. *n.* 14. *& ſeq.*

6. Quâ de cauſâ ſi reus ſolvendo, divide an mortis ſupplicio plectatur & tunc benè habent ea quæ dixi, nec enim tunc reus ad expenſas judiciales tenetur, idemque ſervari volunt ſi corporis pœna adficiatur. Heig. *d. l. n.* 17. *& ſeq.* Mynſing. *decad.* 6. *reſp.* 59. *n.* 56. Coler. *p.* 1. *deciſ.* 214. *n.* 4. Bajard. *ad Clarum. d.* §. *ult. q.* 62. *n.* 10. Berlich. *p.* 4. *concl. pract.* 19. *n.* 12. *& ſeq.* Carpzov. *p.* 4. *Iuriſpr. for. conſt.* 12. *def.* 1. *&* 2. *per tot.*

7. Si verò relegatione, carcere vel mulctâ numariâ punitur reus, eum tunc litis criminalis expenſas ferre debere docet Berlichius *d. l. n.* 16. poſt Weſenbecium & Beuſt, quos ſequitur Carpzov. *d. conſt.* 12. *def.* 3. *n.* 1. Anton. de Padilla *ad l.* 18. *C. de tranſact. n.* 4.

X Quod

8. Quod autem ad ſalaria Medicorum adtinet, ad ea ſicarium etiam animæ amiſſione punitum, obligari ſcriptum reliquerunt alii, qui tamen non de Medicis ad cadaver inſpiciendum ſed ad curationem adhibitis vulnerati loquuntur. Clarus *d. §. homicidium. n.* 23. Couvarruv. 2. *var. reſol.* 10. *n.* 7. Farinac. *prax. crim. p.* 4. *tit.* 14. *q.* 119. *n.* 93. & 94.

9. A quibus ſeceſſionem quidem fecit Berlichius *d. concl. n.* 21. & *ſeq.* Sed facilè refellitur ex uno §. 11. *I. ad L. Aquil. ibique. DD.* Et aliud utilitas privatorum aliud vigor publicæ diſciplinæ poſtulat. *l.* 9. §. 5. *ff. de publican.* Atque ipſe Berlichius fatetur quod is qui venenum cereviſiæ miſcuerat & ferali igne abſumendus judicatus & precium cereviſiæ ſolvere damnatus fuerit. *d. concl.* 19. *n.* 37. Si tamen reus ipſe ejusve cognati, quibus id permiſſum, *Statut. Leydens. art.* 161. advocaſſent Medicum, tunc etiamſi ad mortem judicatus eſſet, ei ſalarium tamen præſtare debent. *arg. Nemeſ. Karul.* 47. Carpzov. *d conſt.* 12. *def.* 4 *per tot.*

10. In Cliviâ & Marcanâ provinciâ aliàs non à judice ſed à Principe aut ex Fiſco ſumptus præſtandos, conlegere datur ex edicto, cujus interpretationem hactenus exhibui, nam eo continetur, quod eas ſolas expenſas ferre debeat judex, quas propter negligentiam ſuam facere debet. Exceptio autem firmat regulam & argumentum à contrario in jure noſtro frequens eſt & fortiſſimum. *l.* 1. *pr. verſ. hujus rei. ff. de offic. ej. cui mand. jurisd.* Simon Vaz Barboſa *princip. jur. lit. A. n.* 130. 131. & 132.

11. Lege quoque aut inſtituto loci introduci poſſe ut populus expenſas litis criminalis ferat, traditum eſt apud Clarum *d. §. ult. q.* 99. *n.* 5. Apud Omlandos etiam ſpontè pagorum incolæ ex pietate ſingulari & impulſu tralatitiæ humanitatis ſuis ſumptibus cadaver ad littus adpulſum humant, ubi à judice id inſpectum eſt, etiamſi ad hunc omnes mulctæ pertineant.

CAPUT LXI.

Neglectâ inſpectione cadaveris illud iterum effodi debet, aliàs reus morte puniri nequit niſi vulneratus ilicò extinctus ſit.

1. QUoniam autem judices in multis locis expenſas in inſpectionem cadaveris faciendas aut ferre aut ſaltem operam atque tempus

tempus ei impendere debent, ideò ſœpè accidit ut eam negligant. Brunneman. *d. c. 7. n.* 20. Quanquam mihi non lateat ab aliis traditum eſſe ob hanc nefariam rationem eam inſpectionem à judicibus omitti, ne reus ordinariâ ſicariorum pœnâ plectatur. Oldekop. *decad.* 1. *QQ. crim.* 8. *n.* 7. *& per tot.*

2. Si autem inſpectio cadaveris omiſſa fuerit, tunc corpus humatum iterum effodi debet, quia reip. intereſt ne maleficia maneant impunita. Conrad. *pract. tit. de inquiſit. n.* 24. Clarus. *d. §. ult. q.* 55. *n.* 11. Damhouder. *pract. crim. c.* 75. *n.* 1. Maranta. *Spec. aur. p.* 6 *n.* 18. Farinac. *prax crim. lib.* 1. *tit.* 1. *q.* 2. *n.* 5. Berlich. *p.* 1. *concl. pract.* 59. *n.* 31. Carpzov. *p.* 1. *prax. crim. q.* 26. *n.* 23 Bajard. *ad Clarum d. §. ult. q.* 4. *n.* 4 Oldekop. *tit.* 4 *obſ. crim.* 47. *n.* 4.

3 Qui auctores tradunt ſœpius id factum & nominatim cautum edicto ſœpiſſimè memorato. Nec tantum ilicò atque ſepultum erat cadaver, ſed & poſt biduum iterum ideò *anno* 1585. effoſſum fuiſſe ex ſententiâ ſupremi ſenatus Sabaudiæ memorat Theſaur. *decis* 173. *n* 4. Quin & poſt duos menſes id factum eſſe narrat Boerius *decis.* 166 *n.* 1. Hoc in tantum placuit, ut & eo caſu quo inſpectio erat recte quidem facta à judice, ſed deinde diſputatio oriebatur de Medicorum pronuntiato, cadaver iterum effoſſum atque nove inſpectum fuerit. Barbatia. *tract. de Cardinal. legat. à lat. q.* 2. *Baſilic n.* 10.

4 Quanquam aliàs non facilè permittatur ut cadaver humatum iterum effodiatur. Adeò ut ſi id tolli curaverit atque inſpexerit is qui nullum ejus rei jus habebat non tamen cogatur illud effodere & reſtituere ei ad quem ejus rei cura pertinuiſſet ſed ſufficiat ſi alteri caveat ſcripto ſe poſteà non amplius id facturum, uti poſt Innocent. Felinum, Decianum & Thom. Grammaticum ſcribit Berlich. *p.* 4. *concl. pract.* 47. *n.* 44.

5. Ait autem Princeps quod judices *expenſarum eam in rem factarum onus* ferre debeant. Quod optimâ ratione conſtitutum, quia eorum culpa aut imperitia nec reip. nec reo nocere debet ſed eos ipſos ejus pœnam ſufferre oportet *arg. l.* 198. *ff. de R. I.* Accedit quod is qui ſine cauſâ juſtâ neglexit facere id, ad quod jure adſtringebatur, damnum expenſarum ſibi inſcribere debeat. Garſias *de expens. c.* 21. *n.* 1. Alvar. Valaſc. 1. *conſult.* 26. *n.* 2. Nec cum his pugnat, quod alterius veluti vulnerantis factum judici obeſſe nequeat. *d. l.* 198

Goeddæ. 3. *conſil. Marpurg.* 32. *n.* 270. Reſpondetur enim, quod ſuâ potius culpâ atque imperitiâ damnum ſentiat ideoque judex id ſentire non videatur. *l.* 203. *ff. de R. I. arg. c. de occidendis.* 23. *q.* 5.

6. Eſt autem ita judicum negligentia reip. valdè noxia, nam ſi cadaver inſpectum non ſit, tunc reus ad ordinariam mortis pœnam damnari non poteſt, uti indicat Princeps in principio dictæ conſtitutionis & ſcribunt Oldekop. *d. obs.* 47. *n.* 7. Brunneman. *d. c.* 7. *n.* 20. Re judicatâ id firmat Carpzovius *d. q.* 26. *n.* 32. *in præjud.* 2. & bis de jure conſultus reſpondi, primum de caſu qui in Drenthiâ contigerat, ſuffragante mihi Nobiliſſ. D. Junio, deinde ordine JCtorum hujus Univerſitatis ſic quoque ſentiente, utrumque ſic effectum accepiſſe reosque à pœnâ ultimi ſupplicii abſolutos fuiſſe ſcio.

7. Operæ precium tamen erit hic commemorare quod nec neceſſe ſit corpus humatum iterum effodi nec reus à capitis ſupplico liber, ſi cadaveris inſpectio omiſſa fuit, quando mortuus è veſtigio ictu bombardæ vel alterius teli animam efflaſſet, nam tunc ridicula eſſet inſpectio, quippe cum ea in re dubiâ deſideretur, *Nemeſ. Karul. art.* 147. atque ita docent Joh. Bernh. Muſcatell. *prax. crim. de cogn. delicti. proœm. n.* 18. *p.* 14. Farinac. *p.* 5. *op. crim. q.* 127. *p.* 1. *n.* 17. Oldekop. *decad.* 1. *crim.* QQ. 8. *n.* 5. D. Brunneman. *d. c.* 7. *n.* 20.

8. Qui poſtremus rectiſſimè ſcribit, quod licet non ilicò atque vulnus inlatum alicui, is moriatur, tamen ſi intra paucos dies extinctus, uti ex iis quæ loco ſuperiore *c.* 58. *n.* 2. *& ſeq.* commemoravi, conſtat, tunc idem omninò ſtatuendum eſſe. Nam uti ſæpiſſimè ſcripſi in re clarâ non eſt opus conjecturis. *l.* 137. *§.* 2. *in ſi ff. de V. O.* Quare cum Teutoburgi miles eſſet adeò vulneratus ut cibus potusque ex vulnere, quod ventri ejus inflictum erat, efflueret & ex proceribus quis ſciſcitaretur, cur cadaver non ſectum atque inſpectum eſſet idque effodi debere per ſermones allegaret, hac ratione uſus ſum, ne legionis Duci & mihi tunc Rectori Academico culpa objiceretur. *arg. l.* 6. *ff. de j. & f. ign.*

Cap. LXII.

Digitized by Google

CAPUT LXII.

De pœnis judicum qui cadaver inſpicere neglexerunt. Ad quem pertineat flumen *quod territoria dividit? & de inſpectione in* inſulis *faciendâ.*

1. CUlpâ autem judicis vel deſidiâ ſi neglecta cadaveris inſpectio *pœna* eum *manebit* præterea *arbitraria* uti edixit Princeps. Cum verò omnis pœna hodiè arbitraria; *Ius Oldampt. lib.* 5. *art.* 60. Ego *in Inſtit. Iur. noviſſ. tit. de publ. judic.* §. *ult. n.* 37. *in not.* è re erit curatius hoc factum æquè ac alia, examinare. Videndum autem primò an dolo malo cadaver inſpicere neglexerit, quod homicidæ benè cupiat & tunc graviſſimè puniendus. Oldekop. *d. Quæſt. crim.* 8. *n.* 8. Quâ autem pœnâ nec ab ipſo nec à Brunnemanno *d. c.* 7. *n.* 20. definitum.

2. Ego puto ejusmodi judicem reum eſſe L. Corneliæ de falſis? Prima ratio quà ad id impellor, eſt hæc, quod judex qui conſtitutiones Principum neglexit, pœnâ falſi teneatur. *l.* 1. §. 3. *ff. ad L. Corn. de falſ.* Damhouder. *prax. crim. c.* 121. *n.* 8. Altera eſt, quod is qui dolo malo veritatem immutet in perniciem reip. falſi criminis reus ſit. *l.* 27. *ff. ad L. Corn. de falſ. l.* 16. *ff. de teſtib. l.* 23. *ff. ad L. Corn. de falſ. l.* 38. §. 6. *ff. de pœn.* Carpzov. *p.* 2. *prax. crim. q.* 93. *n.* 15.

3. Si latâ culpâ omiſit inſpectionem cadaveris, ea dolo non comparabitur in hoc articulo. *arg.* §. 6. *I. de ſuſpect. tutor. l.* 7. *ff. ad L. Corn. de ſicar.* Quare propter eam graviore pœnâ nummariâ judex puniri debet ut alii ejus exemplo perterriti, cautius agere diſcant nec cum jacturâ publicæ ſalutis ſegniter officio ſuo fungantur. Videtur & is judex ideò à munere removendus, ne diutius in re publicâ graſſandi ei facultas permittatur. *arg.* §. *ult. I. de ſuſpect. tut.* Nam omninò ab officio repellendum, qui contra illud admiſit dolo vel latâ culpâ, tradunt Martin. Laudens. *tract. de Principe. q.* 331. Lancellot. Conradus *in templo omn. judic. lib.* 1. *c.* 1. §. 3. *verb. pro official. tenetur. n.* 6. Jul. Clarus *lib* 5. *recept. ſent.* §. *fi. q.* 73. *n.* 3.

4. Neque id durum ſi culpâ latâ id neglexiſſet judex, quia impunè ferre haut debet, qui culpam gravem ſupino & inexcuſabili errore commiſit. Lex enim judicem qui in reddendo jure fuit negligens ignominioſâ magiſtratus ejuratione plectendum credidit. *l.* 3. *C. de offic. præf. prat. Orient. & Illyr. l.* 3. *C. de ſportul.* uti eruditè diſſerit Annæ Robert. 1. *rer. judic.* 4. atque 22. *Novembr.* 1580. à ſu-

Digitized by Google

premo tribunali Galliæ quod Lutetiæ eſt, judicatum & ſemper pronuntiari ſolitum ſubjicit. His non obſtat quod de Marco Antonino Philoſopho narret Julius Capitolinus; *prætorem qui quædam peſſimè egerat non abdicare ſe præturâ juſſit ſed collegæ jurisdictionem mandavit in vitâ M. Anton. ni Phil. c.* 12. Si enim alicui princeps ſine exemp'o ſubvenit id ejus perſonam non transgreditur nec ad exemplum trahendum eſt. *l* 1. §. 2. *ff. de conſt. princip.*

5. Non etiam excuſabit eum inſcitia juris. quia turpe eſt ei id ignorare quod ad ejus officium pertinet. *arg. l.* 2. § 43. *ff: de O: I:* Qui verò propriam turpitudinem allegat audiendus non eſt. Vultej: 3. *conſil. Marpurg.* 34. *n* 119 Pruckman. 2. *conſil.* 24. *n.* 162. Peckius *ad c. ignorantia. de R. I. in* 6. *n.* 9 *in fi.* Pertinet autem hæc inſpectio ad judicis officium eamque ſponte facere cogitur, Farinac. *d. q.* 127. *p.* 4. *n.* 111. atque ideò ea ignorantia juris eſſet vulgatiſſimi, cum id ſcire debeant. *c. n tuit. x. de elect. c. quamvis. de R. I. in* 6.

6. Nec excuſatur propter eam, ſed ratione hujus effectus in dolo fuiſſe præſumitur, adeò ut non juvetur exceptione iſtâ per quam dicitur quod quælibet cauſa etiam injuſta & fatua excuſet à dolo, cum hæc inſcitia ſit juris notorii & indubitati. Alciat. *reg.* 3. *præſumpt.* 30. *n.* 4. 5. *&* 6. Atque ideò neceſſe non eſt ut ejus rei illius muneris admoneantur judices. *arg. l.* 9. *C. de legib.* Licet id ex abundanti fieri poſſe ſuadeat Oldekop *d q.* 8. *in fi* Ne verò judex alleget ſe non ſciviſſe quod ad ſe pertineret inſpectio cadaveris in flumine reperti & ab alio cæſi, ſciat quod dimidium fluminis quo dividuntur territoria ad ejus curam pertineat qui ab eâ parte ripæ territorium aut jurisdictionem habet. Beſold. *de regal. c* 8. *n.* 2.

7. Illud quoque diſcat, quod is qui inſpicit cadavera in terrâ, jus quoque idem exercere debeat in vicinis inſulis, ſi diurno itinere ab eâ tantum diſtent. *arg. l.* 9. *ff. de judic. l.* 4. §. 9. *ff. de damno infecto. c. nonnulli. x. de reſcript.* Noe Meurer *tract.* Von Waſſerrecht. *cap.* Wierwoll. *n.* 1. Jacob. Gothofred. *tract. de Imp maris. c.* 3. Quod non admittendum ſi alteri imperium aut jurisdictio in inſulis eſſet adquiſita, veluti id videre in inſulis Omlandiæ & Friſiæ quà Belgicæ quà Germanicæ, nam proprios habent dominos & judices, atque ideò judex qui in loco, qui è regione earum inſularum eſt, imperio utitur, ad inſulas id extendere nequit. *arg. l. ult. ff. de juriſd.*

Caput

Digitized by Google

CAPUT LXIII.

Annotamenta ad ea quæ hoc opuſculo ediſſertata ſunt.

1. EAdem cum illis quæ docui *cap. 6. n. 17.* reperii apud Frid. Mattini in ſingul. jur. *ad c. 2. tit. x. de religioſ. domib. n. 2.* ubi amplius dicit, quod *ſi civitati Friburgenſi pagus accedat & in eo ſtudioſus delinquat, quod Rector & non Magiſtratus civicus jus illum puniendi habeat, nam ex mente Sereniſſimorum Archiducum Auſtriæ privilegia Academica ad omnia loca Friburgenſibus ſubjecta porriguntur nec muris Friburgenſibus includuntur.*

2. Quod autem in *d. c. 6. n. 16.* de Montanâ & Moerſanâ provinciâ diſſerui, id nunc exercitii cauſâ propoſui. Nec colore iſtud caret, quippe cum eâ tempeſtate cum academia Duisburgenſis fundata fuit per Cæſaren Maximilianum, ad Principem *Wilhelmum* iſta ditio pertineret & Moerſæ is dominus ſuperior eſſet, cum ergò ad iſtius Principis deſiderium & bono eorum qui ipſi ſubjecti erant, ea literaria univerſitas condita fuerit, uti vel ex eo conlegas, quod reſcripto Auguſti continetur, nam laudatiſſimus Princeps ideo *in oppido ſuo Duisburg propè flumen Rheni* excitari academiam petiit, quod *id in umbilico fere ditionum ſuarum* ſitum eſſet, hinc inferri rectè quis dixerit, quod & illi qui in ejus locum venerunt, non ægrè queant ferre, ſi cadaveris inſpectio in terris quas illi poſſident, hac tempeſtate adhuc exerceatur, cum & eorum cives & incolæ eam univerſitatem quoque frequentent. *arg. l. 10. ff. de R. I.*

3. Haut crede obſtare quod Cæſari nullum jus ſit in provincias Principum imperii ſed quod his in eas ſi non major ſaltem tanta ſit poteſtas quanta Cæſaris in univerſum imperium. Meminiſſe enim oportebit quod id officium ſuum perdat ratione *perſonalis* jurisdictionis, hæc enim Cæſari ſarta tacta manet, unde in milites per aliorum Principum Imperii fines tranſeuntes & in itinere delinquentes illa uſurpatur.

4. Hæc ex ratione juris de eo quod ad exercendos adoleſcentum animos ſcripſeram, dixiſſe ſufficiat. Cæterum ſi ex facto id contingat, tutiſſimum erit ſi conſenſum magiſtratus, qui in eo territorio imperium exercet, requiramus idque à me tunc obſervatum fuit cum Duisburgi caſus memoratus eveniſſet, nam Pedellos miſeram

prius

prius qui fines inſpicerent cernerentque an cadaver in Moerſanò agro eſſet repertum, quod ratione hujus territorii ſi hæc tempora reſpicimus, omninò obſervandum videtur, quippe cum non amplius eo titulo, quo olim cum academia Duisburgenſis fuit fundata illud poſſideatur uti ſcripſi *ad l.* 11. C. *de ſerv. & aq. diſcept.* 1. *ſect.* 59. *& ſeq.*

5. De jure talionis contra Gallos exercito quod ſcripſi *cap.* 15. *n.* 5. id dubium mihi redditum fuit per eos qui Clivis originem ducunt & eâ tempeſtate ibi vixerunt nunc verò hic legibus operam dant, ajunt enim ſe ex parentibus ſuis Principis miniſtris intellexiſſe, quod illuſtre Regimen per Gallias prius inquiſiviſſet, num defunctus heredes haberet legitimos? ut videantur in hoc articulo bona fuiſſe tanquam vacantia fiſco addicta quod facilè diſcas ex M. Ant. Peregrino *de Iure fiſci. lib.* 4. *tit.* 3. *n.* 30.

6. Eadem cum iis quæ docui *cap.* 28. *n.* 11. reperii apud Nicol. van der Hooch. *ſing. jur.* 28. *n.* 11.

7. Id quod in *diſcept.* 2. *ad l.* 11. C. *de ſerv. & aq. ſect.* 28. ſcripſi, ſic declarare viſum fuit, quod currus oneratus vehiculo, quo homines vehuntur, cedere debeat ſi propter cœnum, aquam aut tempeſtatem, morbum, caſumve alium hi vehiculo deſilire ne queant, quod ſi enim id facere poſſint, æquitas id ſuggerit etſi jure deficiamur. *arg. l.* 2. *§.* 5. *in fi. ff. de aq. pluv. arc.*

8. Atque hæc ſunt quæ de cadavere inſpiciendo nunc dicenda putavi, plura addere cadaveroſa mundi facies & cadaverum nuntii horribiles vetant, ut tamen in juſtum libellum conſurgat hoc opuſculum ei addere conſultum viſum fuit diſceptationem binam, unam *de tranſitu exercitus* alteram *de vehiculis ſibi obviis.* Si pro libertate Academicâ de rebus ad alias diſciplinas aut ad aulicam philoſophiam pertinentibus, tradidi quæ in ipſis rerum argumentis aliter deprehenduntur, quod ad *diſceptiones* adtinet, is titulus me tuebitur, non enim *hypotheſes* ſed *theſes* propoſui. Sed & ratione totius opuſculi ſi à peritioribus eruditus fuerim non erubeſcam ejurare bonam copiam, cum enim ſtudio veritatis & ad exercendos juvenum animos cuncta hæc deprompſerim, his ſi cedam, meliorem me inde factum iri nullus dubitaverim.

F I N I S.

DISCEPT.

DISCEPTATIO ACADEMICA
De
TRANSITU EXERCITUS.
SECTIO I.

NOn improbamus eorum inſtitutum qui in vocabulorum origines eorumque varias ſignificationes inquirunt, id tamen in re nobis propoſitâ ſi non ſequamur, veniam facilè impetrabimus ab iis qui noverint nos ad alia ſurgere quique vel ex titulo intelligent noſtrum argumentum, quamobrem ilicò id adgrediemur, licet haut nobis lateat quod ejusmodi indagationes atque etiam præfationes libentius ad propoſitæ materiæ lectionem homines producere ſoleant. *l.* 1. *ff. de O. J.* Sed & rectè Ulpianus in *l.* 31. §. 21. *ff. de Ædil. ed.* dixit, *idcircò intereſt noſtra ſcire nationem:* Cum ergò inter eam nunc gentem agamus, quæ non ſine ratione protinus ipſam rem tractare incipit ejus ad exemplum ſi nos componamus non objurgatione dignos nos quis pronuntiet.

I I.

Initium igitur opuſculi erit à conſtitutione Impp. Dioclet. & Maxim. AA. & CC. quæ eſt *l.* XI. *C. Servitut.* & ſic habet; *Per agrum quidem alienum qui ſervitutem non debet ire vel agere vicino minimè licet, uti autem viâ publicâ nemo rectè prohibetur.*

I I I.

Hujus conſtitutionis membrum primum eſt planum & apertum, *l.* 16. *ff. de S. R. P. l.* 3. §. 1. *l.* 5. §. 3. *ff. de A. R. D.* atque etiam Triboniano obſervatum cum dicat quod is qui alienum fundum ingreditur poteſt à domino ſi is præviderit prohiberi ne ingrediatur §. 12. *I. de R. D.* Quod in tantum verum eſt ut injuriarum judicio teneatur is qui invito domino ejus prædium ingreditur, *l.* 13. §. *fi. ff. de injur.*

Digitized by Google

Invitum autem eum hic accipimus non tantum qui contradicit ſed & qui apertè non probatur conſenſiſſe. *arg. l. 5. ff. de S. V. P.* In qua lege græciſmus eſt Vid. *tract. de jure in re & ad rem. c. 1. n. 7. & 8.*

I V.

Tanta autem hujus juris vis & poteſtas eſt ut ſe exaudiri non ſolum velit in pacis otiique negotiis ſed & in iis quæ occaſione belli inter mortales contingunt. Nam placuit non aliâ ratione nos vetari hoſtes noſtros perſequi vel homines capere in alieno territorio quam quod is qui in eo imperium habet, per id contumeliâ adfectus videatur. Grotius *de j. p. & b. lib. 3. c. 4. n. 8.* Zouchæus *Iur. fecial. p. 2. ſect. 9. q. 7.* Quæ ratio num pertineat ad eos qui præſidia tenent in alienâ provinciâ controverſum fuit cum Comes Morpethius Comitis Carleolani filius à milibus Veſaliâ digreſſis captus eſſet ante luſtrum? Nos utrumque *exercitii gratiâ* tuebimur. Vid. Aitzema *hiſtor. lib. 45. in anno* 1665. Guy Miege *relat. de trois Ambaſſad., du Comte de Carliſle. in fi.*

V.

Quod de terris diximus id quoque optimo jure ad flumina, maria interna & portus transfertur. *arg. 2. F. 58.* Quæ ratio fuit cur celſiſſ. & potentiſſimi Belgicæ fœderatæ Ordines reſponderint præter mandati fines à ſuis claſſiariis nupero bello contra Britannos in Albis oſtio pugnatum idque improbarunt, uti cernere datur apud Leon. ab Aitzema *hiſtor. belli & pacis lib. 46. in anno* 1666. Iſto facto etiam Sueciæ Regis territorium violatum fuiſſe quodque ideò Batavos pro hoſtibus habere potuiſſet queritur & ſcribit ad laudatiſſimum D. Electorem Brandenb. illuſtriſſ. comes Vrangel uti memorat idem Aitzema *d. lib.* 46. *p.* 690. Hinc hujus potentiſſimi Electoris Brandenb. miniſtri ad Belgii Ordines laudatiſſimos ajunt ex eâ re magna incommoda oriri & totum imperium hoc pacto contra remp. hanc incitari poſſe uti narrat idem actorum publicorum compilator *d. lib.* 46. *p.* 689.

V I.

6. Nec morari nos debet quod noviſſimâ fratrum ὁμοπιστῶν diſcordia adeò Britanni incenderit animum ut Batavum in portu Regis Daniæ adgreſſus fuerit. Non enim exemplis ſed legibus judicandum, *l.* 13.

C. de

C. de ſent. & interloc. omn. jud. & non ſpectandum quid hic vel ibi fiat ſed quid fieri ex juris ratione oporteat. *arg. l. 12. ff. de offic. præſid.* Illud ſatis eſt quod caſtelli in Norvegiâ juxta prætatum portum ſiti præfectus Danus eam rem interpretatus fuerit injuriam atque vi Anglos à tali cœpto deterrere nec non prohibere adgreſſus ſit. Dixerant quidem Britanni penes eum jus eſſe maximum qui maximum geſtaret enſem, ſed an ideò jure juſto id fieri exiſtimabimus quod nonnullis ita videatur qui in eorum perſonis id valere non paterentur? Non enim nobis facilè quiſpiam perſuadebit æquo animo id toleraſſe ſereniſſ. & potentiſſ. Britanniæ Regem quod noviſſimo bello Gallico-Hiſpanico Galli vim intulerint Flandris qui ſe receperant in villas ad littus in Brittannico ſolo ſitas.

VII.

Ex quo exemplo iterum erudimur aliquandò id contingere culpâ eorum qui claſſibus præfecti, nam *credunt plerique militaribus ingeniis ſubtilitatem deeſſe, quia caſtrenſis juriſdictio pro ipſis ſecura & obtuſior plura manu agens calliditatem fori non exercet:* Tacitus *Agricolâ. c. 9.* Neque aliter accipiendum illud Aitzemæ *d. lib. 46.* de facto Belgarum loquentis, *Maer een ijder meet ſijn recht nae de macte van ſijn macht:* Qui *jus ſuum* non intelligit aliud quam quod quis ex ſuâ opinione & utilitate tale eſſe exiſtimat, aliàs id non magis jus eſt quam mel amarum aut cuncta res coloris flavi quod febre & ictero laboranti talis eſſe videatur uti nobis doctum *in Spicil. ad §. 11. I. de I. N. G. & C. n. 11.*

VIII.

Porrò idem in littore cuſtodiri debet, nam licet uſu id omnibus competat & eatenus commune ſit, *l. 2. §. 1. ff. de R. D. l. 24. pr. ff. de damno infecto.* nehilominus publicum id eſt ſi ejus proprietas ſpectetur. Theod. Marcil. *ad §. 1. I. eod.* Nam littora in quæ populus Romanus imperium habet populi Romani eſſe arbitror, ait Celſus *in l. 3. pr. ff. Ne quid in loco publ.* eaque ratione imperii & tuitionis publica appellantur. *l. 65. §. 1. ff. de A R. D.* Quâ de cauſa licet littora eatenus communia ſint quatenus navigantibus & prætervehentibus eorum uſus eſt neceſſarius; Grotius 2. *de j. p. & b. 3. §. 9* tamen exteræ gentes prohiberi poſſunt ne cum claſſe, à quâ metus nobis infertur, ad noſtrum littus accedant.

 9. Hujus

I X.

Hujus rei fortitiſſimum argumentum præbet fœdus pacis inter Britannos & Belgas ictum Bredæ, in cujus *art.* 18. continetur; *In voegen dat ſy te lande of te water elkanders Landtſchappen, Steden, dorpen, bemuerde en vaſte of onbemuerde en onvaſte plaetſen oock in alle havens ende het gantſe Rijck ofte heerſchappye binnen Europa, vryelick ende met volkomen ſecuriteit ſullen mogen aendoen en inlopen*: Cum enim extra Europam uti à contrario eſt dictis verbis conlegitur non permiſſum ſit ad alterius ditiones aut portus accedere *arg. l.* 18. *ff. de teſtib.* fruſtrà quis memoratum articulum teferat *ad l.* 94. *ff. de R. I.*

X.

Firmantur hæc magis per articulum 34. dicti pacti publici, quo cavetur; *mits dat de Oorlochſchepen niet meer als acht in 't getal worden bevonden, indien ſy met voordacht daer in loopen, en dat ſy niet langer in of omtrent deſelve havenen komen te verblijven, dan tot het voorſien en hermaecken van haere ſchepen ende tot het koopen van haere victualie ende andere behoeften ſal vereyſt worden*: Quæ enim cauſa hujus interdicti alia quam quod metus nobis inferatur per naves prætorias & ad bellum inſtructas? Quodque de littoribus dixi id ex recitatis verbis *in of omtrent deſelve havenen* egregiè demonſtratur, ſi enim non licet plures quam octo prætorias naves ſimul propè portum in mari ipſo ſtationem habere, non etiam pluribus hominibus quàm quos capiunt octo ejusmodi naves eodem tempore ad littus accedere permiſſum erit. *arg. l.* 21. *ff. de R. I.*

X I.

Quid quod nequidem iſtis octo navibus aliter conceſſum eſt ingredi portus *ten ſy na voorgaende verſoeck van verlof en toelatinge van die geene den welcken denſelve havene ſijn toebehoorende*: uti eſt in *d. art.* 35. Quo in loco quidem ilicò ſubnectitur; *ten ſy deſelve ſchepen door tempeeſt, ofte door eenigh gewelt ofte nootſaeckelickheidt daer toe wierden gedwongen, op dat ſy het gewelt en prijckel der Zee mochten ontkomen*: ſed tamen eo caſu deſideratur dat *ſy den Overſte van deſelve plaetſe ofte de hooge Overigheyt de oorſaecke van haere komſte ſullen bekent maecken*;

XII.

Si attendamus ad rationes quibus paciſcentes impulſi, deprehendemus per eas confirmari ea quæ loco ſuperiore ediſſertata nobis ſunt, atque inter eas metus juſtus principem ſibi locum capit, cum enim major exſpectandus à claſſe pluribus navibus conſtante non niſi octo naves ad bellum inſtructas portum ingredi vel prope littus ſtare eodem tempore licet, neque aliter id permiſſum quàm ſi id ſignificatum fuerit ei qui loco illi præeſt magiſtratus ut damno infecto proſpiciat & quoque ſtationarios milites poſſit habere diſpoſitos contra vim quam metuit vel ab octo iſtis navibus vel à pluribus vi majore portum ingredi coactis, ſimul ut & honor exhibeatur iis ad quos portus pertinent & quorum territoriis littora conſtituunt fines.

XIII.

Fortiore ratione hæc cuncta ad vias publicas ſpectare dixeris non tantum ideò quod illæ iis penes quos ſummum eſt imperium tribuantur ut de illarum uſu prout reip. utilitas poſſit ſtatuere poſſint uti tradit Marquard. *de mercatura. lib.* 1. *c.* 19. *n.* 8. *& ſeq.* Sed quod per terras tranſitus minus quàm per maria & flumina neceſſarius & magis noxius ſit ſi audimus Grotium *d. c.* 3. §. 12. Unde infertur invito Principe exercitum non poſſe tranſire per viam publicam quippe cum nec per privatum fundum invito domino ire liceat niſi conſtitutâ ſervitute aut is ad preces tuas id tibi conceſſerit, quæ autem ratio eſt rerum ſingularum in privatis eadem & publicarum veluti viæ aliarumque id genus rerum in principe vel ordinibus liberæ alicujus reip. *arg.* §. *9. I. de R. D. junct. l. 9. §. 1. ff. eod.*

XIV.

Quemadmodum enim minuitur libertas prædii ſive jure ſervitutis ſive nullo per id eat aut ambulet alter qui ejus dominus non eſt, ſic quoque minuitur libertas territorii quod nil aliud quàm univerſitas agrorum eſt, ſi inconſulto aut invito Principe quis per id tranſiverit. Caſp. Ziegler *ad Grot. de j. p. & b. lib.* 2. *c.* 2. §. 13. Non novum aut commentitium id jus eſt ſed vetus & ab antiquitate repetitum, cum enim Cimon quondam Lacædemoniis ſuppetias laturus per agrum Corinthium traduxerat copias, reprehenſus à Corinthiis fuit quod

non prius civitatem compellaſſet: nam & qui fores alienas pulſet non intrare niſi domini permiſſu. Plutarch. *Cimone.*

X V.

Conſtat id quoque naturali ratione; nam nefas eum qui liber homo alterius gratiâ angi & periculis ſubdi, quæ vel ipſi imminent à militibus tranſeuntibus vel ab iis qui ſtipendia merent iſti Principi contra quem is exercitus qui per tuas terras tranſit, educitur. Eſt enim ſecuritas reip. inter ejus bona externa numeranda quæ ideò nulli invito attrectari & auſſerri debet: *arg. l. 11. ff. de R. I.* & ſic ſentire quoque videas Felden *ad. Grot. d. §. 13.* Joh. Strauch. *de Imper. maris. c. 8. §. 2.*

X V I.

Fuit ideò jam olim lege Imperii Romano-Germanici cautum ne exteris principibus tranſitus per Imperii provincias concederetur. R. A. Zu Augſpurg. *anno* 1559. §. Dem zu begegnen. *ibi*; Daß hinfuhr ahn keinem frembden Potentaten einiger ſeines Kriegsvolcks alſo beſchwerlicher durchzug im H. Reich und deſſen Kreyſen geſtattet werde: Vnd ob einiger Obriſter/ haupt oder Befehlichsman eigenes gewalts von ſolches frembden Potentaten wegen mit Kriegsvolck den durchzug zu nehmen unterſtehen wurde/ dem ſelbigen ſol durch gemeine Kriegshulſe/ vermöge vielangeregter *Executions*-Ordnung und handhabung gemeines friedens/ wiederſtand gethan und ſolche beſchwerden von den Vnterthanen abgewendet werden.

X V I I.

Optimo jure id quidem fundatum cum contra vim & injuriam ſe tueri omnia jura divina & humana permittant: *l. 3. ff. de I. & I. l. 45. §. 4. ff. ad L. Aquil.* Diximus quoque è loco *ſect.* 3. privato ideò injuriarum actionem competere, ut ſummâ ratione cum hac in re magiſtratus ſuperioris copia non ſit aut exſpectari non poſſit, caſtrenſi juriſdictione & vi armatâ jus noſtrum tueri conceſſum ſit. *arg. l. un. C. quando lic. unicuique ſine iud. ibique* DD. Sic in terminis uti ajunt terminant. Bertrand. *vol. 1. part. prior. conſil. 60. n. 6.*

18. Vix

XVIII.

Vix autem tum propter diſcordias cum quibus ab eo tempore quo memorata conſtitutio promulgata imperium miſerè conflictatum, tum quoque propter potentiam aliorum ea lex vim aliquam ſortita fuit, nam ut alios ſileamus Ferdinand. Mendoza *Admirantus* Arragoniæ initio hujus ſæculi milite Hiſpano Germaniam inferiorem vaſtare cœpit, uti teſtis eam in rem eſt Grotius *hiſtor. lib. 7.* adjiciens; *ſatis tranſitu agri vaſtabantur, indictâ & in ſequentem annum ſterilitate, quippe eo tempore attriti quo ſemina ſolo inferri debuerant.* Albertus Auſtrius hanc rem *brevem neceſſitatem* vocabat, ſed Cæſaris decreto juſſus fuit Imperii ſolo decedere, rapinasque ac damna reparare. Grot. *d. lib. 7. in fi.*

XIX.

Ab aliis quoque id factum fuiſſe queruntur Electores *in Reſol. colleg. Electoral. ad propoſ. Cæſ. Ferdinandi II. in comit. Ratisbon.* 19. *Iulii* 1630. §. Sehr beſchwerlich und hochſchädlich iſt es zwar/ daß in verwarrung eines ſolchen nohtwendigen Reichs-Schluſſes ermelte Staaden ſolche weit außſehende *progreſſion* in Reich thun und muſſen die benachbarte lande unterdeſſen mit ihren höchſten ſchaden leiden daß ihnen das Kriegsvolck nicht allein hin und wieder durchs land gefuhret. *&c.* Quam quærelam & anteà motam fuiſſe contra fœderatos Belgas conlegere datur ex Grotio *hiſtor. lib.* 8. apud quem ad eam repellendam ajunt p. 515. *Objici locum unum aut alterum hoſti imminenti neceſſariò antecaptum, quaſi non & civium interfuiſſet ſervari contra non evitanda alias Hiſpanorum flagitia, à modeſto milite & cui nec ſtipendia nec diſciplina deficeret: addi pauca excurſorum delicta, quæ ut fit, notitiam & ultionem effugerint. At non publico ductu importatum alienos in fines exercitum.*

XX.

Verbis iſtis poſtremis ergò laudatiſſimi Belgicæ Ordines apertiſſimè fatentur alienos fines invito eo qui intra eos imperium exercet exercitum tranſire non poſſe, quod tamen Hiſpani fecerant uti poſteà ſereniſſimi Electores dicere pergunt verbis; Man kan aber Ihr Keyſerl. Majeſtät hiebey auch nicht bergen daß von denen Spaniſchen Kriegs-Officierern nicht geringere ſondern gleichmeſſige trangſalen

und

und Kriegs-beſchwerden Zuſehen und begegnen. Die haben ein zeithero ſich unterſtanden auch wohl unter dem unverantwortlichem vorwand als ob ſie ſolches im Reich hergebracht und deſſen *in poſſeſſion* weren mit ihrem Kriegsvolck jeweils / mit vielen unterſchiedlichen Regimenten zu Roß und zu fuß / ihren zug eigenes gewalts auf des Reichs bodem durch gehorſame Chur und Furſten land zu nehmen / und zu paſſiren / haben niemand umb den paſs erſucht / weiniger etwas bezahlt ſondern mit abnehm und plundern den armen leuten aufs heftigſt zugeſetzt: Limnæus *in mantiſſ. ad Capitul. Ferdin. II. p.* 623.

X X I.

In ſpeciem hæc oratio itaque contra fœderatos Belgas fuit concepta ſed re ipſa tamen per eam petuntur Hiſpani, contra quos ſolos cur querelam proponere noluerint rationes nobis ſatis occurrunt, ſed eas in vulgus edere nefas & in conſultum videtur. Nemo ergò tam veſanus ſit qui cum Mendoza dixerit *ſe juris Quiritum inſcientem militari agere malle*: Grot. *lib.* 8. *pr.* Audi enim quid hiſtoricus Gallus de iſto homine quod & invito territorii domino & haut absque maleficio per alienos fines tranſiret, ſcripſerit; J. de Serres *invent. gener. de l'hiſtoire de France dans la vie de Henry IV. p.*678. Nam ibi eum appellat *traiſtre carnageux*:

X X I I.

Portentum id hominis fuiſſe id quoque vel hinc intelligas quod cum in acie iſtâ famoſiſſimâ quæ apud Neoportum in Flandris contigerat captus & Hagam-Comitum traductus atque cuſtodiæ ibi traditus eſſet, Cliviæ Ducis legatis damni reſarcitionem ab ipſo poſtulantibus allegare auſus fuerit, cur ſibi tàm gravem ſcriberent dicam, cogitare ipſos debere quod eorum Princeps Wilhelmus quaſi laqueo collo injecto veniam & abolitionem à Cæſare Carolo V. petiiſſet cum ejus copiæ ab exercitu Imperatoris ductu fœminæ eſſent fugatæ atque is Cæſari Gelriam cedere cogeretur: veluti nefaria iſta verba enarrata cernis apud Eman. Meteran. *hiſtor. Belgic. p.* 2. *lib.* 23. *in anno* 1601. Quâ in re ipſum Mendozam mentitum eſſe rei iſtius hiſtoria demonſtrat quam memoriæ horum temporum prodidit Joh. Sleidanus *comment. lib.* 15. *in anno* 1543. Quapropter id hic commemorare viſum,

ut

Digitized by Google

ut tanti Principis, cui majores noſtri ſubditi fuere & à quo originem trahit Sereniſſ. & potentiſſ. D. Elector Brandenburg. fama ſarta tecta adſeratur.

XXIII.

His quæ hactenus diſputavimus non obſtat quod in lege nobis propoſitâ exſtet; *uti autem viâ publicâ nemo rectè prohibetur*: Nam reſpondetur (1) quod etiam ob iſtum metum ne privatus à privato lædatur alicui viæ publicæ uſus interdici poſſit, veluti ſi quis inimicum habeat qui juxta aliquam viam publicam habitet, jure prohibetur eà ire: *arg. l.* 13. *§.* 3. *ff. de uſufr.* Gloſſ. *in l. quod juſſit. ff. de re jud.* Bartol. *ibid. n.* 4. Jaſon. *n.* 17. Ripa. *n.* 4. Anton. de Padilla *ad noſtr. l. n. ult.*

XXIV.

Advertendum eſt (2) quod id capiendum ſit de privatis & perſonis ſingulis à quibus nulla vis malive nil metuitur, quibus tamen propter ſuſpicionem mali viæ publicæ uſus rectè interdicitur ſi vel metus ſit ne arcana dominationis per eos in exteris locis vulgentur aut timor adſit per eos advenas vel popularium animos corrumpi vel ad res novas moliendas ſollicitari poſſe aut perhorreſcamus ne quid alterius generis mali incolis inferant.

XXV.

Comprobantur hæc gentium nationumque inſtitutis. Nam propter priores cauſas Moſchi, Turcæ, Tartari nunc Chinenſium domini, & Jappanenſes peregrinis non permittunt uti viâ publicâ neminemque admittunt in ſuas terras niſi auſpiciis publicis, & ne eos ſolos quos vulgus barbaros credit in teſtimonium citem, idem in Italiæ ditionibus nonnullis ſervatur. Poſtrema ratio facit ne multis in locis Germaniæ liceat Judæis ire viâ publicâ. Exemplum habemus in liberâ Imperii civitate Tremoniâ in Veſtofalis, ubi à Judæo vectigal idem exigitur quod pro tranſitu ſingularum pecudum penditur. Origo hujus rei inde fluxit quod olim Judæi venenum miſcuerant fontibus & puteis atque ideò ex metu ne talia aliquandò iterum machinarentur tranſitus per urbem ipſis negatur vel non aliter indulgetur quam ſi profiteantur nomen ſuum & vectigal

 ſolve-

ſolverint, ut hoc titulo in omne ævum illorum facinus prorogetur & eos tranſeuntes obſervare admoneantur cives.

XXVI.

Dicat quis priorem cauſam vix alicujus momenti videri cum gentium moribus jam receptum ſit ut alter in alterius regiâ aut aulâ validisque aliis civitatibus & emporiis alat miniſtros qui variè hodiè appellantur, nam non tantum Legatos eos dicunt ſed & *Reſidentes*, *Agentes*, *Conſules*, *Correſpondentes*, aliter: quos tamen non nemo, cui tamen libera juſto fuit lingua, ajebat eſſe nil aliud quàm *des Eſpions honnorables*: Sed reſponſum dabo quod volenti non fiat injuria; *l.* 1. *§.* 5. *ff. de injur.* quodque nemo videatur fraudare eos qui ſciunt & conſentiunt. *l.* 145. *ff. de R. I.* Nec ſilentio omittendum tales perſonas tum ad colendam amicitiam tum etiàm commerciorum gratiâ valdè neceſſarias eſſe, ut ab illis ad privatos argumentum non trahatur, quare ſi hi in arcana inquirant & vulgent in loca extera puniri quoque poſſunt uti crebrò Lutetiæ Pariſiorum contingit etiamque non ſemel contra tales ad ἀνάχρισιν perventum fuiſſe Hagæ-Comitum, ſed ferè ſemper tunc ab aliquo Principe defenſos titulo miniſtri, ex hiſtoriâ noſtri temporis obſervavimus.

XXVII.

Revertamur ad noſtram legem, ea (3) uti ex ediſſertatis liquet, officium ſuum perdit ſi metum nobis inferant ii qui viâ publicâ per noſtros fines tranſire volunt, quâ de re ut conſtare poſſit nos deſideramus ut id prius nuntietur ei qui in eo territorio imperium exercet neque enim ſimpliciter ſtatuimus prohiberi poſſe exercitum uti viâ publicâ ſed ſed illud dicimus non aliter quàm conſulto & volente Principe per cujus provinciam tranſitus fit, id jure permiſſum eſſe, uti ait Elector Saxoniæ apud Hortlederum *de cauſ. belli German. c.* 8. *n.* 5. *fol.* 100. *& c.* 5. *n.* 9. *fol.* 931.

XXVIII.

Quod in tantum verum eſt ut & eo caſu quo præſidiarias urbes teneas in alterius territorio non tamen aliter cum exercitu per id tranſire poſſis etiamſi laborantibus & obſeſſis ſubvenire velis, niſi id prius ſignificaveris provinciæ iſtius Principi. Hoc olim ſenſerunt lauda-

laudatiſſimi Belgæ fœderati: *ſect.* 19. *&* 20. & ab iis deſideravit Elector Brandenburgicus apud Aitzema *lib.* 54. *p.* 1096. his verbis: *dat ſy ſijne landen met doortocht ende nacht-legeringe verſchonen, of ſo het door eene onvermijdelicke noodt geſchieden moeſte dat het genotificeert en commiſſariſſen bygevoegt*: Sed idem Aitzema *lib.* 46 *p.* 199. ſcribit; *Sulcx wierdt geoordeelt van ſware practique*: donec tandem pacto fœderis icti Clivis 16. *Febr.* 1666. conventum fuerit; *art.* 11. *ſullen d'een in des anders landen geen inlegeringe ofte logeringe mogen doen, ſonder voorgaende behoorlicke communicatie*: *&* *art.* 12. *Maer ſo wanneer marche ofte doortocht in des eenen ofte des anderen landen ſoude mogen geſchieden ſullen de contraherende partyen gehouden ſijn ſoo tijdelick notificatie daervan te doen.*

XXIX.

Cum itaque is qui præſidia in aliquâ provinciâ habet ejus domini conſenſum requirere debeat quantò magis id eum facere oportebit qui hoſtem ſuum illis præſidiis exigere vult. Forte tamen reperias eos qui id negent his rationibus impulſi. (1) Quod is Princeps exteros illos milites ſuis urbibus ejicere deberet, alioquin moram ipſi nocituram. *arg. l.* 173. *§.* 2. *ff. de R. I.* & damnum provincialibus inlatum ipſius culpâ accidiſſe ipſique ergò imputandum eſſe. *arg. l.* 203. *ff. eod.* (2) Si talis ſit qui in ejus territorio habeat milites præſidiarios, ut ferro uti contra eum nolit jure Principem experiri debere, non enim obſtare ei poſſe, quod olim ab hoſte eorum qui præſidia iſta nunc tenent, loca ea fuerint poſſeſſa, rem enim furto aut vi amiſſam ſemper vindicari nec uſucapi poſſe juris eſſe tralatitii & præſcribere volentibus malam fidem in æternum obſtare. *l.* 2. *C. de furt. §.* 3. *&* 10. *I. de uſucap. l.* 6. *ff. de adq. poſſ.* Arthur. Duck *de auctor. jur. civ. Rom. lib.* 1. *c.* 1. *n.* 19. Ut dicendum videatur jus implorare debere iſtum Principem, nam & hanc viam Principes & liberas reſp. ſequi vel ex unâ lite, cui à Quæſtori *Hoeſ-yſer* nomen, liquidò conſtat.

XXX.

Hæc licet ſpeciem quandam habeant, alia tamen longè ſedet mens. Nam cum agere invitus nemo cogatur, *t. t. C. ut nemo inv. ag.* quantò minus ergò ad bellum alteri populo inferendum quis adſtringitur? *arg. l.* 21. *ff. de R. I.* Si enim litis eventus dubius, *l.* 51. *ff. de pecul.*

 fortius

Digitized by Google

fortius id de bello ajemus. Veriſſimè enim Dux Ferius Regi Hiſpaniarum apud Cardin. Bentivoglio *lib. 3. della guerra di Fiandra.* dixit; *Sempre è incerto l'eſito delle guerre, e la fortuna, che ne gli altri accidenti humani ſi contenta di qualche parte, in queſti vuolo il dominio intiero:*

X X X I.

Ponamus ergò rem vindicari poſſe, id utique in favorem iſtius Principis introductum, an ergò in ejus odium tu vel alius quiſquam id retorquebis & ſpretâ ejus majeſtate provinciam ipſius immiſſo milite vaſtabis contra *l. 6. C. de LL.?* Num tibi latet quod favori pro ſe introducto quilibet renuntiare poſſit? *l. pen. C. de pact.* quodque ille Princeps plurimas poſſit habere rationes, cur eas urbes ſibi reſtitui nolit, quas intellectu magis percipimus quàm elocutione exprimi poſſint uti ait Ulpianus *in l. 12. §. 3. ff. rem. rat. hab.*

X X X I I.

Satis certum ſatiſque firmum ergò eſt tranſitum poſtulandum eſſe per exterum Principem qui per fines noſtros militem ducere vult, quandò etiam rationes cavendi non negligendæ illi p r cujus terras tranſitus fiet, quas hic connotare operæ prĕcium erit. Prima erit ut diviſis manibus copiæ transmittantur, quæ continetur nominatim R. A. zu Augſpurg. 1582. §. Demnach ſetzen / ordnen: *ibi;* daß ſie zu ihren an-vnd durchzugen niemand beleidigen beſchädigen noch beſchweren auch nicht hauffen oder rotten-weiſe als lange ſie des reichs und deſſen Schirmsverwanten boden beruhren / ziehen &

X X X I I I.

Altera ut inermes tranſeant quod Germanis promittebant Agrippinenſes. Tacitus *hiſtor. lib. 4.* eumque morem olim in Eleorum regionem obſervatum ex Strabone notavit horum eurematicôn auctor Grotius *d. §. 13.* eumque veſtigavit ſœpè Princeps Monaſterienſis Chriſtoph. Bernhardus, nam vidimus milites ab eo in agro Morino & Leodienſi lectos ſpecie artificum aut opificum inermes atque diviſis manibus per Cliviam tranſire, quod licet & aliâ ex cauſâ factum fuerit, hanc tamen quoque habuit, quod non facilè tunc ſiſtantur atque pro iis ideò tranſitum poſtulare neceſſe haut haberet.

34. Cautio

XXXIV.

Cautio tertia erit ſi is qui tranſitum alteri permittit ejus ſumptu ſibi præſidia idonea conducat quibus in officio continere queat milites per agros palantes & à viâ digreſſos, non enim alter propter alterius commodum cogitur facere impenſam atque adeò damnum ſentire ſed id naturâ æquum ut ſequantur eum incommoda & ſumptus qui commodum ex tali tranſitu ſentit. *arg. l.* 10. *ff. de R. I.*

XXXV.

Quarta ſit ut obſides poſtulentur: quod à Demetrio Seleucum petiiſſe tradit Grotius *d.* §. 13. Vel cum hodiè obſides dari vix ſoleant inter Chriſtianos damni infecti nomine ſatis vel cautum dent qui tranſitum flagitant, uti quoque comprehenſum memoratâ Imperii conſtitutione *anni* 1582. *ibi;* daß ſie gnugſame verbürgte *cation* mit Ständen im reich geſeſſen / zu der an- und durchzug furgehen möchte / zuforderſt thun wollen:

XXXVI.

Iſta autem ſatisdatione & illud continetur ut tranſeuntes eſculenta ſolvant incolis locorum, uti etiam præcipit eadem lex Imperii, *ibi;* was ſie verbrauchen bezahlen ſollen: Juſtinianus idem quoque antiquitus ſanxit *in Nov.* 130. *c.* 1. *in fi.* ubi ait; *ut undique illæſi & indemnes cuſtodiantur noſtri ſubjecti*: Quandò autem cibaria ſolvunt milites tunc tranſitum illis negari non poſſe ſcripſit Angelus *in l. ſi venditor.* §. *ſi conſtat. ff. comm. præd. n.* 1.

XXXVII.

Hoc non aliter admittendum quàm ſi de cætero damno quod quidem nondum factum ſed quod fieri veremur nobis cautum ſit ex rationibus enarratis & prætereà *inevitabilis neceſſitas* id poſcat uti loco ſuperiore ſereniſſ. Elector Brandenb. loquitur apud Aitzema, & ſi hoſtes meos non ſecum ducat, tunc enim tranſitum negare licet, cum & in ſuo ipſius territorio ei occurrere atque iter impedire fas foret. Grot. *d. c.*12. §. 13.

XXXVIII.

Quoties autem abſque ratione juſtâ & per meram injuriam tranſitus

ſitus negatur ei qui eum absque maleficio fore, cavere paratus eſt, ſileſcente injuriarum actione quæ privato daretur, *arg l.* 5. §. 1. *ff. qui ſatisd. cog.* ex ratione è loco *ſect.* 17. adductâ juſti belli cauſa eſt. Auguſtinus *in c. notandum.* 23. *q.* 2. *Notandum ſanè eſt quemadmodum juſta bella gerebantur à filiis Iſraël contra Amorræos. Innoxius enim tranſitus denegabatur qui jure humanæ ſocietatis æquiſſimo patere debebat.* Bartol. *in l.* 1. *C. de pagan. n.* 4. Couvarruv. *in c. peccatum. de R. I. in* 6. *p.* 2. §. 9. *n.* 5. *verſ. quinta etiam.* Bocer. *de jure belli & duelli c.* 4. *n.* 11. Grot. *d.* §. 13. Caſp. Ziegler. *ibid. in not.* Padilla *ad noſtr. l. n.* 18.

XXXIX.

Nec deſunt exempla quibus hæc ſententia confirmetur. Cum enim conditiones memoratas à Moſe oblatas Emorræus ſperneret juſtum eo nomine ei intulit bellum. *Num.* 20. *&* 21. Johanni Regi Navarræ ab Hiſpaniarum monarchis propter negatum innoxium tranſitum, fuiſſe bellum inlatum & Navarræ regnum ereptum ſcripſit Padilla *d. l. n.* 20. *&* 21.

XL.

Bello adgredi cum liceat eos qui innoxium tranſitum negant, quantò magis ſi vim faciant & injuriam iis qui tranſire volent, eam propulſare fas erit, quod Batavi Bonnenſibus olim nuntiabant; *ſi nemo obſiſteret innoxium iter fore: ſin arma occurrant ferro viam inventuros*: Tacitus *hiſtor. lib.* 4.

XLI.

Grotius præter conditiones memoratas id quoque exigit ut injuſtum bellum non moveat is qui tranſire vult, alias ei tranſitum negari poſſe. *d. lib.* 2. *c.* 2. §. 13. Sed an alter Princeps de juſtitiâ belli quod alius decrevit nullius juri ſubjectus judicabit? Vix ergò eſt ut id obtineat, nam ſæpè Reges & Principes controverſiam quæ ipſis cum altero eſt ad alios referri nolunt ſed magè ferro eam decidere malunt atque hoc pacto evenit ut fortuna diſceptet eam rem non Aſtræa.

LXII.

Quæras juſtius an non tunc tranſitum rectè prohibere poſſis ſi ei

contra

Digitized by Google

contra quem educitur exercitus vel nominatim promiſeris te ejus hoſtibus tranſitum non negaturum vel generaliter cum eo pactus fueris *ut mutuis commodis ſtudeant & omnia humanitatis bonaque vicinitatis officia ſibi præſtent?* quod poſtremum continetur *art.* 1. fœd. pacis inter Belgas fœderatos & Epiſcop. Monaſterienſem factæ, *Clivis* 18. *April.* 1666.

XLIII.

Fœderatos Belgas ne tranſire per ſuos fines paterentur Clivii olim comprehenſum fuiſſe pacto publico ajebant Hiſpani cumque iſti militem Belgicum prohibere non poſſent, id tamen ipſis ab Ibero imputatum verbis; *quoties Clivios appellatos ne contra Venloanas pactiones fugitivis receptum, hoſtibus tranſitum darent?* Grotius *hiſtor. lib.* 8. Nos autem non dubitamus culpæ vacuos pronuntiare Clivios. *arg. l.* 185. *ff. de R. I. l.* 50. *ff. eod. l.* 13. *§.* 7. *ff. locani.*

XLIV.

Quinimò potius ipſorum Hiſpanorum ſocordiâ id factum, cur enim non juverunt Clivios aut milite ſuo id prohibuerunt? Nominatim ita convenit inter Sereniſſ. Electorem Brandenb. & potentiſſimos Belgas fœderatos *d. art.* 12. *Ende in cas een derde eenige inlegeringen, legeringen, doortochten en infeſteringe met eenige Krygsvolck mocht willen ondernemen, ſo ſullen de contraherende partyen nae voorgaende concert ende overlegh t'ſelve elckander ſo veel mogelick helpen afweeren en bevryen:*

XLV.

Quantum ad poſterius membrum propoſitæ quæſtionis adtinet, illud dicendum videtur quod promiſſio iſta eam habeat vim, ut vicino Principi tranſitus non tàm facilè tunc negari poſſit nec audiendus ſit is qui allegat ſe quoque fœdere conjunctum ei contra quem copiæ ducuntur & ſe ejus iram perhorreſcere, præſertim ſi ille longè ab ipſo diſtet, idque non ideò tantum quod vani timoris non ſit juſta excuſatio, *l.* 6. *ff. quod met. cauſ. l.* 184. *ff. de R. I.* quodque metum præſentem accipere debeamus non ſuſpicionem inferendi ejus, *l.* 9. *pr. ff. quod met cauſ.* ſed quod jus meum metu tuo non tollatur. Grotius *d. c.* 2. *§.* 12. Cui quidem contradicit Zieglerus poſtea tamen ſi ſatis cautum ſit id admittit.

46. Majore

Majori dubitationi illud obnoxium ſi certum ſit quod is contra quem ducitur exercitus quem ſino per meos fines tranſire hoſti ſuo in meo ſolo occurret, an tunc non tranſitus negari queat? Id videtur ne ſedes belli legatur provincia mea. Cl. Ziegler. *ad Grot. d. §.* 13. Quam in rem utiliſſimum eſt cum vicinis paciſci ut mutuis viribus repellant eos qui tranſire volent quemadmodum de Belgis fœderatis & Electore Brandenb. id memoravi, vel implorare convenit opem eorum qui mutuis commodis ſtudere & humanitatis atque bonæ vicinitatis officia cuncta præſtare polliciti ſunt.

XLVII.

Hæc autem pactio violata dicetur ab eo qui nullâ neceſſitate coactus hoſti alterius tranſitum dedit vel ſollicitaſſet eum ut per ſuos fines ſocio Principi bellum inferret etiam ſi ab hoc contra fœdus peccatum prius eſſet nam fidem frangenti fides tamen eſt ſervanda: Grotius *lib.* 3. *de j.p. & b.c.* 19. *n.* 13. niſi per modum conditionis quid conventioni fuerit adjectum. *arg. l.* 14. *in fi. ff. pro ſocio.*

XLVIII.

Hæc autem juſta negandi tranſitus cauſa, ſi is per cujus fines petitur, ſit *vaſallus* ejus Principis, contra quem exercitus ducitur, atque ideò olim Karolum Sabaudiæ *Ducem* à Franciſco I. Galliarum Rege injuriâ terris expulſum quod huic contra Cæſarem in Italiam moventi tranſitum cum exercitu permittere nollet, ſcribit Strauch. *diſſ exot.* 1. §. 13. Idem tamen hic obſervandum quod indicavi *ſect.* 43. & egregie firmatur. *arg.* 2. *F.* 28. *§. ad hæc. in fi. ibi; cum potuerit:* 2. *F.* 24. *§.* 2. *vers. ſed non eſt alia, ibi; quia non potuerit:* Roſenthal. *de feud. c.* 8. *concl.* 8. *n.* 8. *& ſeq.* Kohl. *de ſervit. Feudal. p.* 1. *n.* 117.

XLIX.

Pari ratione infertur quod licet nemo hoſtibus ſuorum clientum tranſitum indulgere debeat & ſi id fecerit jure ſuo cadat, id tamen officium ſuum perdat ſi illis reſiſtere & tranſitu prohibere non potuerit. *arg. l.* 13. *§.* 7. *ff. locati. l.* 50. *ff. de R. I.* Martin. Mager. à Schonberg. *de Advoc. arm. c.* 16. *n.* 718. *&* 720.

L. Ha-

L.

Hactenus oſtendiſſe ſufficiat quemadmodum agi poſſit & oporteat cum exteri tranſitum pro exercitu poſtulant, flectamus nunc orationem ad Principes Imperii. Hi ſuos milites per ditiones aliorum non aliter quoque ducere poſſunt quam ſi tranſitum petierint iisque ſignificaverint ea quæ præcipit Imperii conſtitutio *cũ tit.* Des H. Röm. Reichs Retterbeſtall. *anni* 1570. *art.* 5. *ibi*; In den anzeigen ſollen der Obriſter und Ritmeiſter ſchuldig ſein die Reuter alſobald in Rotten auszutheilen und bey jeder Rotten einen Rottmeiſter oder ſonſten eine gewiſſe perſon / und ahn allen enden und orten / da ſie durchziehen und geführet werden / des Rottmeiſters oder zugeordneten perſon rechten nahmen angeben und verzeichnen laſſen / damit auf den fal da etwa durch die Reuter den Untertahnen vergewaltigungh und ſchaden zugefuget wirdt / und dargegen klage vorfiele / man wiſſen mochte / wen man darumb anzuſprechen und anzulangen habe: Fuit & cautum lege aliâ Ratisbon. *anno* 1641. daß in durchziehen / wieder der Keyſerl. Majeſt. oderſelben *Generaels* Perſonen ordonnantz / wan anders die notwendigen lebens-mittelen bey dem nechſten wegh fortzukommen vorhanden / einige abwege nicht genommen noch in verſchonungh eines oder anderer Standt beſchwert und *ruinirt* werden ſolle: Erat & in dictâ conſtitutione Reuterbeſtall. *art.* 4. definita quantitas quam milites ſinguli cauponibus ſolvere deberent.

L I.

Aſt cum precia rerum non in omnibus Imperii provinciis eadem ſed toto cœlo differant atque ut temporum vices ita & mercium mutentur, ad poſteriora tempora id tranſlatum non fuit, neque hodiè, ſi arctior amicitia ſit inter eum cujus miles tranſit & illum ad quem ditio pertinet, per quam copiæ ducuntur, niſi rarò ruſticis quid ſolvitur quod alter princeps alteri idem officium præſtet, licet quoque *in Inſtrum pacis Osnabruz.* 1648 *art*, 17. de eo cautum verbis; *Quoties milites quavis occaſione aut quocumque tempore per aliorum territoria aut fines aliquis ducere velit, tranſitus hujusmodi inſtituatur ejus, ad quem tranſeuntes milites pertinent, ſumtu atque adeò ſine maleficio, damno & noxâ eorum quorum per territoria ducuntur: ac denique omninò obſerventur, quæ de conſervatione pacis publicæ Imperii conſtitutiones decernunt atque ordinant;*

C LII. Quandò

L I I.

Quandò autem ſecundum modum legibus imperii præſcriptum id ſignificatum principi per cujus ſolum tranſitus poſtulatur, tunc hic extra ordinem alicui mandare ſolet ut is comitetur milites tranſeuntes atque proſpiciat ne quid detrimenti capiant incolæ, quanquam in Cliviâ & Marcâ ductor proprius eam in rem creatus qui titulo *Landt-Commiſſarii* inluſtris.

L I I I.

Aliæ gentes idem ſervant inſtitutum, nam cum copiæ nonnullæ, quas Belgæ fœderati redemerant à Principibus Lunenburgicis redirent, ex illuſtri collegio eorum qui à conſiliis ſtatus fuere legati, qui eos ducerent donec fines Belgicæ egreſſi eſſent. Similiter cum Galli ante luſtrum ex Veſaliâ locisque circumvicinis proficiſcerentur ipſe heros inclytus Princeps Joh. Mauritius Naſſavius illis adfuit usque ad fines Cliviæ ut eorum tranſitus absque maleficio fieret. Aitzema. *lib.* 46. *p.* 305. Expreſſe id quoque Sereniſſ. Elector Brandenburg. cum Belgis fœderatis pactus *d. art.* 12. *ibi; tijdelick daervan notificatie te doen dat wederzijdts Gedeputeerden daer ſullen konnen by ſijn om de marche tot de minſte ſchade van d' Onderdaenen te helpen dirigeren en beverderen:*

L I V.

Illud autem examinare lubet quid ſtatui oporteat, ſi princeps alterius defenſor ſit, an tunc quoque cliente inconſulto exercitum per ejus terras ducere poſſit? Diſtinctione hæc res temperanda. Si enim clientes vel inter ſe diſcordes vel vim aut injuriam ab exteris patiantur, omninò adfirmandum id erit, cum & invitis clientibus eos tueri non modò liberale & fructuoſum ſed & humanum ſit uti conlegere datur ex ediſſertatis Magero à Schönberg. *de Advoc. arm. c.* 11. *n.* 387. *& ſeq.* Quod ſi verò proprii commodi cauſâ militem quis ducere velit per fines clientum, his id prius nuntiari oportet, ut cum minimo incolarum damno copiæ tranſeant, utrumque noſtrâ ætate non ſemel contigiſſe novimus.

L V.

Quanquam autem iſta nuntiatio in caſu memorato ſit neceſſaria, nunquam

nunquam tamen defenſor qui vulgò nunc *protector* & vernaculè Schutz vel Schirmherr audit, cautionem, cujus mentionem injecimus *ſect.* 35. præſtare cogendus eſt. Sunt enim defenſores *ejus exiſtimationis vel ejus honeſtatis, ut non debeant hanc contumeliam ſatisdationis ſubire*: ut loquar cum Pomponio in *l.* 17. *§.* 2. *in fi. ff. de teſtam. tut.* Eſt quoque explorati juris regula ſecundum qualitatem perſonæ caveri oportere: *l.* 1. *§.* 3. *ff. de rip. mun.* nec cautionem deſiderari ab honeſto viro, cujus perſona adprobata eſt. Vide ſis Andr. Tiraquell. *tract. de pœn. temp. cauſ.* 51. *n.* 37. *&* 38.

L V I.

Neque cum dictis pugnat quod defenſores cum tutoribus pupillorum conveniant, *arg. §.* 2. *I. de tutel. ibi; appellantur enim tutores quaſi tuitores atque defenſores*: cum ergò hos qualitercunque datos hodiè ſatisdare oporteat, uti videre datur *in pr. Inſt. Iur. noviſſ. de ſatisd. tut.* & de defenſoribus idem adfirmari debere, quod ſimilium eadem ſit ratio. Cravetta *de antiq. temp. p.* 4. *§. tranſeo nunc ad quartam. n.* 98. Cui reponit Martin. Mager. à Schönberg. *d. tract. c.* 9. *n.* 250. id quidem de tutoribus jure expreſſo cautum eſſe non autem de defenſoribus atque ideò illud argumentum vim habere nullam adjectâ hac ratione quod paritas omnis tollatur *datâ inſtantiâ in caſu, in quo inſtantia data eſt*: uti is auctor loquitur, qui & auctores adducit Jaſonem, Everard. Afflict. Vasquium & Seraphinum.

L V I I.

Melius autem probabitur ſi ajamus quod ea quæ ſibi ſimilia non tamen eadem ſint, atque ideò in nonnullis differant propter rationem quæ diverſitatem introducat. *arg. l.* 1. *§.* 3 *junct. l.* 8. *§.* 3. *ff. de precar. junct. l.* 5. *§.* 2. *ff. commod.* Quis autem niſi Cymmeriis immerſus tenebris diſparitatis cauſam non ilicò cernit? Nam defenſor non clientum bona adminiſtrat, tutori autem rerum pupilli adminiſtratio etiam incumbit. *l.* 12. *§.* 3. *ff. de adminiſtr. & peric. tutor.*

L V I I I.

De exercitu qui publicis Imperii auſpiciis contra Turcas aliosve hoſtes ducitur id quoque in diſceptationem venit an Principes Imperii per fines ſuos ei tranſitum concedere teneantur? Divido an dux

iſtius exercitus tempeſtivè id ſignificaverit tranſitumque poſtulaverit, an verò id neglexerit? Priore caſu tranſitus negari nequit neque etiam cautio exigi poteſt, poſteriore verò tamdiu rectè negatur tranſitus donec prius nuntiaverit dux quas copias habeat, ut incolarum & ruſticorum damno conſultum eſſe queat eamque in rem ductores militi tranſeunti addantur. Certiora ſi juris publici cupidi homines deſiderent Argentinam eos ire oportebit nam & hoc inter arcana habet Cl. Boecler. *not. Imper. lib.* 18. *q.* 8. Cum autem via propter milites tranſeuntes non tuta nunc ſit, nemo nobis ſuccenſeat ſi noſtram intereà conjecturam hic deprompſerimus.

L I X.

Hac fiduciâ freti tranſibimus ad alia & indagabimus quid cuſtodiri debeat pro jure ſi alter titulum tantum alicujus provinciæ habeat alter autem cum titulo eam poſſideat? Poſterioris conſenſus tunc neceſſarius erit & ab eo tranſitus poſtulari debet. *arg. l.* 5. *pr. ff. ſi uſufr. pet.* Quapropter non ſereniſſ. principis Neoburgo-Palatini ſed ſereniſſ. principis Auriaci voluntas requirenda ab iis qui exercitum per agrum Moerſanum ducere deſiderant. De jure iſtius territorii cum ſcriptores juris publici ſileant, operæ precium erit hac tempeſtate ea quæ nobis de illo perſpecta ſunt, hic connotare.

L X.

Antiquiſſimis temporibus pars fuit Cliviæ, poſteà *anno æræ Chriſtianæ* 1287. à Theodorico VIII. alicui Theodorico *de Moërſâ* fuit data *in feudum*: & cum nemo ex eâ gente amplius exſtaret, deinde *Nuwenariis*, quod affinitatis neceſſitudine prioribus *vaſallis* conjuncti eſſent, eodem jure conceſſa pacto adjecto ut ſi nemo ex eâ familiâ ſuperſtes eſſet iterum Cliviæ accederet. Poſtremus fuit Adolphus qui Belgis fœderatis ſtipendia meruit & Arenaci in Gelris *anno* 1589. *die* 7. *Octobr.* igne caſu in pulverem pyrium immiſſo periit & uxorem *Walburgin* reliquit heredem quæ & ſanguinis vinculo ei nexa erat. Meteran. *hiſtor. Belg. p.* 1. *lib.* 15.

L X I.

Poſt fatum mariti *Walburgis* neutri parti ſe addictam profeſſa & tàm ab Hiſpano quàm Belgis ejus rei teſtationem nacta eſt, uti idem

Mete-

Meteranus ſcribit *lib.* 20. *in anno* 1598. Mortua fuit hæc *Comes anno* 1600. 26. *Maji* relicto herede Mauritio Principe Auriaco, ſed ubi Cliviæ Princeps Johannes Wilhelmus mortem iſtius fœminæ ſcivit, ilicò poſſeſſionem iſtius ditionis, *Comitatus* titulo inluſtris, arripuit, quod *feudum Clivenſe* id eſſet. Meteran. *lib.* 22. Sed altero anno Rhenobercâ per Mauritium captâ etiam Moerſa ejusque ager in ejus poteſtatem conceſſit atque ab eâ tempeſtate is Princeps ejusque ſucceſſores iſtud territorium poſſederunt.]

L X I I.

Intelligere nunc datur cur interpretes juris publici *Moërſam* ajant eſſe *Comitatum* Imperii quidem *immediatum* non tamen *feudum* ſed *allodium*: uti primus ſcripſit Reinking. *de R. S. & E. lib.* 1. *claſſ.* 4. *c.* 16. *n.* 39. *& d. claſſ.* 4. *c.* 19. *n.* 60. quem ſequuntur Juſt. Sinold. dictus Schutz. *vol.* 1. *de Iure publ. diſp.* 6. *th.* 8. *lit. b.* Hulder. Eyben. JC. erudit. *in Elect. feud. c.* 6. §. 6. idque nobis doctum *in tract. de feud. c.* 7. §. 4. *n.* 2. Quâ de cauſâ etiam albo Imperii adſcriptum cernis in Erhöhete Cammer-gerichts *Marticul* durch Kayſerl. Cammergerichts *General Fiſcal* ubergegeben *in comitiis Ratisbon.* 1654.

L X I I I.

Nemo autem repertus quî explicaverit quâ ratione *Comes Walburgis* de eâ re teſtari potuerit cum tamen & lex & pactum obſtet? Fertur Cliviæ Princeps enſe ſtricto adortus *Walburgin* cumque mortis periculum evaſiſſet, aliis ei rei intercedentibus, ordinem JCtorum in Academiâ Lugduno-Batavâ iſta *Comes* de jure conſuluit, à quo ſecundum ea quæ propoſita fuerunt, reſponſum fuit Cliviæ Principem jure ſuperioris vel *directi* dominii propter *feloniam* cecidiſſe atque ideo plenam in re poteſtatem *Walburgin* accepiſſe. Sed Cliviæ Princeps titulum *Comitis Moërſæ* tamen ſemper retinuit, quanquam hujus ſucceſſor ſereniſſ. & potentiſſ. Elector Brandenb. eo non utatur uti traditum nobis *lib.* 1. *de titul. honor. c.* 20. *n.* 9.

L X I V.

Etiamſi autem antea dixerimus in Imperio per alterius principis terras exercitum duci poſſe, id tamen non aliter intelligi debet quàm ſi metus abſit, aliàs & idoneè caveri oportet, uti præfati

 ſect. 35.

ſect. 35. & egregiè firmatur ex iis quæ ediſſerit Robert. Scharrock. *de offic. ſecund. jus nat. c.* 3. *n.* 10. Cujus rationibus impulſi non dubitamus etiam vicino caveri oportere ab eo qui extero Principi, contra hoſtem ſuum etiam Imperio non ſubditum ſed confinia loca tenentem moventi, tranſitum indulgere vult.

LXV.

Etiamſi enim exercitus non ducatur contra eum qui cautionem deſiderat, tamen juſtè metuit, ne milites vel in agros ſuos excurſiones faciant vel hyberna in iis quærant aut repulſi ſedem belli in illis ponant, ut optimâ ratione cautio deſideretur: *arg. l.* 27. *§.* 8. 10. *&* 11. *ff. ad L. Aquil.* cumque incerta ſit damni infecti æſtimatio non pignore, fidejuſſore aut obſide dato ex ratione adductâ ab Henr. Hahn. *ad Weſenb. ff. qui ſatisd. cog. n.* 4. ſed caſtelli, arcis urbisve munitæ ceſſione eam fieri oportebit. *arg. l.* 25. *ff. de R. I. l.* 13. *ff. ad L. Aquil. l.* 26. *ff. de pœn. l.* 22. *C. eod.*

LXVI.

Si ſatis cautum vicino non ſit & illi damnum datum fuerit, tunc iſte dicam ſcribere poteſt contra eum qui iſtos milites tranſire permiſit atque adeò belli cauſam præbuit. Nam *qui occaſionem damni dat, damnum videtur dediſſe*: ait Gregorius IX. *in c.* 9. *x. de injur.* Joh. Petr. Surdus. *deciſ. Mantuan.* 326. *n.* 23. *&* 24. Erit tamen *ſecus* de *illo dicendum qui ut non accideret nil omiſit* atque exercitum tranſire prohibuit, *d. c.* 9. *de injur. in fi.* vel eum ſiſtere non potuit. Abbas Panormit. *ad d. c.* 9. *n.* 4.

LXVII.

Cum quoque melius ſit intacta jura ſervare quàm poſt vulneratam cauſam remedia quærere uti ait Aug. *in l fi. C. in quib. cauſ. in integr. reſtit. non eſt neceſſ.* etiam vicino Principi largimur poteſtatem tam eum qui tranſire vult quàm alium qui ei id permittit nec idoneè cavere paratus vi armatâ prohibere ne ejusmodi tranſitus fiat, ut *innocens & quieta ruſticas* non turbetur, uti ait Gratian. A. *in l.* 3. *C. de defenſor. civit.*

LXVIII.

Excipiuntur autem Electores quando ad locum in quo eligetur

Cæſar

Cæſar proficiſcuntur, nam tunc ob nullas diſcordias illis tranſitum negare fas eſt: *A. B. Karuli IV. cap. 1. §.* Ob aber ein Churfurſt: Ubi hæc ſanctio adjecta ut Elector qui tranſitum negaverit ſuffragii jure cadat, alius perjurii pœnâ plectatur & omni dignitate atque poſſeſſionibus exuatur.

LXIX

Idem ad acclesiæ Romanæ principes & Pontificum Max. Electores, quos vulgò *Cardinales* dicunt, tranſlatum tuetur Melchior Goldaſt. *tract. vernac.* Von *Confiſcation* der Zäuberer guter. *§. 68. in not.* motus conſtitutione Bonifacii VIII. *c. felicis. 5. de pœn. in 6.* Quanquam hæc ſanctio Papæ latiſſimè pateat & eam pœnam non inroget iis qui tranſitum iſtis negant ſed & generaliter cunctis qui injuriam ipſis intulerint.

LXX.

Licet autem hactenus princeps Elector tranſitum petere haut cogatur ut damno ruſticorum & incolarum infecto proſpiciatur, tamen his per quorum fines iter facturus eſt, adeò tempeſtivè denuntiet ſimulque indicet viam quam tenere vult, ut ductores illi addantur atque omnia urbanitatis & comitatis officia ei exhiberi queant. *Aur. bull. c. 1. §. 16. ibique* Limnæ. *in not. n. 2.*

LXX.

Eſt & caſus quo nec tunc, ſi tranſire volens cavere paratus tranſitum absque maleficio fore, is ei indulgendus eſt. Quid enim ſi Turcæ aut Tartari exercitum ducere velint contra Chriſtiani nominis principem? Nulli dubitamus tranſitum illis negari debere? *arg. Ordin. Cam. Spir. p. 2. tit. 20. §.* weiter. Nam proxima quæque victoria inſtrumentum eſt alterius & uno devicto facilis ad alios via donec cunctos debellaverit. *arg. l. 49. §. 1. ff. ad L. Aquil.* Summa quoque eſt ratio quæ pro religione facit. *l. 43. in fi. ff. de religioſ. & ſumpt. fun.* Quà de cauſà rectè Turcis contra Sarmatas bellum gerere volentibus, paucas ante dies tranſitum per Pannones negavit Cæſar.

LXXII.

Cæſaris jus majus eſt omnibus, nam ſi per Imperii provincias

ſtipatus

ſtipatus ſuo ſatellitio eat ab earum principibus non cogitur tranſitum petere, quam in rem notiſſima eſt paræmia; Kayſerliche Majeſtät bringt das gleit mit ſich: Quod non cum Strauchio viro cætera eruditiſſimo *d. exerc.* §. 3. eò referendum, quod ſibi dominium & ſupereminens imperium in ſingulorum Ordinum Imperii territoriis ſervaverit, hac enim ratione efficeret milites & exercitus Cæſaris etiam non conſultis & invitis ordinibus per eorum fines tranſire poſſe: cum tamen major ab illis culpâ Ducum ſœpè incuſſus terror & ipſe Aug. aliud probet, ut potius id eo pertineat quod comiter adeò obſervent Imperatorem ut nefas eſſe putent ab ejus perſonâ quidquam poſcere quod arguat vel mali alicujus ſuſpicionem, maximè cum hactenus ex gente Auſtriâ fuerint Cæſares quos alienos à dolo noverunt & ex quâ nullus, uti fama non obſcura fert, prodiit tyrannus, cuique originem debet Leopoldus A. nunc regnans quem Deus Ter Opt. Max. diu incolumem Imperio ſervet

F E L I C I T E R.

DISCEPTATIO ACADEMICA

De

Vehiculis ſibi obviis.

SECTIO I.

ALtera ab interpretibus ad *l. per agrum*. 11. *C. de ſervitut.* inſtituitur diſputatio de vehiculis ſibi occurrentibus utrum alteri cedere aut retroire oporteat? De quo uſurpare poſſis iſtud Pauli; *quæ ad hæc ſpectant attingas, quotidiana enim ſunt*: *l.* 25. *pr. ff. de liber. lib.* Cum enim ubi via eſt anguſtior, aurigæ propter diſtortum iter alii alios non animadvertentes, tranſitu ſœpè impediantur, vehentiſſimæ inde altercationes & jurgia usque ad vulnera & cædem aliquando oriuntur, dum ſe injurioſis atque probroſis compellationibus nec non conviciis proſcindunt neuterque obviantium currum retrò vult ducere, uti ſcriptum reliquit Ren. Choppin. *lib.* 1. *ad LL. Andium c.* 60. *n.* 1. ex quo idem tradunt Nicol. van der Hooch. *ſing. jur.* 21. Simon. à Leeuwen. *cenſ. for. lib.* 2. *c.* 14. *n.* 36. *& lib.* 5. *c.* 31. *n.* 10. Speidel. *in ſpecul. Iurid. Hiſtor. Polit. lit. F. n.* 109. Ahaſuer. Fritſchius *tract. de Viis publ. c.* 1. *n.* 17.

II.

Primus autem inter juris civilis interpretes fuit Accurſius qui hanc diſputationem inſtituit *in l.* 2. §. 1. *ff. Ne quid in loco publ.* & poſt eum ad ſuam quoque curam traxerunt Bartol. *ad d. l.* 2. *n.* 1. Petrus & Cynus *ad d. l.* 11. Baldus *ad eandem noſtr. l.* 11. *C. de ſervitut. n.* 2. Salicet. *ibid. n.* 2. quos non tantum illi qui *ſect.* 1. memorati, ſed & alii æmulati ſunt veluti Dionyſ. Pontanus *ad conſuet. Bleſenſ. tit.* 13. §. 17. Tiraquell. *de jure primigen. q.* 17. *opin.* 1. *n.* 21. *& opin.* 2. *n.* 4. *atque opin.* 3. *n.* 5. Ant. de Padilla *ad d. l.* 11. *n.* 24. Georg. Schultz. *ad tit. I. de ſervitut. lit. C.*

III.

Sed jam ante eam tempeſtatem quâ cuncti iſti vixerunt, urbis Cliviæ legibus hac de re cautum fuit *tit.* 180. cujus ἐπιγραφὴ eſt *de aurigis*: atque vernaculè ſic habet; in §. 1. De ydel wagen ſal ruymen den gelaedenen/ und die min gelaedene den ſwaer gelaedenen / und die gaende den rydende. Wer ſijn ſy aen eenen engen wegh of einre brug-gen/ of jaegtmen einen rydenden of toe voete / ſo ſal die wagen ſtill ſtaen / dat voorkommen moegen. & §. 2. So wulck wagen erſt op die brugge of in der porten komet / die ſal eerſt over und vorfahren ſy ſie ydel of gelaeden/ und kommen die wagen t'ſaemen op einre opene ſtraten und beyde ydel of gelaeden weren/ ſo ſal die ein den anderen uitegen of ſy moegen darumb lotten und lot werpen:

IV.

Depromptum id eſſe ex Saxonum jure nemo non videt qui videt id quod in iſtius gentis Landrecht *lib.* 2. *art.* 39. exſtat, cujus verba brevitati hujus opuſculi inſerere inconſultum videtur, quod non tantum ea exhibuerit Schultzius, ſed & ex hoc; omiſſo tamen ejus nomine, verbo tenus deſcripſerit Speidelius *d. tract. lit. S. n.* 246. atque ex eo iterum Fritſchius *d. c.* 1. *n.* 17. ajunt quoque cuncti aurigas in terris Saxonicis id obſervare. Zobel. *p.* 2. *diff.* 46. *n.* 1.

V.

Adparet autem ex verbis legum municipalium memoratis plenius huic rei per illas proſpectum eſſe quàm ut conlegi poſſit ex juris Romani profeſſoribus, nam hi tantum de eo caſu ſolliciti, quo anguſta adeò eſt via, ut unum vehiculum retroduci neceſſe ſit: de quâ re quid locis adductis ſentiant, operæ precium erit indagare. Accurſius ait; *quia tantum jus habet unus* in viâ publicâ *quantum alter*, hoc *caſu vel gratificationi locus*, arg. l. ult. ff. de religioſ. *vel ſorti*: arg. l. 13. & 14 ff. de judic. *niſi fortè alter potuerit prævidere, alter non.* arg. l. 9. §. 1. verſ. idem quærit. ff. locati. *facit* l. 11. C. de ſervit.

VI.

Poſterius à Bartolo ſic declaratur; *ſi unus poterit ſibi prævidere ne poneret ſe in illam neceſſitatem, cum videret alium occupaſſe, tunc ille debet retroda-*

retroducere; Petrus, Cynus, Baldus & Salicetus duobus ab Accurſio propoſitis modis hunc tertium adjiciunt, quod occupantis rem publicam melior debeat eſſe conditio: *arg. l. 2 §. 2. ff. ne quid in loco publ.* idque ſolum ſentit Angelus *ad l. fluminum. pr. ff. de damn. infecto.* quem memorat & ſequitur Pomates *ad Bartol. ad d. l. 2. lit. b.* & alio inluſtratur exemplo ab ipſo Bartolo *ad d. l. 2. & in repetit. ad l. 2. ff. de flumin. n. 2.* ubi docet quod ſi aquam occupavi ad uſum molæ meæ ad flumen ſitæ, per alium impediri jure non poſſim.

V I I.

Hanc rationem litis iſtius pacandæ nec Tiraquellus ſpernit & Choppinus ait quod *juris rigor praeoccupanti publicæ rei uſum magis impertit*: pergit dicere; *qui etiam cuſtoditur in conventionibus noſtris ſolemnibus queis ad illuſtrationes, vulgò* proceſſions, *itur. Si enim obviæ tunc fiant duæ parœciæ, uti ferè fit, ei qui anterior viam inierit, tantiſper relinquenda*: idque in libros ſuos etiam tranſcripſerunt Nicol. ab Alto & Speidelius, ſed ante illos omnes idem doctum nobis à Baldo *ad h. l. 11. n. 2.* ubi inquit; *per hoc dico, quod quandò ſocietates artium vadunt ad altare ſanctæ Mariæ ad ſanctum Sirum de Papiâ, quod niſi ſit alius ordo, quod longè melior eſt conditio occupantis.*

V I I I.

Baldus tamen ilicò ſubnectit; *hoc intellige niſi ratione dignitatis teneatur alii cedere quod eſt notabile & ſemper menti tenendum*: quam reſtrictionem etiam ratione iſtarum ſupplicationum invenire datur apud Choppinum, Van der Hooch & Speidelium eamque in re nobis propoſitâ traditam reperias à Tiraquello. *d. l. opin. 1. n. 21.* Adjicit & illud Choppinus de ſupplicationibus diſſerens; *niſi vetuſtas aliud probet*: quod bonâ ratione conſtat, nam *vetuſtatem vicem legis tenere*: dixit Ulpianus *in l. 1. §. 23. ff. de aq. & aq pluv. arc.*

I X.

Ex quo diſcimus quod ſi ſemper unâ viâ iverint illi qui ad urbem pergunt, aliam verò teneant qui eâ diſceſſerunt & contigerit ut quis non eam ſervaverit quâ vehere eum ex conſuetudine oportebat & ita obvium habuerit vehiculum quod rectum iter pergebat, tunc ei cedere & ſuum currum retrò agere debet, *arg. d. l. §. ult. de*

aq. & aq. pluv. Uſu id quoque ſervari ſœpiſſimè vidi. Eſt propè Clivos ſaltus quem civitas iſta jam ab anno Chriſti MCCCLXX. beneficio Comitis Adolphi inter bona ſua numerat, in quo via regia eſt diviſa, ſuperiore agunt vehiculum qui ad urbem tendunt, qui verò inde profecti Cranenburgum aut Neomagum petunt inferiorem illi ſequi debent: & ſi id quis non fecerit ſed aliâ duxerit vehiculum obvio & conſuetam viam tenenti cedere cogitur.

X.

Contra hunc enim allegari poteſt iſta ratio Bartoli, quod ſibi imputare debeat, cur ſe huic neceſſitati ſubdiderit: nec enim ipſa neceſſitas ſed ejus cauſa ſpectari debet. *arg. l. 7. pr. in fi. ff. de exercit. act.* Tib. Decian. 4. *reſponſ.* 44. *n.* 121. Cauſa autem ejusmodi neceſſitatis eſt culpa, quippe cum id non faciat quod alii homines faciunt, *arg. l.* 213. *§.* 2. *ff. de V. S. l.* 9. *§.* 2. *ff. de j. & f. ign.* Si ergò incommodum inde ſentit, id ſentire non videtur. *l.* 203. *ff. de R. I.*

X I.

Iſtam autem neceſſitatem non ita interpretabimur ac ſi is, qui cedere debet alteri, obſtrictus ſit ſuum vehiculum totâ viâ retrò agere, ſed ſatis eſt ſi in aggere ſolvat equos curru eumque dimittat & in loco ſpacioſo qui orbitam continet profundam, eò usque illum retrò ducat, ut alter commodè poſſit tranſire, nam ſi ceſſet cauſa neceſſitatis, etiam illa haut amplius obſervantur, quæ propter eam introducta ſunt. *c. quod pro remedio.* 1. *q.* 7. *arg. c.* 27. *de conſecrat. diſt.* 5.

X I I.

Sequitur nunc videre de caſu quo via non eſt diviſa vel ex conſuetudine ei modus haut eſt poſitus. Si alter prævidit alterum, exſpectare debuiſſet donec hic fauces emenſus eſſet, aliàs huic cedere cogitur ex ratione Bartoli quam quoque probat Tiraquell. *d. opin.* 1. *n.* 21. Neque autem ſolum viſum deſideramus ſed & auditus ſufficit. Quid enim ſi tintinnabulis inſtructi equi, qui mos Anglis eſt etiamque Montanis, Haſſis, aliis: vel axis orbes ex ferro contineat uti in Batavorum inſulâ fit, & tu ex ſono percipere queas me jàm occupaſſe fauces aut aggerem, ſiſtere gradum debes ſi tu needum

iſtas

iſtas anguſtias ingreſſus ſis donec ego tranſierim; a'iàs culpâ non cares & mihi cedere cogeris. *arg. l. 9. §. 1. vers. idem quærit. ff. locati. ibi; proſpicere debuit*: Viſum autem largiſſimè interpretamur pro omni ſenſu: uti multis adductis interpretibus docet Proſp. Farinac. *de teſtib. q. 69. n. 151.*

XIII.

Nec tantum id requirimus ut ſenſu corporis id percipi potuerit ſed & ſi mente illud conlegere atque haut difficulter divinare potuerit culpæ reus eſt. *arg. l. 31. ff. ad L. Aquil. l. 11. pr. ff. eod.* Si ergò ex hinnitu equi tui conlegere poſſis in valle aut faucibus alios equos & currus tibi occurſuros in ingreſſu iſtarum faucium vel primo loco idoneo exſpectare alios te oportet. Conſtat enim ex Ariſtotele *problem. ſect. 7.* olfactum in brutis eſſe perſpicaciorem, hinc fit cur *olfacere* de equo Alfenus uſurpaverit pro nuptoverbo: *l. fi. ff. Si quadrup. paup. fec. dicat.* Illud etiam frequenter contingit ut ad olfactum aliorum equorum hinnire incipiant equi, quare ſi juxta viam nullos videas paſcentes, currum tuum ſiſtas donec videris quid hæreat in illis anguſtiis. Licet enim aliquandò hinnitum edant equi ex cauſâ aliâ, frequentius tamen id fit, ſi adpropinquent ad generis ſui animalia & præſertim ad equas, quapropter ad id ſenſus noſtros extendere jubemur. *arg. l. 3. ff. ſi pars hered. pet.* Obſervari hæc ſœpius vidi inter aurigas, qui & ſi propter anfractus videre nequeant ſibi obvios, ſonum flagello edunt ad quem alter idem facit idque ſi negligat retrò ducere carrucam alterique cedere cogitur. *arg. l. 213. §. 2. ff. de V. S.*

XIV.

Quod ſi neuter alterum percipere potuit tunc dividi oportet an pares an verò alter dignior ſit. Si diſparis conditionis ſint majori cedendum uti ex Baldo, Tiraquello, Choppino, Nicol. ab Alto & Speidelio in locis ſœpè memoratis erudimur & optimâ ratione fultum, nam *celſioribus viris honorificentiam debitam eſſe præſtandam*: edicto ſanxerunt Valent. Theod. & Arcad. *in l. 2. C. de offic. divers. judic.* Digniorem autem non hic accipimus eum qui ditior altero eſt; nam opes extra hominem ſunt, uti eleganter ait Seneca *de vita beatâ. c. 25.* ſed qui in majore ordine conſtitutus. *arg. l. 1. & t. t. C. Ut dignit. ordo ſervet.*

X V.

Priore caſu ſi æquales & pari conditione ſint homines, gratificationi locum faciunt Accurſius, Petrus, Cynus, Baldus, Salicetus & Tiraqvellus, uti ex ediſſertatis liquet, nemo autem explicat an id intelligendum de gratificatione, quâ quis ſibi obvio ex humanitatis officio cedit ultrò, an autem de gratificatione judicis capiendum ſit? Unus Padilla *ad h. l. 11. n. 21.* eorum interpres eſt atque hanc litem ad judicis favorem rejicit. Aſt cum *caſus pro amico* vulgò ſic dictus, ſit *caſus pro diabolo*: Treutler. 1. *diſp.* 1. *th.* 1. *lit. b.* id ſtatuere nefas videtur. Contra quod licet diſputet Bachovius, tamen vel ipſo Gellio, cujus auctoritate is utitur, judice vincam. Non enim in noſtro argumento de vitâ aut famâ amici agitur, ut hic propter utilitatem amici de viâ altercantis à viâ juſtitiæ declinandum non ſit, ſed valere debeat Gellii judicium *lib.* 1. *Noct. Attic. c.* 3. ajentis; *Nam quum in r bus aut paribus, aut non longè ſecus, utilitas amici & honeſtas noſtra conſiſtit, honeſtas proculdubio præponderat:*

X V I.

Honeſtas autem id à judice poſcit ut nil favori aut gratiæ tribuat. *l. 26. §. 4. ff. ex quib. caus. major. l. 79. §. 1. ff. de judic. l. 1. §. 2. ff. de magiſtrat. conven. l. 50. §. 1. ff. de legat.* 1. Quid ergò facto opus? Qui in viâ ſibi obvii, vel ſimiliter onerati vel diſpariter. Si par onus vehant ſorti rem committere debent, cum utriusque par ſit cauſa, uti ſcribunt auctores ſæpè memorati & inter eos præcipuè pręſtabilis homo ſapientiæ Tiraquellus: expreſſumque Saxonum Cliviorumque legibus, quare ſi alter id facere noluit ſed feſtinans aut inhumanus alterius vehiculum everterit & damnum dederit, injuriâ id datum dicetur. *arg. l. 7. §. 2. ff. ad L. Aquil.*

X V I I.

Non tamen incertum ſortis eventum ſubire quis tenetur invitus ſi majus onus vehat. Quod ſi enim metuat ne ſi contra ipſum cadat alea, deflectendo à via anguſtâ, præcipitet currum è monte aut aggere, quod plus juſto oneratus ſit, tunc ſanè ſi alter alteri cedere nequeat, cum retroducere vehiculum oportet qui minus oneratus eſt, idque uſu ubique gentium receptum eſſe Pontanus, Choppinus, Van der Hooch, Speidelius, Fritſchius & Leeuwen loco ſuperiore citati teſtes ſunt. 18. Re-

XVIII.

Repertus autem fuit, qui ut alia multa gravioribus tamen quàm res exigebat verbis ita & hoc in poſtremo laudato auctore notavit; *Noviſſimè*, inquit, *falſum eſt ei ex conſuetudine parcendum, qui maximè oneratus eſt. Neque cedimus curribus fragibus aut fœno oneratis propter onus illis impoſitum, ſed propter periculum caſus quod illis immineret, ſi ab inſtitutâ jam ſemitâ deflectere cogerentur*: Sed ſive ratione oneris id fiat ſive ex metu caſus quem iſtud cauſatur, illud exploratum eſt onus eſſe cauſam ſaltem remotiorem ut meritò apud Saxones & Clivios legibus cautum plus onerato minus oneratum cedere debere uti ex earum capitibus *ſect.* 3. enarratis conſtat.

XIX.

Leges iſtæ licet loco claudantur, non tamen earundemque æquitas & ratio ipſa clauditur quæ ubique viget uti in re ſimili ſermo eſt. Ant. Heringius *tract. de fidejuſſor. c.* 20. §. 12. *n.* 27. Quâ de cauſâ apud aliàs gentes *humanitatis intuitu* idem obſervari debet uti ait Choppin. *d. c.* 60. *n.* 1. vel *diſcretionis ratione* id admittendum, veluti loquuntur Van der Hooch & Leeuwen *d. c.* 31. *n.* 10. Nam *hæc æquitas ſuggerit etſi jure* hic vel in aliis locis *deficiamur*: ut cum Paulo dicam *in l.* 2. §. 5. *in fi. ff. de aq. pluv. arc.*

XX.

Fretus hoc firmamento nullus debito etiam plus onerato cedi oportere etiamſi ei minima pars itineris abſolvenda reſtaret. Nam memoratæ leges non niſi majus onus ſpectant & quoque huic ſententiæ ſuffragatur ratio à periculo caſus deſumpta. *Humanitas* quoque non tantum *verbis* ſed & *rebus*, *affectibus comem ſe facilemque omnibus praſtat: nullum alienum malum putat, bonum autem ſuum id maximè, quod alicui bono futurum eſt, amat*: Seneca *epiſt.* 88.

XXI.

Humanitas contrà id etiam poſtulat ab eo cujus gratiâ alius è viâ deceſſit in foveam aliave loca profundiora retrorſum agendo currum, ut hunc deinde iterum juvet vehiculum ducere in orbitam. Licet enim poſſit pergere iter ſuum, cum jure ſuo uſus ſit, tamen laudandus eſt magis ſi cum id facere poſſet id tamen non fecit. *arg.*

l. 1.

l. 1. *§.* 3. *ff. de peric. & commod. rei vend.* Quanquam enim feſtinet non eſt mora longa eam ad rem neceſſaria, atque ideò non attenditur. *arg. l.* 21. *ff. de judic.* Wilh. Antonii à Freudenberg. *de reſcript. morat. concl.* 6. *n.* 15.

XXII.

Perdit tamen id officium in celeriter diſpoſitis curribus, quos *poſt-wagens* vernaculè dicimus, cum enim illi ad conſtitutum adeſſe debeant in eo loco quò deſtinarunt, in exigui temporis morâ periculum eſt. *arg. l.* 5. *C. de curſu publ.* Quam ob rem conſuetudo proſpexit iter facientibus & mercatoribus quorum res ejusmodi curribus vehuntur: Perez. *ad d. tit. C. n.* 19. ut hi nullis & cuncti ipſis cedere debeant neque tunc inſpicitur an alter plus oneratus, etiamſi enim is inde incommodum ſentiat boni publici tamen major habenda ratio. *l.* 19. *C. d. t. arg. l.* 3. *C. de primipilo. l.* 9. *§.* 5 *ff de publican.* Nec id cum humanitate pugnat, cum hæc non aliter vim ſuam extentendat quàm *ſi ſine detrimento ſuo poteſt, alteri communicet in iis, quæ ſunt accipienti utilia, danti non moleſta*: uti diſputat Cicero *de Offic. lib.* 1. & plenius planiusque Rob. Scharrock *de offic. ſecund. jus nat. c.* 9. *n.* 1.

XXII.

Inter pares aliàs veluti aurigas privatosque alios homines is veſtigia currentis vehiculi ſervat qui à quo pabulo refecit equos, longius iter fecit eique cedere obligatus eſt ille qui novè paſtum equis præbuiſſet, quod iſtius equi laſſati hujus autem virium recentium ſint. Non enim ſemper ſpectari oportet ad partem itineris quæ reſtat, cum & lento pede potuerit progredi qui longius iter abſolverit & contrà cito is, cui maxima pars reſtat atque ita evenerit ut vires equorum ad hunc pertinentium magis fractæ ſint.

XXIV.

Uſu iſta comprobari facile cuivis obſervitare; quæ enim cauſa eſt cur is qui ex urbe aut pago venit orbitam deſerit ceditque ei qui ad ejusmodi locum tendit? Non alia, quàm quod præſumatur pabulo refeciſſe equos aut hos virium eſſe recentium, alterius verò jumenta eſſe defatigata. Si dixeris primum potuiſſe tranſire urbem aut pagum, reſponſum dabo quod alter divinare non poſſit, quod prior negle-

neglexerit paſcere ſuos equos: *arg. l. 31. ff. ad L. Aquil.* qui ſi & incommodum inde ſentiat culpâ ſuâ id ſentit ideoque ſentire illud non videtur. *arg. l. 203. ff. de R. I.*

XXV.

Sed nec tunc cedere compellendus es ei, qui majorem itineris partem abſolviſſet, ſi carro is, tu vero curru eo vectes qui quatuor rotis inſtructus ſit, uti quoque tradit is qui notavit Cl. Leeuwen. Cujus rei ratio hæc eſt, quod carrus habeat duas tantum rotas, cum quibus facilius & absque minore periculo è vehâ aut orbitâ deflectere meliusque ad eam redire & commodè quoque retrò agere eum alter poteſt. Nam & ſi paria ſint vehicula & quoque cætera cuncta, id inſpicitur quis magis commodè cedere poſſit.

XXVI.

Quanquàm aliàs inter carrucarios aut aurigas paria vehicula æqualiterque onerata ducentes & ſibi notos itineris magnitudo ſpectetur, idque præcipuè uſu venit in iis qui ab unâ urbe ad aliam vehunt & quibus nec ultrà progredi conceſſum, uti in Belgio Galliis, Britanniâ nec non in ſuperiore Germaniâ conſtitutum in illis qui plauſtra agunt quibus viatores vehuntur, tunc enim is qui proximior loco ad quem alter vadit, huic cedere adſtringitur, quod ipſius equis vires integræ magis, alterius verò fractæ ſint. *arg. l. 185. ff. de R. I.* Niſi tamen iſte per illud impedimentum intrare urbem non poſſet & contrà alter iret ad locum qui aut portas non haberet vel in quo eæ non clauderentur. Semper enim ei favendum qui ex morâ maximum incommodum ſentiret ſi culpâ vacet.

XXVII.

In vehiculis quæ mercibus aliisve rebus onerata idem obſervatur, ſi modò onus non nimis diſpar ſit. Quandò enim Covordiâ diſcedunt aurigarii paucioribus rebus oneratos habent currus, contrà hic bunâ, corio mercibusve aliis valdè eos onerant, quapropter ſi his qui Groningâ profecti etiam propè urbem alii fiant obvii hi illis qui hinc abierunt, cedere debent, fortior enim eſt ratio abmonere quàm ab itinere deprompta. Nam licet paulò magis equi prioris laſſati evadant ſi extra orbitam eant, alter tamen majori periculo

ſubji-

ſubjicitur propter caſum qui inde contingere poteſt, quo & equi perire & res corrumpi aut frangi queunt.

XXVIII.

Cætera ſi paria ergò & ei orbita linquenda vel ſi anguſta ſit via, ipſi cedi debet, qui vehiculum vitreis, ollis fictilibus, columnis & ſimilibus rebus oneratum ducit. *arg. l.* 25. §. 7. *ff. locati.* Idem ſervandum ſi alter res alter homines vehat, tunc enim huic cedi oportet ſi prior non plus oneratus, quia homo præſtantior rebus quibuscunque. *l.* 21. *C. de SS. eccleſ.* Et cum majus periculum ſit ſi evertatur currus quo vehuntur infantes etiamque mulieres cùm uterum gerere poſſint, quam adulti & mares ideo cedi debet illi vehiculo in quo infantes & fœminæ ſunt, licet illi oneri non imputentur & pro illis merces aliàs non ſolvatur uti ait Ulpianus *in l.* 19. §. 7. *ff. locati.* Quo jurè & utimur, ſi gremio contineantur infantes, aliàs ratione vecturæ paciſci oportet, nauli verò dimidium pro ipſis ſolvitur donec puberes facti ſint.

XXIX.

His dictis conſequens eſt aliquandò ſolum peticulum caſus attendi: cumque id nunquam abſit in illis qui valdè onerati ideò ſemper eis ceditur etiamſi portas tantum egreſſi fuerint, uti videre eſt apud Veſtoſalos qui vehiculis ſtercore oneratis orbitam linquunt vel ubi veha eſt anguſta iis etiam ciſio cedunt. In aliis trabe tignisve aliis, lapidibus, ferro, vino vel cereviſiâ valde oneratis idem obſervare rationis paritas cogit. Hujus rei fortiſſimum eſt argumentum idem cuſtodiri oportere in iis quæ frugibus aut fæno onerata ſunt. Sed his currum ſtercore aut fimo oneratum debere cedere ob periculum caſus nullus ambigo.

XXX.

Magnitudo itineris autem non attenditur ſi illi ſibi obvii, qui haut eundem locum frequentant. Nam ſi carrucæ ex Haſſiâ in has terras veniant & occurrant aurigis Zwollanis inter *Hardenbergam* & Zwollam, hi ſi cætera paria ſint iſtis cedere non coguntur. Quam obrem tunc ſpectari debet uter recentior à ſtabulo digreſſus ſit? Si Catti cauſentur equorum ſuorum vires fractas allegabitur illis Bartoli ratio, quod ſibi inſcribere debeant, cur ſe iſti neceſſitati expoſuerint,

ſuerint, redire enim domum potuiſſent & indigenis tradere res ulterius vehendas, quod cum non fecerint æquali jure ipſorum equos cum incolarum equis habendos ipſi voluiſſe videntur. Inluſtrari & id poteſt alio exemplo. Arenaci & Neomagi in Gelris ſive res ſive homines Coloniam Agrippinenſem vehendos quotidiè conducunt aurigæ. Quid ſi his Noveſio egreſſis haut procul ab iſtâ urbe occurrat carruca pariter onerata & quæ ad Ubium, Julium, Clivium alteriusve gentis hominem ſpectet, quæ Duromago veniat? Non id attendemus quod Arenacenſis majorem itineris partem abſolverit, ſed quod fecerit alter longius iter eâ die poſtquam refectus pabulo fuit. Vitiantur hæc ſi ex conſuetudine vigilanti alterumque prius monenti ut cedat aut gradum ſiſtat, jus ſcriptum, quod inter carrucarios Veſtofalos & Montanos fila è ferrò facta, clavos aliasque merces vectantes ſervatur. *arg. l. 24. ff. quæ in fraud. cred. junct. l. 32. §. 1. ff. de legib.*

XXXI.

Si veſtiges vehiculi ante te decurrentis veſtigia nullo jure id cogere potes ut è orbitâ divertat, cum ire viâ publicâ nemo prohibeatur. *h. noſtr. l. 11. C. de ſervit. & aq.* Ipſe ergò id facere debes, ſi feſtines, cum in uſu rei publicæ is præferendus ſit qui eam prior occupavit ex ratione Choppini aliorumque auctorum loco ſuperiore adductorum. Neque jus meum tollitur propter tuum incommodum, prior enim veniſſes atque ſic id declinaſſes, cum ergò ego prior tempore ſim etiam potior jure eſſe debeo, *arg. l. 1. ff. de albo ſcrib.* uti generaliter finit Gloſſa *ad rubr. x. de major. & obed.* & noſtrates hac parœmiâ confirmant *die eerſt komt, eerſt maelt*: ideſt; *qui prior ad molam venit ejus frumentum prius molitur*: Ejusmodi proverbia etiam à ruſticis prolata allegare quis vetet? *l. 79. §. 1. ff. de legat. 3.*

XXXII.

Diſtinctionem tamen id recipit eo caſu quo poſterior priorem propter anguſtam viam tranſire haut liberè poſſet, nam tunc prior paululum deflectere è orbitâ debet ut alteri locum faciat, qui ex morâ incommodum perciperet. Deinde id fallit in celeriter diſpoſitis curribus, nam cum ſemper & à cunctis illis cedatur uti repræſentavi *ſect. 23.* ita & in hoc caſu ſi veha ſit profundior, uti in vaſtis

 Ten-

Digitized by Google

Tenćterorum campis accidit, compelli poteſt is qui prior viam ingreſſus eſt, è orbitâ deflectere ex ratione è loco adductâ. Idem cuſtodiri debet ſi commeatum aut annonam ad exercitum aut aulam Principis vehant aurigæ, his enim ſive obvia habeant alia vehicula ſive hæc præcedant, ubi via anguſta eſt cedere aut excedere orbitâ debent privati. *arg. l.* 2. *C. de curſu publ. l.* 22. *l.* 23. *C. eod. Capitul. Karol. & Ludov. Impp. lib.* 5. *c.* 130. Publica enim utilitas & neceſſitas ſemper excepta videtur cunctiſque privilegiis derogat. *arg. auth. res quæ. C. Comm. de legat.* Caſp. Klock *de Contribut* *c.* 12. *n.* 213 Propter quam tunc quiſque ad munus vehendi cogi poteſt. Chriſtinæ. 5. *deciſ. Belg.* 158. *n.* 15. Anſelmo. *Cod. Belg. lit. W. verb. Waegbe-lieden. §.* 6. Moribus id gentes etiam in navibus ad exteros pertinentibus ſervant, nam noſtrâ memoriâ etiam Turcas Batavorum naves ad id coegiſſe conſtat.

XXXIII.

Quoties autem nulla ejuſmodi neceſſitas aut publica utilitas adeſt ad onus & periculum reſpicimus & quemadmodum hoc ſolum aliquandò ſufficit uti conlegas ex dictis *ſect.* 29. ſic quoque onus abſque periculo nonnunquam efficit ne obvio cedat, quod accidit cum hyberno tempore, quandò nive tecta eſt terra, trabes & arbores ingentes trahuntur ut humo non attollantur. Major ratio docet idem cuſtodiri debere in tormentis bellicis, quæ & reperias tanti ponderis ut quadraginta & amplius equis ſegniter incedentibus ducantur. Cum majus periculum tamen adhuc ſit metuendum in iſtis equis quæ adverſo flumine naves oneratas trahunt, his ſi in ripâ Rheni aut Vahalis occurſitent carrucæ aut rhedæ, cedere tunc has illis neceſſe eſt, ne ſi dum divertunt equi, greſſu vacillent atque mole oneris ruant præcipites in aquas.

XXXIV.

Et quidem ejuſmodi equis nauticis, tormentis aut arboribus non tantum via recta linquenda aut aperienda ubi ſpacioſa eſt, ſed ſi adeò anguſta ſit tunc currus illis obvius retrò duci debet donec tranſierint, in aliis autem quid obſervari debeat loco ſuperiore declaravimus, quæ tamen ex Saxonum Cliviorumque jure ſic temperanda, ut ſi cætera paria antequam ſorti rem committant, videant an

non

Digitized by Google

non alter alteri paululùm cedere queat ut tranſire aptè poſſint. Cum enim jura utriusque æqualia ſint, ratio naturalis dictat alterum alteri cedere oportere.

XXXV.

Cætera paria autem tunc non ſunt ſi alter eorum dignior ſit, quemadmodum præfatus fui *ſect.* 15. Quod ex equis apud Brabantos aliquand cognoſcimus, nam apud eos nemo qui equeſtris ordinis homo non eſt concolores equos ciſio jungere audet, quod paucos annos edicto ab iſtius gentis Principe promulgatum obſervavimus. Si ergò is qui diſcolores equos vehiculo junctos habet occurrat ei qui concoloribus vectatur huic cedere debet. *arg. l.* 2. *C. de divers. offic.*

XXXVI.

Inter Legatos diverſorum Regum & Principum ſibi cum ciſſis occurſitantium eâ de re ſœpè altercationes oriuntur usque adeò ut comites atque ſatellites ad vulnera & cædes inter ſe committantur, uti non ſemel contigiſſe vidimus. Hac in re dividi oportet an alter alteri prooedriam concedat nec ne? Priore caſu is alteri cedere debet qui alteri prærogativam in eundo largitur, *arg. l.* 12. *ff. de S. R. P.* poſteriore verò cum alteri nolit gratificari nec ſortis eventum exſpectare, advertendum erit an in plateâ ſint an verò in loco alio ſpacioſo ſed tamen repagulis diſtincto? Si ſint in plateâ alter alteri adcommodet tranſitum hac ratione ut ſimul equos ciſiaque & quidem eodem ſpacio è medio viæ agant, ſi autem repagula impedimento ſint ea potius tollantur, quod Hagæ-Comitum aliquandò factum memini Galliarum & Hiſpaniarum Legatis ſibi occurrentibus. Bonum factum! *Cur enim ad arma & rixam procedere quis patiatur eos quos* tantillæ rei jacturâ *componere poteſt*: uti *inquit Iulianus* apud Ulpianum in *l.* 13. §. 3 *ff. de uſufr.*

XXXVII.

Dignior quis ſit id porrò ex genere vehiculi conlegitur atque hinc evenit ut cæteri currus, ſi publicos excipias uti dixi anteâ *ſect.* 23. & 33. ciſiis cedant & inter ipſa vehicula hic ſervetur ordo ut ornatiori & camerato cedatur etiamque tegete caſſa deflectant è or-

Digitized by Google

bitâ eamque linquant iis quæ eâ operta ſunt. Quanquam hujus poſtremi inſtituti & hanc operam reddere poſſimus, quod ea quæ tecta ſint magis ponderoſa & facilius evertantur nec ergò tàm facilis cum iis ex orbitâ ſit digreſſio. Propter quàm cauſam & carruca aut birota tympano inſtructa cedere debet currui cum quatuor rotis etiamſi nil niſi ſpondas habeat.

XXXVIII.

Quandò autem de perſonâ conſtat tunc vehiculo cedi oportet etiamſi id vilius ſit. Cum videamus aliquando principes viros & in ſummis dignitatibus poſitos carrucis tympano tantum ex lino facto opertis aut curribus ſcalis inſtructis iter per Veſtofaliam & reliquam inferiorem Germaniam facere, quod aliud genus vehiculi elegantioris conducere ibi multis in locis præſertim in agro Monaſterienſi & Bentheimenſi non detur, aut quod commodas magis ſibi putent eſſe carrucas, quare id in eorum odium non retorquebis. *arg. l. 6. C. de legib.*

XXXIX.

In re dubiâ ex veſtibus vectorum etiam dignitas major & perſonarum conditio præſumitur, quippe cum talis quis exiſtimetur, qualem eum indicant veſtes. *arg. l. 15. §. 15. ff. de injur.* Menoch. 3. *præſumt. 64. n.* 4. Et cum externus ille corporis cultus ſuſpiciendum oſtendat hominem, prudenter facit, qui pro ordinis ſui conditione veſtitus in publicum procedit. Lucian. *in apol. pro mercede conductis.* Quod & Phædria ſenſiſſe videtur apud Terentium, *Eunucho act. 4. ſc. 4.* cum Pythiæ dicenti;

----- ----- ille erat
Honeſtâ facie & liberali:

reſpondit

----- ----- --- Ita viſus eſt
Dudum, quiâ variâ veſte exornatus fuit:
Nunc eo tibi videtur fœdus, quia illam non habet.

XL.

Notæ autem ſi perſonæ nobis ſint, tunc veſtes non reſpiciemus. Quem enim proprius attollit honor, vilitas veſtium non deprimit.

Emen-

Emendicatum videtur laudis eſſe ſuffragium quod ab extrinſecus pendet ut utar ſermone Jani Langlæi *1. ſemeſtr. 5.* Nam & ſummæ dignitatis mortales in itinere ſæpè videas attritis ſordidisque veſtibus amictos & contrà plebejos veſtimento ſplendido & quo in urbe, quam inhabitant, uti non audent, per extera loca ambulare: quibus id prodeſſe non debet cum & alibi legibus vetitum aliâ & ſplendidiore veſte, quàm ei conveniat incedere eaque fiſco addicatur; Chriſtinæus *d. vol. 5. deciſ.* 157. *n.* 17. Quis ergò inde prærogativam quærat, quod ejus perſonæ non debetur? *arg. l. 2. C. de veſtib. Holob.* In Belgio libero id non ſervatur nec in Cliviâ aliisque Germaniæ inferioris provinciis Imperii conſtitutiones quæ modum & diverſitatem veſtibus ponunt; Speidel. *ſpec. hiſtor. jurid. polit. lit. K. n.* 57. ſunt in uſum tranſlatæ, ſed Tremoniæ in Veſtofalis accepi ante aliquot annos civis filiæ tunicam inſpiciendam ad curiam per adparitores fuiſſe aſportatam quod minutis fimbriis ex argento prætexta eſſet.

X L I.

Porrò cum totum hoc argumentum ex humanitatis regulis decidi oporteat & humanitas appelletur hominis cadaver humare uti traditum nobis *in tract. de cadav. inſpic. c.* 10. *n.* 2. vehiculo quo ducitur funus, aliud ſi non nimis id oneratum fuerit, cedere debet, nam magna eſt ratio quę pro religione facit. *l.* 43. *in fi. ff. de religios. & ſumpt. fun.* Quod ſi quis id non fecerit interdicto alter contra eum experiri poteſt. *l.* 1. *§.* 1. *&* 3. *ff. de mortuo infer.* Quid ſi numaria pœna quoque ſit ſancita in eos qui ad conſtitutum non mortuos ſepeliunt, uti Groningæ in pauperum uſum leges præcipiunt? Ad eam tenebitur qui alium viâ uti prohibuit, quod ei cedere noluerit. *arg. d. l.* 1. *§.* 3. *l.* 9. *ff. de religios. & ſumpt. funer.* Weſenbec. *parat. ff. de mortuo infer. n.* 1.

X L I I.

Redeamus ad lineas quas ducunt Saxones & Clivii. Ajunt *vacuum currum onerato cedere debere & minus oneratum plus onerato*: Utriusque hujus regulæ fundamenta jàm in ſuperiore parte jacta ſunt, quod verò dicere pergunt *eum qui pedes it, cogi cedere alteri qui equo vadit*: id hac ratione conſtat, quod etiam attendi debeat quis magis commodè & cum minore periculo cedere poſſit? *ſect.* 26. Facilius autem homo

homo, ubi iter eſt anguſtum quodque vel ab utroque latere præceps vel ab uno ſaltem atque altero acclive, deflectere è ſemita poteſt quàm equus, quinimò ſi hic id facere vellet & ſe & ſeſſorem è rupe aut aggere dejiceret. Inter ipſos quoque qui equitant & ordinis perſonarum habenda ratio. Sed & cedi debet curſoribus publicis per alios, quod in illis mora periculum adferat & publicæ rei & privatæ.

XLIII.

Non ergò diſtinguemus an equo eo itinere liceat ire nec ne? Non ignoramus eſſe loca in quibus aliam tenent ſemitam qui pedes eunt, diverſam qui equitant. Sed ſi quis contra iſtius conſuetudinis regulam peccavit an ideò tanto periculo ſubjiciendus erit, cum nonniſi cum vitæ quoque propriæ jacturâ equum retrò agere queat? *arg. l. 1. ff. de bon. eor. qui ante ſent.* Melius ergò probabitur eum alteri impedito & recurrere coacto ad id quod intereſt teneri, cum alteri per alterum iniqua conditio inferri non debeat *l. 74. ff. de R. I.* neque debeat nocere factum alterius ei qui nihil fecit. *l. 5. §. 5. ff. de oper. novi nunc.*

XLIV.

Nil de hominibus leges definiunt uter alteri ſi lubrica vel ſalebroſa ſit via cedere debeat? Omnium jus videtur æquale atque ita inter ipſos gratificationi locum fore fortè quis dixerit. Cum autem generaliter traditum ſit dignioribus honorem eſſe præſtandum, *d. l. 2. C. de divers. offic.* & naturalis ratio id non tantum ſuadeat ſed & lege Dei quoque jubeamur honorare parentes eosque quos parentum vocabulo Decalogus complectitur veluti magiſtratus & præceptores noſtros, ſed & ſenibus quoque adſurgendum eſſe: *Capitul. Karoli & Ludov. Impp. lib. 6. c. 33. Coram cano capite conſurgite & honorate perſonam ſenis & timete Deum:* & imbecilliori ſexui concedendum ipſa humanitas non minus ac civilis ratio poſcat, ideò ſi quis ejusmodi perſonis non cedat viâ quandò ea difficilior eſt, peccare dicendus eſt. *Quam multa* enim *pietas, humanitas, juſtitia exigunt, quæ ſunt extra publicas tabulas*: Seneca 5 *de Benefic.* 21. & 2. *de Irâ.* 27. Quod autem contra pietatem eſt, id nos non poſſe facere credendum eſt. *l. 15. ff. de condit. inſtit.*

XLV.

Si ergò quis id non fecerit quod jure eum facere oportebat, arbitrio judicis puniri poteſt. Lex Anglior. & Werinor. *tit.* 12. ait; *Quidquid homo alteri fecerit, quod injuſtum factum dicatur, x ſolidis componat aut cum quinque juret*: Id quoque haut difficulter intelligas ex ediſſertatis à Mario Giurba *conſil. crimin.* 38. *n.* 15. *&* 16. Qui tamen docet id non habere locum ſi magiſtratus inſignibus non ſtipatus & ignotus fuerit ei qui honorem ipſi præſtare & cedere neglexiſſet, uti de Rectore Academico idem reſpondit Menoch. *conſil.* 898. *n.* 32. Uſurpatum id non fuerit à multo tempore an ideò magiſtratus prohibetur eo jure uti? Minimè gentium! *arg. l.* 13. *in fi. ff. de injur.*

XLVI.

Si allegaveris id fore contra libertatem nobis partam, velim te meminiſſe quod cum id facinus ſcuticâ dignum in infantibus judicent grammatiſtæ, in adultis graviore pœnâ id emendari cur non pateris? *arg. l.* 38. *§.* 7. *ff. ad L. Iul. de adult.* Farinac. *p.* 3. *prax. crim. q.* 92. *n.* 32. *&* 38. Londini videas fœminas calopodiis formâ craticulæ incedere ut pedes à luto puros ſervent & ſi tamen illis occurſitet peregrinus nec cedat eam viæ partem quæ juxta ædes murosve eſt, palàm ab illis ruptæ urbanitatis reus increpatur, quod eâ parte non adeò lubricum tranſire atque ideò & Anglis non ſecus ac Gallis is locus honoratior ſit.

XLVII.

Ajunt Saxones & Clivii; *Sed ſi ſint in viâ anguſtâ vel in ponte aut ſi quis eum, qui pedes vel eques it, inſequatur, tunc ſiſtere gradum currus debet, ut progredi poſſint*; Cum ergò vehiculum tunc cedere tantum cogatur equitanti, evidentiſſimè colligitur quod ex regulâ juſti & æqui hic iſti cedere debeat. *arg. l.* 18. *ff. de teſtib.* Huc facit ratio repræſentata *in ſect.* 42. Nam in loco acclivi melius conſiſtere poteſt equus quam vehiculum. Nec ſi retroire cogatur eques jacturam temporis facit; ut enim non memorem quod paululum grandiendo gradum eam penſare poſſit, utique longior erit mora ſi currus retroduci debeat, cum ergò id ipſi prodeſſe nequeat & contrà aurigæ noceret, impius eſt ſi hoc ab ipſo flagitet ut hic ſibi cedat & currum retrò agat. *arg. l.* 2. *§.* 5. *ff. de aq. pluv. arc. l.* 21. *ff. de judic.*

Digitized by Google

Hoc tamen transferri non debet ad lintrarios equos, his enim & vehiculum cedere debet. Rationes facilè conlegas ex dictis *ſect.* 23. *& ſect.* 34. *in fi.* Nam & in morâ periculum & à caſu id pertimeſcendum. Habent quoque iter diſtinctum, quod *treckpadt* vernaculè dicitur, in quo alteri cum curru jus non eſt verſandi. *arg. l.* 1. *§.* 2. *ff. de his qui dejec. vel effud.*

XLVIII.

Inquiramus nunc in cauſam inſtituti, quod vult cedi oportere ei quem alii ſectantur. Videtur eſſe hæc, quod indulgendum ei ſit qui in ejusmodi neceſſitate conſtitutus, non enim illa legum vinculis adſtricta eſt. Munnoz. de Eſcobar. *de ratiocin. adminiſtrat. c.* 14. *n.* 10. *& ſeq.* Cui gemina eſt alia quod adflicto non alia adflictio addenda ſit. Syracides. *c.* 4. *verſ.* 3. *c. cum percuſſio.* 7. *q.* 1. *arg. l.* 9. *§. fi. ff. ad L. Pomp. de parricid.* Rauchbar. *p.* 1. *QQ.* 15. *n.* 24. Adjicitur & illud; quod hæc res tota ex regulis humanitatis diſceptari debeat, hæ autem ſecretam ganniunt in aurem; *Quod tibi fieri non vis alteri ne feceris*: quod & gentilis Alexander Severus A. maximè dilexit. Æl. Lamprid. *in Alex. Sev. c.* 51.

XLIX.

Quotus autem quisque eſt qui non, ſi eum inſequantur ejus hoſtes aut inimici à quibus vim aliavè mala metuit, ſibi nolit cedi? Idem ergò alteri facias, quod tibi fieri velis. Hoc tamen non nimis generaliter intelligendum ac ſi eis cedere neceſſe ſit, qui propter crimina à ſe patrata fugiunt quorumque veſtigia premunt Irenarchæ & latrunculatores, cum extra ordinem coerceri queant qui viam tantum facinoroſis monſtrant, uti poſt Alberic. & Carrerium doctum nobis à Proſp. Farinacio. *prax. crim. p.* 4. *tit.* 15. *quæſt.* 132. *n.* 14. aut poteſtatem evadendi illis præſtant, uti idem Farinacius ſcribit. *p.* 2. *tit.* 4. *q.* 32. *n.* 5. etiamque eos ſiſtere manumque iis injicere cogantur. *Ius Omland. lib.* 7. *art.* 5. *Drenth. lib.* 4. *art.* 38. *&* 39.

L.

Sequitur in inſtitutis; *Quod vehiculum prius pontem ingreſſum fuerit vel in portam venerit, illud prius transvehetur ſive id oneratum fuerit ſive vacuum*: Planiſſimum id fit ex ediſſertatis *ſect.* 32. Ex quibus quoque haut difficulter conlegere eſt quid ſtatui oporteat eo caſu, ſi cum

in

Digitized by Google

In portâ mihi obvius factus ſis & alter alteri cederet aut ego vehiculum retrò agere cœperim, intereà plures alii ſint qui poſt nos convenerint & tamen tua veſtigia premere velint? Quotidiè id Lutetiæ Pariſiorum & Londini accidit atque ea res triſtiſſimos ſæpè caſus producit. Romæ olim idem eveniſſe ex Juvenalis *ſat.* 3. conſtat & ſcriptum reliquit Seneca 1. *de Clement.* 6. *Cogitate in hac civitate, in quâ turba per latiſſima itinera, ſine intermiſſione defluens eliditur, quoties aliquid obſtitit, quod curſum ejus velut torrentis rapidi moraretur*: Tunc quoque rixarum inde natam occaſionem indicat memorato loco Poëta

... rhedarum tranſitus arcto
Vicorum inflexu & ſtantis convicia mandræ:

ego aliis infinitis, qui poſt me coiverunt, præferendus ſum, eosque cogere poſſum, ut ſi primus cui ego ceſſi tranſierit, mihi prius viam linquant, aſt cum cæteri etiam poſteriores tempore è veſtigio atque arctiſſimè primum ſequi ſoleant, ideòque retrocedere non poſſint; quod tantus ipſorum numerus ſit, humanius facturus ſi exſpectaverim donec alii omnes cum curribus aut ciſiis progreſſi ſint. *arg. l.* 185. *ff. de R. I.* Poteſt & mihi objici culpa, quod cum cedendo priori occupatus eſſem, non alios citrà pontem portamve novè adventantes monuerim ut ſe eâ parte collocarent ut poſt primum liber mihi tranſitus eſſet. *arg. l.* 203. *ff. eod.*

L I.

Poſtremò examinemus quid fieri oporteat ſi is, quem alteri cedere oportet, id non fecerit? Non vi contra eum utatur alter, *tueri enim jus ſuum debet non injuriam comminiſci*: uti Ulpianus ait *in l.* 1. §. 2. *ff. quod vi aut clam.* Sed ſi inde damnum cepit proprias habet actiones. *arg. l.* 39. §. 1. *ff. ad L. Aquil.* Ergò injuriarum agere poteſt: *arg. l.* 13. §. 7. *ff. de injur. LL. Salic. tit.* 33. §. 1. *Alamanor. tit.* 66. *Ripuar. tit.* 80. *Friſion. tit.* 4. *Longobard.* 1. *tit.* 12. *l.* 1. & *ſeq. Capitul. Karol. & Ludov. Impp. lib.* 5. *c.* 201. etiamque propter damnum datum ex L. Aquilia dicam ſcribere ei qui alteri obſtitit ne viâ publicâ uti poſſet, etiamſi alter huic nocere noluerit. *l.* 5. §. 1. *ff. ad L. Aquil.* Quam in rem clara eſt Lex Alamanor. *tit.* 96. §. 2. ibi; *Si carrucam involat aut rumpit rotas in priori parte, ſic ut illa die opera tricet, ſol.* 111. *componat.* Non ergò damni tantum dati ſed & lucri quod ejus occaſione abeſt

rationem habendam placuit: *arg.* §. 10. *I. de L. Aquil.* atque adeò ejus quod intereſt æſtimationem eſſe faciendam: *l.* 21. *§.* 2. *ff. eod.*

L I I.

Non dividemus inter incolas & peregrinos. Ait Lex Bajuvariorum *tit.* 3. *c.* 29. *§.* 1. *Nemo auſus ſit inquietare vel nocere peregrino, quia alii propter Deum, alii propter neceſſitatem diſcurrunt; tamen una pax omnibus eſt neceſſaria:* In violatorem pœna dupli damni dati erat conſtituta. *d. c.* 29. §. 2. & gravior in eum qui injuriâ viam mulieri negaſſet. *LL. Longobard. lib.* 1. *tit.* 12. *l.* 1. Hæc ſcita nos non obligare nemo neſcit, ſed nec argumenta ex legibus Romanis huc transferre neceſſe fuit, inluſtrandi cauſâ magis quàm ex neceſſitate adducta à me ſunt.

L I I I.

Nimis ſuperſtitioſi ſunt qui nil credunt adſeri poſſe à juris ſtudioſo niſi quod lege aliquâ aut auctoritate probatur. Non ſemper veteres Jure conſulti ad hæc reſpexerunt ſed nec ad ea animum advertere ſœpè poterant quod alii & longe diverſi caſus legibus nec comprehenſi nec ab aliis tractati, ad reſpondendum ipſis proponerentur, quos etiam decidebant argumento deſumpto vel ab humanitate, *l.* 20. *§.* 3. *ff. de adq. hered. quæ ſententia humanior, licet Iulianus contra ſcripſerit. l.* 6. *§.* 3. *ff. de his qui not. infam.* vel ab honeſtate, *l.* 4. § 2. *ff. de in jus voc. ibi; quod honeſtius eſt, & meritò obtinuit*: *l.* 12. *ff. de Decurion. ibi; inhoneſtum tamen eſſe puto*: vel à pietate, *l.* 32. *§.* 2. *ff. de cond. indeb. ibi; pietatis ratio facit*: *l.* 17. *ff. de adq. hered. ibi; hoc enim ſatis impium eſt*: vel à benignitate, *l.* 8. *ff. de collat ibi; benignior eſt contraria ſententia*: *l.* 11. *ff. de S. R. P. ibi; benignius judicetur*: vel ab æquitate; *l.* 18. *ff. de vulg. & pup. ſubſt. ibi; æquitatis ratio ſuggerit. l.* 31. *ff. depoſ l.* 14. §. 13. *ff. de religioſ.* etiamque ab utilitate communi deprompto. *l.* 3 §. *fi. ff. de conſt. pec. ibi; quam ſententiam non invitus probarem: habet enim utilitatem.* Non autem ita immemor mei ut idem quod iſtis viris ea tempeſtas tribuebat, mihi quoque inſcribere præſumam, non reſponſa hæc ſunt vim legum habitura quod ratio inſtituti & opuſculi titulus confirmat, nam *formandarum artifex legum non diſceptatione debet uti, ſed jure: nec videri congruum ſibi contentione legem condidiſſe ſed ordine*: uti ait lex 2. *Wiſigothor. lib.* 1. *tit.* 1.

Explicit lex 11. *C. de ſervit. & aq.*

FLO-

FLORUM SPARSIO

Ad ea quæ his opuſculis tractata.

CAp. 1. §. 5. de Cadav. inſpic. P. *Papin. Statius*] Idem Statius 1. *Sylvar.* 2. 111.

tellure cadentem
Excepi ſovique ſinu:

2. Iterum d. c. 1. §. 13. *apes prodeunt*:] Muſcas ex cadavere humano naturaliter aliàs naſci auctor eſt Lucianus *in Muſca encomio.* γίγνεται δὲ ȣ̓χ εὐθὺς τοιαύτη, ἀλλὰ σκώληξ τὸ πρῶτον, ἤτοι ἐξ ἀνθρώπων ἢ ἄλλων ζώων:

3. Cap. 2. §. 10. *invitâ muliere*] Franciſc. de Aretio, *conſil.* 142. *n.* 14.

4. Cap. 4. §. 9 *nomine judicis*] Id vel una Ciceronis pro *A. Cluentio* ubertim oſtendit. Salluſt. *Catilina. hi magiſtratus, provincias, aliaque omnia tenere: ipſi innoxii, florentes, ſine metu ætatem agere cæterosque judiciis terrere:* Apulei. *apol. pr. facultas te judice obtigit purgandæ apud imperitos philoſophiæ & purgandi mei*: cui & alia adſperſit Scip. Gentilis *in comment. n.* 9.

5. Cap. 9. §. 8. *exempla*] Etiam alia de rogis honorariis exſtructis videre datur apud Senecam *conſol. ad Marciam. c.* 3. *ibique* Lipſ. *n.* 54.

6. Et §. 10. d. c. 9. *erga mortuos reverentia*] Athenæus *Dipnoſoph. lib.* 5. *c.* 18. narrat quod navali prælio ad Arginuſas facto poſteà ad ſuffragia populus erat vocatus ut de Eraſinide aliiſque ducibus judicaret, quod eos qui perierant è fluctibus ſepeliendos haut ſuſtuliſſent. Chriſtianorum quoque religionem creviſſe per curam ab iis in mortuis ſepeliendis poſitam ait Julianus Cæſar idque gentilibus exemplo eſſe cupit *in epiſt.* 49.

7. Cap. 14. §. 1. *leges non prohibeant*] Eleganter *in l.* 2. *pr. vers. Quid enim tàm durum. C. Quando & quib. quarta pars deb. ex bon. decur.*

8. Et §. 13. *Exemplum*] Aliud apud Corn. Nepotem *in Themiſtocle in fi. Idem oſſa ejus clàm in Attica ab amicis eſſe ſepulta, quoniam legibus non concederetur, quod proditionis eſſet damnatus, memoria prodidit:*

9. Cap. 19. §. 9. *mortis infamiſſimæ*] Adde ſis *miſerrimæ multoque atrocioris, quàm ſi per alium inferatur.* Lucianus *in Tyrannicidâ.* καὶ τὸ δεινότατον αὐτὸς ὑφ᾽ αὑτȣ̃, ὅπερ θανάτων οἴκτιστος καὶ πολλῷ χαλεπώτερος, ἢ εἰ ὑπ᾽ ἄλλȣ γίγνοιτο:

10. Cap. 20. §. 5. *fulminis ictu*] Fulguritorum membra olim ſi disjecta per aruſpices colligebantur & cum ipſis reliquiis aut veſtigiis fulminis in eo loco condebantur ſepulchro, quo id evenerat, nec aliò transferre fas erat isque locus ſacer fiebat: uti copioſè Lipſius *ad Senecam* 1. *de Clement.* 7. *n.* 59. quem nolo exſcribere. Hanc autem gentilitatis ſuperſtitionem ſecta noſtrorum temporum non patitur. Cum verò JCti iſta ſcire deberent nemo miretur cur eorum diſciplina notitia *rerum divinarum* etiam fuerit dicta. *l.* 10. *§.* 2. *ff. de I. & I.* Gothofred. *ibid. lit. u.*

11. Cap. 24. §. 1. *Romæ id factum*] Jam olim cum moribus integris viriſque res Romana ſtaret idem obſervatum. Cicero *pro A. Cluentio.* §. 30. locuples teſtis cum ait; *& ad hanc mortem repentinam vocemque morientis, omnia præterea, quæ ſolent eſſe indicia & veſtigia veneni in illius mortuæ corpore fuerunt:*

12. Cap. eod. § 12. *majore quantitate ſumptus*] Lucianus interprete Vinc. Obſopæo. *Tu verò cave putes in philoſophiæ contumeliā iſta me dicere, ſi dixero illam ſimilem eſſe exitiali & pernicioſo pharmaco, cujusmodi eſt cicuta aut aliud tale quidpiam. Neque enim illa tametſi ſint lethalia & mortifera, ſtatim mortem inferunt, ſi quis modico quopiam de illis ablato, ſummo ungue deguſtaverit: verum ſi non tantum quantum ad conſciſcendam mortem neceſſarium eſt & qua ratione fieri oporteat & cum quibus ſumendum ſit, certè non morieris:* Apuleius *in Apolog. Nolo equidem ut neceſſarium habeo tibi dicere, ſed per te ſi potes, ad hoc quæſiſſe me argue, ut ſi helleborum vel cicutam vel ſuccum papaveris emiſſem item alia ejusmodi, quorum moderatus uſus ſalutaris ſed commixtio vel quantitas noxia eſt:*

13. Iterum eod. cap. §. 18. *erret aliorum judicium ſecutus*] Quod enim *medici quoque ſæpè falluntur*: ait Cotta apud Ciceron. 3. *de nat. deor.* 15.

14. Cap. 30. §. 12. *Fœminæ cadaver corrumpitur facilius quàm maris*] Lucian. *in Abdicato.* εὐαλωτότερα τοίνυν τῶν ἀνδρείων, καὶ ταῖς νόσοις ἐκκείμενα καὶ τὴν ἴασιν ἐ περιμένοντα.

15. Cap. 31. §. 5. *viduæ iterum nubendi poteſtas permittatur.*] Sed quid ſi deinde redeat prior maritus? Jure ſuo is intercedit iſtis nuptiis: *c.* 2. *x. de ſecund. nupt.* Panormit. *ibid. n.* 5. Menoch. 2. *arbitr. judic. QQ. caſu* 420. *n.* 129. quod à Therſandro fuiſſe factum cum ejus uxor Melite ſponſalia contraxiſſet cum Clitophonte, memoriæ prodidit Achill. Tatius *de amor. Clitoph. & Leucip. lib.* 5. *p.* 338. Mulier tamen

ejus-

ejuſmodi quæ fœdere lecti ſibi junxit alium virum ab adulterii pœnâ immunis. *l.* 11. *§.* 12. *ff. ad L. Jul. de adult.* Menoch. *d. l. n.* 118. *& ſeq.* pro quâ re faciunt eleganter tradita apud eundem Tatium *l.* 8. *p.* 509.

16. Cap. eod. *§.* 8. *recuperat*] Baldus id negat ratione fructuum, uxoris & eccleſiæ; *ad l.* 3. *ff. de ll. n.* 4. *&* 5. De uxore idem ſcribunt Kitzel *de matrimon. c.* 8. *theor.* 3. *lit.* C. Kling. *tract. de cauſ. matrimon. verb. indiv. vitæ conſuet.* etiamque Tiraquellus plures ſibi conſentientes adducens *in l L. connub. gloſſ.* 6. *n.* 19. Si quis cum Henr: Brouwero *lib.* 2. *de jure connub. c.* 31. *n.* 1. dixerit hæc nugatoria & indigna JCti acumine, is vincat ſibique habeat dummodò ſciat non novum eſſe ut in ſcholis ea proponantur quæ in uſu non habemus.

17. Cap. 33. §. 6. *apud Gallos* :] De Ægyptiis quoque narrat Lucianus *de Luctu.* quod ipſe viderit apud eos ejusmodi cadaver deſiccatum convivam & compotorem adhiberi:

18. Eod. cap. §. 8. *Homerus*] Seneca *conſol. ad Helviam. c.* 16. objectioni, quam fortè quisquam ab imbecillitate ſexus depromeret, occurrit verbis; *Non eſt quod utaris excuſatione nominis muliebris, cui pœnè conceſſum eſt immoderatum in lacrimas jus, non immenſum tamen: & ideò majores decem menſium ſpacium lugentibus viros dederunt, ut cum pertinaciâ muliebris mœroris publicâ conſtitutione deciderent: non prohibuerunt luctus ſed finierunt. Nam & infinito dolore, cum aliquem ex cariſſimis amiſeris, affici, ſtulta indulgentia eſt:*

19. Iterum cap. eod. §. 10. *apud Petronium*] Idem Seneca *conſol. ad Marciam. c.* 2. aliud adfert de Octaviâ Auguſti ſorore non quidem maritum ſed filium ſuum Marcellum ita immodicè lugente ut ſe quaſi defoderit abdideritque atque vivorum numero ſe quaſi exemerit: quod inſtitutum graviter ſummus is philoſophus objurgat.

20. Et §. ult. eod. cap. *reſiſtere nequeunt*] Theanus *Nicoſtratæ.* ὀυ φορητὴ γὰρ νέαις χηρεία:

21. Cap. 35. *§.* 1. *pœna loco*] Appollon. Tyanæus *ep.* 78. Ionibus exprobans quod ipſorum plerisque græca nomina ſorderent, adjicit; Καλῶς ὐδὲ τοῖς τάφοις ἐκεῖνοι δέχοιντ' ἂν ἄγτι ἀγνῶτας αὐτοῖς γινομένους: In Conſtantio culpat Julianus *ad S. P. Q. Athen.* quod fratrem hujus Gallum contra cuncta jura occidiſſet ὐδὲ τῶν πατρῴων μεταλαχεῖν εἴασε τάφων, ὐδὲ τῆς εὐαγοῦς ἠξίωσε μνήμης:

22. Cap. 45. §. 10. *arte Diaboli*] Valeat ergò Apuleius *in apolog.* cum in-

inquit; *Veteres quidem Medici etiam carmina remedia vulnerum norant, ut omnis vetuſtatis certiſſimus auctor eſt Homerus: qui facit Ulixi de vulnere ſanguinem profluentem ſiſti cantamine. Nihil enim quod ſalutis ferendæ gratiâ fit, criminoſum eſt*: De quâ re ſuadeo perlegas elegans reſponſum juris apud Joh. Jacob. Speidel. *in Specul. hiſtor. jurid. polit. lit. S. n.* 119.

23. Cap. 46. §. 4. *caſu magis quàm conſilio*] Julianus Imp. *orat.* 7. *p.* 423. ὥσπερ οἱ φαῦλοι τῶν ἰατρῶν ἐκ τῆς ἐμπειρίας μόνον ἰώμενοι τοῖς ἀνθρώποις, ὅθεν καὶ διαφεύγει τὰ πολλὰ τῶν νοσημάτων αὐτοῖς:

24. Cap. 52. §. 4. *divino cultui*] Liquidò id probatur *l.* 2. *ff. de feriis ibi; aut ut atrox injuria æſtimetur:*

25. Cap. 55. §. 3. *præſtantiores pulmonum partes*] In aliis ſecus: uti reſpondi cum nobiliſſ. & ampliſſ. Senatoribus D. Junio & D. Wychgel *die* 9. *Iunii*, 1672.

26. Cap. 57. §. 14. *narrat Cardanus:*] Adfirmavit mihi idem de lictore Amſtelodamenſi is qui publicè hoc caput defendendum ſuſcepit. Ante duo luſtra & quod excedit id contigiſſe dixit. Hominem trium literarum laciniâ prehenderat lictor & dum iſte ex hujus manibus ſe explicare conabatur digitum ejus morſu contrectavit, ex quo vulnere hic paulò poſt fato ceſſit iſte verò cætera mortis ſupplicium meritus longa factus fuit litera.

27. Eod. cap. §. 17. *Paria ergò ſunt*] Imò non paria; *cum argumentum à conditione vulnerati infirmâ magni momenti. h. cap. n.* 14. Divido an infirmitas ſumma & deſperata, an verò non omninò lethalis erat, de priore caſu cape *d. n.* 14. at de poſteriore intellige dicta *n.* 15. 16. & 17. Zacchias. *d. q.* 6. *n.* 16.

28. Et poſtea §. 19. *Cur non in humano corpore*] Paucas ante dies accepi à magiſtro navis prætoriæ in Amaſi oſtio ſtationem habente, ſtercore humano nunquam carere eos qui in Indiis in aciem cum barbaris prodeunt, & ſi ab his telo venenato icti tunc eo ſumpto vomitum ciere atque hac ratione periculi exortes reddi. Nec iſtud prætermittendum tentari id poſſe in iis qui ad mortem damnati, cum conſtet in iis olim medicæ artis inventa primùm fuiſſe probata.

29. Cap. 59. §. 6. *corporibus circumſtare*] Hinc Lucianus *in Cataplo.* Megapenthem introducit quærentem ſibi jam frigido & exſangui à ſervo injuriam factam. Fuit autem hæc Platonicorum opinio, qui dicebant hominum mollium & puerorum animas indignari, quod invitæ

invitæ de hac luce diſcederent ideoque circa funera oberrare & plorare: uti ex ipſo Platone, Macrobio, Lactantio, Tibullo, Virgilio, Homero, Statio, Claudiano, Ovidio atque Horatio oſtendit Caſp. Gevart. Vir Cl. *ad Stat. ſylvar. lib. 2. carm.* 1. Quibus adjice Tibull. 3. *eleg.* 2.

Ergò ego quum tenuem fuero mutatus in umbram:

Huc reſpiciens Seneca *conſol. ad Polyb. c.* 24. fatur; *Quid itaque juvat dolori intabeſcere: quem ſi quis defunctis ſenſus ineſt; finiri frater tuus cupit:* utramque opinionem repetit *c.* 27. finitque, *aut beatus, aut nullus eſt? beatum deflere invidia eſt, nullum dementia:*

30. Eod. §. 6. *Achill. Tatius*] Et Lucianus *in Philopſeude.* ὁ δὲ ὁρᾷ ἔφη ὦ Εὐκράτες, μὴ τοῦτο φησὶ τυχίαδες, τὰς τῶν βιαίως ἀποθανόντων, μόνας ψυχὰς περινοστεῖν, οἷον εἴ τις ἀπήγξατο, ἢ ἀπετμήθη τὴν κεφαλὴν, ἢ ἀνεσκολοπίσθη, ἢ ἄλλῳ γὲ τῷ τρόπῳ τοιούτῳ ἀπῆλθεν ἐκ τῶν βίου τὰς δὲ τῶν κατὰ μοιραν ἀποθανόντων οὐκέτι, μὴ γὰρ τοῦτο λέγῃ, οὐ πάνυ ἀπόβλητα φήσει:

31. Et cap. eod. §. 7. *lumina*] Mos pervetuſtus, ut etiam ipſis monumentis lucernam accenderent, uti ex Petronio diſcimus etiamque ex Modeſtino *in l.* 44. *ff. de manumiſſ.* & Rittershuſius Freinshemiusque annotarunt *ad Phadri fab.* 68. 13. Sed & *exſequias fax cereusque præceſſit*: uti ſcribit Seneca *de tranquill. animi. c.* 11. Quod intelligas de puerorum funeribus aliisque acerbis: uti nos docet idem auctor *de brev. vitæ. c. ult. At mehercule iſtorum funera tanquam minimum vixerint ad faces & ad cereos ducenda ſunt*: Lipſ. *ibid. n.* 43.

32. Cap. 62. §. 4. *magiſtratus ejuratione*] Gail. 1. *obſ.* 28. *n.* 8.

33. Diſcept. de Tranſitu Exercit. §. 30. *fortius id de bello*] Non tamen ſolertem prudentiam hinc removeo. Julianus Imp. *ad Themiſt. p.* 488. νικᾶν μὲν γὰρ ἀνδρείας ἐστι μάλιστα καὶ τῆς τύχης κεῖσθαι δὲ ἐν βουλεῖ, καὶ τῆς ἐντρεχοῦς ταύτης φρονήσεως: Aſt prudens qui *habuit in conſilio fortunam publicam*: quod Fabio iſti cunctatori tribuit Seneca 1. *de Irâ.* 11. & ad quod videtur reſpexiſſe inter Britanniæ Optimates non poſtremus Suffolcius, conditor elegantiſſimæ & in illis terris facilè principis domus, cui nomen *Hadeleigh*, cum enim hanc conſpicerem, obſervavi quod in vertice muri atrium ambientis literis perforatis poni curavit; PRUDENTIS. EST. IN. CON-

G CILIO.

Digitized by Google

CILIO. FORTUNAM. SEMPER. HABERE. Niſi malis hunc mente recoluiſſe ingenium ſuæ gentis, quæ à Rege & principibus ſæpè diſceſſionem facit atque ideò eum monere ut ſolerter id ne fiat caveamus.

34. Diſcept. de Vehic. ſibi obv. §. 22. *pabulo refecit equos*] Unâ voce nos *pleyſteren* & latinè *interjungere* dicimus. Lipſ. *ad Senecam de tranq. animi. c. ult. n.* 328.

35. Et d. diſcept. §. 35. *ſi alter eorum dignior ſit*] Juvenal. *ſat.* 3. de potentiore & divite.

Si vocat officium: turbâ cedente vehetur

Et poſteà;

Ante tamen veniet; nobis properantibus obſtat
Unda prior: magno populus premit agmine lumbos
Qui ſequitur:

Rationem vide apud Julianum *ep.* 41. ubi id quod minus eſt, hoc ipſo quod minus eſt, cedere debere majori demonſtrat, ſi modò velit & ſua ipſius bona & aliena meliora cognoſcere.

36. Paucula hæc ex auctoribus quos per otium, urbe obſeſſâ per hoſtem, perlegi, deprompta addere volui ut ad magna ſurgentes adoleſcentes videant quam varia ex ſeverioribus ſtudiis carpi & quemadmodum ex bonis literis civilis ſapientiæ argumenta cuncta inluſtrari queant. His tu amice lector æqui bonique conſule & ſi nobis talia quoque, uti Grammaticis, liceant, hoc agam cum bono Deo ut olim alia prodeant.

37. Cum charta vacaret ad deſiderium typographi reſponſum juris cujus loco ſuperiore *n.* 25. mentionem injeci, his latinè verſum adjiciam; *Viſis actis videtur, ſalvâ aliorum cenſurâ, reum non de occiſo ſed tantum de vulnerato teneri, quippe cum non tantum medicus atque chyrurgi jam de hoc facto conſulti, ſed etiam duo alii medici, qui nec reum noverunt nec de hac re inter ſe egerunt, conſtanter judicarint vulnus neceſſariò non fuiſſe lethale neque mortem ex eo ſecutam eſſe. Hoc licet pro deciſione hujus rei ſatis eſſe videatur, cum regula ſit trita ſermone ICtorum, relationi peritorum ſtandum eſſe ſi quæratur num vulnus fuerit mortiferum nec ne & an ex eo homo fato conceſſerit an verò ex cauſâ aliâ id evenerit?*

Sebaſt. Guazzin. ad defens. reor. def. 4. c. 12. n. 1. *Giurba.* conſil. crim. 84. n. 11. *Ant. Matthæi.* de crimin. lib. ff. 48. tit. 5. c. 3. n. 17.

38. *Maxime*

38. *Maximè cum iſti medici elegantiores ſuorum ſuffragiorum ſibi conſentientium reddiderint rationes, quo in caſu magis fidem faciunt;*

Fulv. Paeianus. lib. 1. de probat. c. 47. n. 65.

Nos tamen ea quæ ab illis de re nobis propoſitâ tradita ſunt, ex jure & ejus optimis interpretibus confirmabimus atque ordiemur à conjecturis, per quas conſtat vulnus non fuiſſe lethale, quam in rem pro primo obſervandum quod in vulneribus neceſſariò mortiferis neceſſe ſit in initio adeſſe ſymptomata quæ mortis nuntia ſint;

Paul Zacchias. conſil. medico-legal. 62. n. 8.

39. *Veluti ſunt vomitus, perſeverantia febris ſtatim ſecuta, & dolor continuus.*

Menoch. lib. 2. cent. 3. arb. jud. QQ. caſu 275. n. 4 & 7. *Farinac.* prax. crim. p. 4. q. 127. n. 61. 64. 66. & 70. *Guazzin.* d. l. c. 10. n. ult

Sequitur ergò ex iſtorum ſymptomatum remiſſione contrarium quodque vulnus non fuerit lethale judicari debere.

Zacchias. lib. 5. QQ. medico-legal. tit. 2. q. 6. n. 17.

40. *Adſeverant autem medicus & chyrurgi, qui vulnerati curam habuerunt, quod memorata ſymptomata in ipſo non obſervaverint, unde inferre licet vulnus, per ſe uti ajunt, non fuiſſe lethale;*

Menoch. d. l. n. 9. & ſeq *Farinac.* d. n. 66.

Hac enim ratione ſatis probatam eſſe negativam *ait Guazzinus.*

d. defenſ. 4. c. 11. n. 8.

41. *His ſuffragatur conjectura à vulneris quantitate tracta;*

Menoch. d. l. n. 5. *Farinac.* d. l. n. 56. *Mar. Socinus.* ad c. præsbiterum. x. de homicid. n. 8.

Iam verò medicus juxta chyrurgi memorati ajunt quod vulnus in pulmone quà latum mediocris unguis, quà verò profundum vix culmi latitudinis fuerit; quâ de cauſa medicus ſecundus vulnus non fuiſſe mortiferum prætereà probat

ex *Celſo Medico.* lib. 5. c. 26. *Horat. Augen.* tom. 1. epiſt. 2. l. 9. *Foreſto.* lib. 5. obſ. Chyrurg. 2. *Tagault.* lib. 2. Inſt. Chyrurg. c. 3.

Quibus conſentientem etiam deprehendimus celeberrimum Zacchiam.

d. tit. 2. q. 2. n. 23. ubi id magis latè declarat.

Idque valdè conſiderandum quod à medico primo & chyrurgis ſymptomata hujus vulneris propria, in vulnerato haut animadverſa ſint, nec enim plus ex vulnere quam ex ore ſpiravit, non ſpumoſum hoc reddidit ſanguinem, non anhelus fuit neque tuſſi oneratus, non quoque gravem in pectore ſenſit dolorem,

Digitized by Google

ex quibus alter medicus id vulnus non fuiſſe lethale firmat non tantum ex Hippocrate ſed & ex aliis.

Celſ. d. c. 26. *Mar. Sanct.* comp. Chyrurg. de vulner. tract. 2. *Horſt.* de morb. pect. lib. 3. obſ. 13. *Foreſt.* 6. obſ. Chyr. 8. *Joël.* de vulner. thorac. p. 269. *Perdulc.* lib. 14. univ. Medic. c. 18. *Paraus.* lib. 9. c. 30.

42. *Nil ergò obſtare debet quod vulneratus in initio colore lurido & facie cadaveroſâ pulſuque imbecilliore fuerit; cum deinde mutatio in melius contigerit, ut liquidò adpareat utrumque accidiſſe ex nimis copioſâ ſanguinis effuſione, uti benè allegatum à tertio medico: quam Chyrurgus ruri habitans per imperitiam nequivit ſiſtere, adeò ut ſi ex eâ vulneratus mortuus eſſet, nil tamen inde præjudicii reo accidiſſet, nam de occiſo non tenetur, ſi vulneratus non advocavit medicum aut chyrurgum. Paria autem ſunt nullum requirere & imperitum advocare.*

Farinac. d. l. n. 90. *Horat. Carpan.* ad c. homicida. nov. conſt. Mediol. n. 108. *Thom. Actius.* de infirmis. p. 1. c. 47. n. 30.

Imperitum verò chyrurgum eſſe qui ſanguinem non potuit ſiſtere nemo dubitat.

Zacchias. d. tit. 2. q. 3. n. 9.

43. *Minor cibi appetentia, nec non pituita cruore reſperſa, videntur veniſſe ex apoſtemate quod ſecto deinde cadavere repertum fuit ovi magnitudine atque materiæ benè coctæ & purulenta, ex quo vergente quinto decimo die civili: qui viginti quatuor horis conſtare noſcitur,* l. 8. ff. de feriis. Scip. Gentilis ad Apul. apol. n. 593. Goeddæ. ad l. 2. §. 1. ff. de V. S. n. 12. *& hic* een ettmael *audit, febris primum & deinde mors eum invaſit. Quamobrem benè advertendum eſt ad id quod ſecundus medicus dicit quod cum per ejuſmodi vitia occultà à vulnere agitata homo occidat, vulnus ſæpè perperam cauſa mortis judicetur: adducens in eam rem Heur. ab Heers.*

lib. 1. obſ. Medic. 12.

44. *ICti etiam docent quod ſi febris aut infirmitas ſuperveniens cauſam habeat diverſam à cauſâ vulneris, tunc non facit vulnerantem de occiſo teneri.*

Ayrer. de homicid. p. 2. n. 6. Farinac. d. q. 127. *n. 72. Carpan.* d. l. n. 137. & in terminis, quod ajunt, terminantibus, *Nicol. Boër.* deciſ. Burdegal. 323. n. 14. nec non *Gimba.* d. conſil. 84. n. 10. 11. 12. & 13. ubi & dubia ſolvit alioſque adducit auctores.

Cenſemus itaque reum non de occiſo ſed, abſque ullo alio onere, de vulnerato ſolummodò teneri eumque & judicii criminalis expenſas & id præſtare oportere, ſi id factum non fuerit, quod continetur Jure Veteris præfecturæ. lib. 6. art. 18. *Groningæ die 9. Junii,* CIↃ IↃCLXXII.

F I N I S.

Digitized by Google

Index rerum vocumque memorabilium.

Prior numerus caput, alter ejus paragraphum oſtendit; aſt ſi præmittatur D. primus diſceptationem, ſecundus ſectionem notat.

A.

Aas & aes *unde dicantur?* 1. 3. *de brutis id tantum uſurpatur.* 1. 4.

Aconitum veneni genus ocyſſimum. 24. 8.

Adflicto non eſt addenda adflictio. D. 2. 48.

Æquitas multa ſuggerit licet jure deficiamur. D. 2. 19.

Ætas pœnam minuit vel auget. D. 2. 45. *ejus rationem habent milites in direptionibus.* 28. 11.

Alexandri Severi dictum in emendando. 16. 5.

Allium naribus admotum vitam oſtendit. 32. 7.

Amſtelodamenſis inſtituti explicatio. 3. 8.

Anatomiæ num rectè tradantur punitorum cadavera? 26. 6. *etiam ei deſtinantur aliquando corpora eorum qui non deliquerant.* 26. 5. *à quo eæ concedantur?* 26. 8. *ad hanc exercendam ſi Medicus mortuum furcâ detraxit, mitius punitur.* 34. 5.

Animas in auras abire gentiles crediderunt atq; hodie id tradunt nonnulli. 59. 6.

Antipathia num in infante occiſo contra matrem parricidam? 59. 9. *ratio ejus à Zacchiâ tradita,* 59. 10. *ab auctore rejecta.* 59. 11.

Aquis hominem ſuo facto periiſſe unde cognoſcatur? 21. 1. & *ſeq.*

Arſenicum quale venenum? 24. 8.

Arbores veneno infici queunt. 14. 17.

Aſellus arefactus ex ventriculo hominis vulnerati & deinde ſanati. 58. 8.

Aurigarum rixæ unde frequentes? D. 2. 1.

Auctorum ſcripta non præferenda legibus. 28. 17. & 22.

αὐτοχειρία non præſumitur. 12. 1. *eſt non unius generis.* 19. 1. & 5. *ejus pœna.* 19. 2. & *ſeq. quandoque ob eam publicatio bonorum irrogatur.* 19. 11. & 12.

B.

Baar-recht *quid? improbatur.* 59. 19.

Balneatores an ad cadaver inſpiciendum à judice adhiberi poſſint? 48. 3. & 11.

Bedæ ſententia ſuperſtitioſa rejicitur. 30. 17.

Digitized by Google

Belli eventus dubius & fortunæ in id imperium. D. 1. 30. *ei locus inter Principes quandò inter privatos actio injuriarum.* D. 1. 17. *in eo mori non eſt ſemper in acie perire.* 28. 11.

Bovis cadaver quando apes producat? 1. 13.

Brandenburgicum edictum in Clivia & Marcâ promulgatum commemoratur. 3. 9.

C.

Cacochymia eſt innati veneni ſignum. 25. 11.

Cadaver unde dicatur? 1. 2. & 3. *uſurpatur tàm de homine quam de bruto.* 1. 5. *ejus definitio.* 1. 10. *varia ejus appellatio vernaculè.* 1. 11. *ei fit injuria.* 6. 26. *in id durat jurisdictio perſonalis.* 6. 27. *quomodo ex aquis extrahatur?* 9. 12. & 13. *cum eo qui coit morte punitur.* 33. 1. *mariti an viduæ concedendum?* 33. 3. *arte conſervari poteſt* 33. 4. *non ex eo lucrum quærendum.* 35. 3. & 39. 6. *torridum eſt in commercio.* 33. 7. *id ad ſepulturam poſcere quale ſignum apud* Græcos. 18. 14. *à creditoribus ſiſti nequit.* 36. 1. & 12.

Cadaveroſa facies. 30. 11.

Cadere dicitur homo & naſcens & moriens. 1. 5. & *ſeq.*

Calor in cadavere eſt index mortis recentis. 30. 5. *alius eſt innatus alius adventitius.* 30. 9.

Capitis morbi imbecilles reddunt mortales. 29. 20.

Cardinales nemo debet prohibere viâ. D. 1. 69.

Carnis appellatione quid veniat? 54. 2.

Caſtoris teſticuli magnæ virtutis. 24. 3.

Caſtrenſis jurisdictio obtuſior. D. 1. 7.

Caſus pro amico eſt caſus pro diabolo. D. 2. 15.

Cautio à quo non deſideretur? D. 1. 55. *quomodo præſtanda ſi tranſitus pro exercitu petatur?* D. 1. 65. *non una obſervanda ei per cujus fines is ducetur.* D. 1. 32. & *ſeq.*

Cæſaris milites an per Principum Imperii *provincias tranſire queant?* D. 1. 71.

Cæſo, cæſus, cenſus & cæſareus partus. 27. 2. *hoc multi heroes in lucem editi bono auſpicio.* 27. 5. *promoveri debet.* 27. 6. *quod olim* L. *Regiâ expreſſum,* 27. 6. *quæ nunc deſideratur.* 27. 6. & 7.

Cenotaphia cur olim exſtructa? 9. 5. & 6. *an loci religioſi?* 9. 8.

Charogne *de bruto uſurpatur.* 1. 4.

Chyrurgi etiam ad cadaver inſpiciendum adhibendi. 48. 1. *ſoli aliquandò ſufficiunt.* 49. 1. *eorum ars non eſt liberalis.* 44. 3. *an ideò vilis?* 48. 13. *ejus debet Medicus eſſe peritus.* 44. 4.

Cleric

Clerici ubi numos capiant ſi funus ſequantur ? 37. 4. an iis quid debeatur pro transvectione cadaveris ? 38. 1. & ſeq. illis rei politicæ arbitrium non permittendum. 37. 13.
Clivenſia inſtituta recitantur. D. 2. 3. *ex iis locus mirabilis memoratur.* 59. 12.
Collatitia ſepultura. 10. 4. & 14.
Colonia Agripp. mulier ſepulta iterum prodiit. 32. 6.
Conatus non punitur uti effectus. 12. 12.
Conjectura in jure ſæpè ex philoſophiâ petendæ. 28. 25. & 29. 1. *debiliores cedunt fortioribus.* 29. 14. & *evidente cauſâ pelluntur.* 25. 13. *quænam habeantur pro probationibus ?* 30. 1. & *ſeq.*
Contagies cadaveris venenum arguit. 25. 11. & 12.
Coemeteria an loci religioſi? 16. 2. & 3.
Cor ſi cremari nequeat an ſignum veneni hauſti? 25. 7.
Crucis ſignum cur ponatur in loco in quo homo occiſus? 17. 3. *ubique id non fit.* 17. 5. & 6. *aliquandò terrâ exciſum conſpicitur.* 17. 2.
Cruentatio cadaveris quid arguat? 59. 1. & 2. *ejus rationes ridiculæ.* 59. 4. & 5. *vera ejus ratio.* 59. 15. *non ſufficit ad quæſtionem.* 59. 16. *nec ſuſpectum reddit præſentem.* 59. 17. *quandò inde conjectura ſumatur ?* 59. 18. *abſurdè pro miraculo habetur.* 59. 20. & *ſeq.*
Currus publici cedunt nemini bisque ab omnibus cedi oportet. D. 2. 22.
Curſoribus publicis cedi via debet. D. 2. 42.
Cuſtodes olim cadaveribus additi. 33. 10. & 34. 1. *ignaviæ pœnas luebant.* 33. 2. *quæ eorum pœna hodie?* 33. 3.
Cyathus aqua plenus vitam explorat. 33. 1.

D.

Damnum nemo cogitur pati ob alterius commodum. D. 1. 34. *id dat qui ejus occaſionem dat.* D. 1. 66.
Dæmones adeſſe cadaveribus humanis eſt qui tradit. 59. 6.
Defunctus unde appelletur ? 1. 11.
Delinquentem ſiſtere ſi fugiat & capere etiam privati debent. D. 2. 49.
Depilatio non ſemper ſignum veneni rodentis. 25. 15.
Dignior quis ſit ? D. 2. 14. *unde noſcatur.* D. 2. 38.
Dignitas hominis an moriatur ? 6. 26. & 27.
Diligenter pro diligentiſſimè. 53. 1.
Diſceptationis titulus. D. 2. 53.
Divinare quando quis cogatur ? D. 2. 13.

Divitiæ

Divitiæ extra hominem poſitæ. D. 2. 14.
Doctores aliquandò dolores. 25. 10. *in Italiâ in ſolâ arte chyrurgicâ.* 44. 4.
Dolor corporis quomodo evitari poſſit? 58. 11.
Duisburgenſis magiſtratus lis cum Academiâ ejusque exitus. 6. *& ſeq.*

E.

Edoardus Angliæ Rex caſo. 27. 5.
Electoribus tranſitus negari nequit. D. 1. 68.
Elocutione non omnia exprimi poſſunt. D. 1. 31.
Effodi debet cadaver neglectâ ejus inſpectione. 61. 2. *&* 3.
Empirici ad cadaver inſpiciendum num adhiberi poſſint? 44. 5.
Eſpions honnorables *qui?* D. 1. 26.
Examini candidatorum quot profeſſores intereſſe debeant? 42. 10. *& ſeq.*
Exemplis non ſed legibus judicandum. D. 1. 6.
Exploratores morte puniuntur. 18. 12.
Excubiæ apud mortuos vetitæ. 59. 8.
Exequiæ an gratis fieri debeant? 37. 4. *& ſeq.*
Exercitum per alienos fines num ducere liceat? D. 1. 13. *& ſeq.*
Exta inſpiciebant veteres. 2. 2.

F.

Factum alterius non debet nocere ei qui nil fecit. D. 2. 43.
Falſi reus eſt judex qui dolo omittit cadaveris inſpectionem. 62. 1. *&* 2.
Favore alicujus introductum in ejus odium non debet retorqueri. D. 1. 31.
Feciales hodiè vix indicunt bella. 18. 8.
Feſtis diebus cadavera inſpici queunt. 52. 4.
Fidem frangenti an fides ſervanda? D. 1. 47.
Filius an & quando patri ſupervixiſſe credatur ſi ſimul naufragio ſimilive caſu perierint? 28. 6. *& ſeq.*
Fœminæ miſericordes. 33. 12. *leves nonnunquam.* 33. 10. *& ſeq. reſiſtere nequeunt amori.* 33. 13. *cur earum cadavera prona fluitent?* 23. 10. *&* 11.
Fortè *refellitur per* fortè non. 6. 5.
Fulmine quem periiſſe unde noſcatur? 20. 5.
Funus & cadaver quomodo differant? 1. 12. *vehiculo quo iſtud ducitur alia cedere debent.* D. 2. 41.

Gent-

Digitized by Google

G.

Generaliter prolata ad idoneam perſonam reſtringenda. 4. 6.
Geneſeos locus ubi explicetur indicatur. 27. 10.
Goſſypium ad vitam explorandam adhibetur. 32. 1.
Gregorius XIV *menſe ſeptimo ex alvo mortuæ matris extractus.* 27. 11.
Groenewegen notatur. 19. 11.
Groningano-Omlandica Academia infimum habet meri imperii gradum. 7. 3.

H.

Heidelbergenſ. ICtor. reſponſum. 6. 29.
Helmaſtad. ICtor. reſponſum. ibid.
Heredes intra quod tempus à morte defuncti poſſint conveniri? 36. 9. *ad cadaver defuncti defendendum citandi.* 22. 1.
Hereditas non adita non tranſmittitur. 30. 25.
Homo præſtantior rebus. D. 2. 28.
Honorarium ei datur qui cadaver aquis extraxit. 9. 2. & 3.
Honor dignioribus præſtandus, D. 2. 14. *etiam parentibus, magiſtratibus, præceptoribus & ſenioribus.* D. 2. 44. *in non facientem pœna.* D. 2. 45.
Honoratior locus in eundo quis Gallis & Anglis? D. 2. 46.
Hoſtem in alieno territorio capere non licet. D. 1. 14. *idem de fluminibus & maribus internis.* D. 1. 5. *etiamque de litoribus ſtatuendum.* D. 1. 8.
Humanitas quid poſtulet? D. 2. 20. & *ſeq. quandò vim non habeat?* D. 2. 22. *latius patet quam lex.* D. 2. 41.
Humum cadaveribus repertis veteres porrigebant. 10. 4.

I.

Ianuarii menſis diebus nonnullis nati num ſi mortui ſint deinde non corrumpantur? 30. 17.
Iappanenſes quemadmodum agant cum Batavorum cadaveribus? 10. 23.
Ignorantia non excuſat judicem qui neglexit cadaver inſpicere. 62. 5.
Imperitia culpæ annumeratur. 53. 1.
Incola ejus loci quis quâ ratione habetur in quo occiſus repertus eſt? 23. 5. & 8.
Injuriarum tenetur qui fundum alienum ingreditur. D. 1. 3. *vel in alterius territorio cadaver inſpicit.* 11. 4.
Innatum datur venenum. 25. 2. & *ſeq.*

Digitized by Google

Inſpectio cadaveris eſt actus inquiſitionis generalis. 3. 11. & 7. 5. *ad eos pertinet qui mero imperio præditi.* 4. 1. & *ſeq. fallit aliquandò.* 4. 7. & 8. 1. *non eſt actus juriſdictionis territorialis.* 5. 1. *nec jus majeſtatis.* 5. 2. *neque ejus juriſdictionis quæ cohæret territorio.* 5. 6. *peragitur etiam ab iis qui habent juriſdictionem perſonalem.* 5. 10. & *ſeq. an actus judicialis?* 8. 2. *omitti poteſt ſi certò conſtet quo fato periit homo.* 14. 1. & 2. *in alterius territorio peragi nequit.* 11. 4. *fit aliàs duobus caſibus.* 3. 1. *celeriter expedienda ſi dolo homo cæſus ab alio.* 3. 2.

Inſpicere unde? & quid ſignificet? 2. 1. *in multis id verbum uſurpatum.* 2. 2. & *ſeq. quid in hoc tractatu eo veniat?* 2. 9.

Inſtrumentum publicum firmiter probat. 31. 15. *fallere tamen id poteſt.* 31. 15. & 16.

Intacta jura ſervare expedit. D. 1. 67.

Iudæus an medicus eſſe queat? 45. 2. & 6. *non poteſt in doctorem tranſcribi.* 45. 1. & 3. *fallit alicubi.* 45. 6. *ad privatos honores poteſt adſpirare.* 45. 5. *non poteſt eſſe teſtis.* 45. 7. *an ad cadaver inſpiciendum adhiberi poſſit?* 45. 8. & 9. *quid ſolvat Tremoniæ pro tranſitu?* 1. 25.

Invitus quis? D. 1. 3. *nemo cogitur agere.* D. 1. 30.

Iudex nil favori aut gratiæ tribuere debet. D. 2. 16. *quid quærere debeat de cadavere ut culpâ vacet?* 53. 2. *ut ipſe cadaver inſpiciat expedit.* 8. 4. 40. 3. & 41. 2.

Iudicii vox de mero imperio uſurpata. 4. 8.

Iurare an & quomodo debeant medici ad inſpiciendum cadaver adhibiti? 50. 1. & *ſeq.*

Iureconſulti hodiè ſimiles judicibus pedaneis. 8. 7. *aliquandò cadaver debent inſpicere.* 8. 6. *non ſunt alligati aliorum auctoritati.* 30. 27. & 45. 8. *abſque lege loqui poſſunt.* 30. 29. & 30. *unde priſci argumenta ſæpè deprompſerint?* D. 2. 53.

Iuriſdictio ſimpliciter poſita aliquandò hodiè ad criminalem refertur. 4. 5. *à quo tempore is loquendi mos?* 4. 2. *continetur interdum judicis officio.* 4. 6. *etiam apud veteres.* 4. 9. *perſonalis etiam eâ voce venit.* 5. 7. & 8. *qui hanc habeant?* 5. 10. *deſiderat territorium formaliter ſumptum.* 6. 19. & *ſeq. territorialis Romanis ignota.* 6. 28.

Ius ſuum nonnunquam ex opinione ejus dicitur qui eo utitur. D. 17.

Lacones

Digitized by Google

L.

Lacones non ſepeliebant eos qui vultus in tergo acceperant. 18. 15.
Lactucæ ſuccus quomodo mortiferus? 24. 12.
Lata culpa eſt non ſcire quod omnes in civitate ſciunt. 6. 5.
Laudanum opiatum adfert aliquando mortem. 24. 11.
Legati hisque ſimiles cur tolerentur? D. 1. 26. ſi vehiculis ſibi occurrant, quis alteri cedat? D. 2. 36.
Leich & Leichnamb an ſit idem? 1. 11. & 12.
Leproſorum inſpectio. 2. 8.
Lex contra libertatem ſcholarum lata non valet. 35. 13.
Lex an extra territorium eam condentis liget? 40. 2. & D. 2. 19.
Lex 6. §. fi. ff. de R. D. cum l. 7. eod. & l. 6. §. 1. ff. de religioſ. in tranquillam conlata. 9. 6. & ſeq.
Lex 9. §. 7. ff. de pecul. explicatur. 19. 6.
Lex 16. 17. 18. ff. de reb. dub. declarantur & cum l. 9. §. 1. & 4. eod. l. 17. §. 7. ff. ad SC. Treb. pacantur. 28. 2. & ſeq.
Lex 37. ff. de religioſ. cum l. ult. C. eod. conciliata. 39. 5.
Lex 11. C. de ſervit. & aq. tractata. D. 1. & 2. per tot.
Licentiatus eadem privilegia quæ doctor conſequitur 44. 8. alius promotus, non promotus. 44. 8. & 11. poſterior in duplice differentiâ. 44. 11. præfertur hic aliquandò promoto. 44. 12. & 13.
Lintrariis equis cedendum. D. 2. 47.
Littora quatenus communia & an ad ea cum claſſe accedere exteris permiſſum? D. 1. 8.
Literarum ſtudium commendatur. 28. 22.
Livor in corpore veneni index. 25. 2. & 3.
Londini ut fœminæ incedant? D. 2. 46.
Lucrum ex cadaveribus haut quærendum. 35. 3. & 39. 6.
Lunæ radii putredinem inferunt cadaveribus. 30. 16.

M.

Majeſtatis imminutæ reus non ſepelitur.. 14. 13.
Major numerus an minorem vincat? 43. 5.
Mala fides impedit uſucapionem. D. 1. 29.
Manum prius toſtam deinde ſicario præſente ſanguinem reddidiſſe eſt qui tradat. 59. 12.
Mariti cadaver an viduæ concedendum? 33. 3. & 5.
Media ſeu τὰ μέσα ICtis quæ? 24. 2. & ſeq.

Medicus inexhauſtum invidiæ pelagus. 44. 18. *debet eſſe perſona honeſta.* 47. 1. & 2. *unde dictus?* 44. 1. *chyrurgiæ eum oportet eſſe peritum.* 44. 4. *differt à medicinæ doctore aliquandò.* 44. 6. *archiatro potius quàm alij fides habenda.* 43. 8.

Medici in ſuis principiis ſunt diſcordes. 42. 8. *non ſemper iis habenda fides.* 24. 18. *corrumpi ſe patiuntur.* 40. 11. *quot requirantur ad cadaver inſpiciendum?* 42. 2. & *ſeq. an ex diverſis eorum opinionibus una conſlari poſſit?* 43. 1. 2. & 3. *eorum ſententia revocari poteſt ſemel.* 41. 6. *ex eo quod credunt non quod ſciunt judicant.* 41. 5. & 51. 5. *non rei ſed judicis arbitrio adſumendi.* 40. 3. *quid ſi à chyrurgis diſſentiant?* 49. 4. & *ſeq. rejici queunt ob eas cauſas, ob quas judex ſuſpectus dicitur.* 49. 12. *eorum olim ſpecies multæ.* 44. 5. *peritioribus fides habenda magis quàm aliis.* 43. 10. & *ſenioribus potius quàm juvenibus.* 46. 3.

Medicina definitur. 44. 1. *dividitur in contemplativam & activam.* 44. 2. *non derogat nobilitati.* 47. 4. *nec eſt vilis diſciplina.* 47. 9. *à mulieribus tractari poteſt.* 47. 6. & 7. *ipſis apud Athenienſes interdicta fuit, non apud Romanos.* 47. 5.

Memnonita poteſt fieri doctor. 45. 10. *quomodò juret ſi cadaver inſpiciat?* 51. 10.

Mendoza Admirantus Arragoniæ notatus. D. 1. 21. & 22.

Merſorum in aquis cadavera inſpiciuntur 3. 10.

Metus debet præſens eſſe nec vanus. D. 1. 45.

Militaribus ingeniis ſubtilitas deeſt. D. 1. 7.

Monumentum quid? 17. 11. *ad quid id proſit?* 17. 11. & 12.

Mora brevis non attenditur. D. 2. 21.

Moerſæ comitatus origo & quo titulo eum teneat princeps Auriacus? D. 2. 59. & *ſeq.*

Mornacius notatus 28. 16. & *ſeq.*

Moribus temerè nil abrogatum dici debet. 36. 3. & 4.

Mors ex actis publicis probatur. 31. 2. *etiam per duos teſtes.* 31. 3. *aliquandò unus ſufficit.* 31. 4. *quid Ebræi hac in re obſervent?* 31. 5. *ſæpè creditur adeſſe cum homo vivat.* 31. 11. & *ſeq.* 32. 5. *eam indicat ceſſans motus* 32. 1. & *ſpuma ore defluens nec non color faciei.* 32. 3.

Mortuæ mulieri nubens morte punitur. 33. 1.

Mulier à mollitie apellata. 29. 1. *eſt inconſtans.* 33. 10. & *ſeq. ei inlata injuria gravior.* D. 2. 52.

Nationis

N.

Nationis habendæ ratio. D. 1. 1.
Naturaliter *quid in legibus aliquandò ſignificet?* 19. 6.
Neceſſitas non eſt legibus adſtricta. D 2. 48. *haut ea ſpectatur ſed ejus cauſa.* D. 2. 10. *quâ ſi ceſſet & ea ceſſant quæ propter eam introducta ſunt.* D. 2. 11.
Nemeſis Karulina ſenſus indagatur. 48. 8. *in Belgio ſervatur.* 3. 7.
Nomina ex communi uſu æſtimanda. 6. 27.
Novella 18. c. 5. *explicatur?* 30. 28.

O.

Obeſus cenſetur prius gracili exſtinctus. 29. 6. & *iſte citius frigidus fit quàm hic.* 30. 9.
Obſtructi ſexus unde noſcatur? 23. 9. & 10.
Occiſor punitur licet occiſus non ſit notus. 23. 4.
Occiſus non præſumitur in loco in quo reperitur. 20. 10. & 11.
Olfacere nuptum verbum. D. 2. 13.
Opium conciliat ſomnum. 58. 10.
Oratio infinita habetur pro univerſali. 1. 1.
Oſſa qui ademit cadaveri punitur. 34. 9.

P.

Pacis Bredanæ capita declarantur. D. 1. 9. & *ſeq.*
Palatinus Elector ultra fines ſuarum provinciarum cadavera inſpicere poteſt. 5. 5.
Parere eſt actio. 27. 3. *an de mortuâ dici id poſſit?* 27. 3. & 4.
Pedes cur in aquis linquantur quandò merſorum cadavera inſpiciuntur? 9. 18. & *ſeq.*
Pendentes furcâ detrahentis pœna. 34. 4. 6. 7. & 8. *in parentibus aut propinquis etiamque Medicis ea mitior.* 34. 5.
Perduellis mortui cadaver pœnæ obnoxium. 19. 3.
Peregrini finibus alibi arcentur. D. 1. 25. *eorum bona fiſco cedunt apud Gallos.* 15. 3. *an in cœmiterio ſepeliendi?* 16. 4. 5. & 8. *illis vis non facienda.* D. 2. 5. 2.
Peritis in arte an ſemper credendum? 54. 7.
Perſonale quoque dicitur quod ſpeciei competit. 6. 25.
Phyſici civitatis qui? 43. 8.

Pietas eſt cadaver hominis ſepelire. 9. 10. *fallit.* 9. 11. *prædicatur de vulturibus & formicis.* 10. 7. *multa requirit quæ legibus non definita.* D. 2. 44.
Pinguedo in homine alia à naturâ alia à cibo & potu. 29. 6.
Pluribus mortuis caſu eodem quis prior exſtinctus præſumatur? 28. 29. & 30. *cap. per tot.*
Portum an exteris cum pluribus navibus ingredi conceſſum ſit? D. 1. 10. & 11.
Poſſeſſio juris uno actu adquiritur. 6. 4. & 11. 2. *non vitiatur ſemper adverſarii ignorantiâ.* 6. 5.
Præcipuè *quid ſignificet?* 48. 8.
Prægnantis pœna differtur. 27. 8. *nec quæſtioni ſubjicitur.* ibid. *ei vivæ partus excidi debet.* 27. 9. & 10. *id negligentium pœna.* 27. 12. *quomodo ſectio ea fiat?* 27. 30.
Præſumptio hominis firmior facit ceſſare legis præſumptionem. 21. 5.
Præventioni an locus ſi in finibus diverſorum territoriorum occiſus reperiatur? 12. 1. & *ſeq.*
Precia rerum variant ratione locorum. D. 1. 51.
Preco olim cadavera ad ſepulturam poſcebat. 18. 4.
Princeps quatenus fons juriſdictionis? 5. 4.
Privato non licet cadavera reperta à ſe humare antequam ſepeliantur. 10. 1. & *ſeq. nec de loco in locum transferre.* 34. 10. *huic non datur actio ſi cadaver defuncti præcluſum.* 36. 10.
Proceſſiones ſi fiunt, quæ parœcia alteri cedere debeat? D. 2. 7.
Profeſſores cadavera ſtudioſorum quandò inſpiciant? 6. 17.
Protector hoſtibus clientum non debet tranſitum indulgere. D. 1. 49. *an cum ſuo milite per fines clientum tranſire queat?* D. 1. 54. & *ſeq.*
Proverbia etiam à ruſticis prolata rectè allegantur. 30. 27. & D. 2. 31.
Πτῶμα *cur dicatur cadaver.* 1. 9.
Publica utilitas privilegiis derogat. D. 2. 32.
Puerperæ mors præ foribus conſiſtit. 25. 13.
Puniri crimina reip. intereſt. 26. 4.
Putredo ex calore oritur. 30. 9 *indicat hominem verè mortuum eſſe.* 31. 9. *quod abſque eâ evenire poteſt.* 31. 11.

Q.

Quintiliani locus explicatus. 9. 14. & 15.
Quotidiana attingenda. D. 2. 1.

R.

Rectori Academico debetur honor. D. 2. 45.
Relegatorum & deportatorum cadavera an ſepeliantur? 14. 8. & *ſeq.*
Religio unde dicta? 16. 4. *quid eo verbo olim venerit?* 9. 4.
Reſpiratio in aquis præcluſa mortem adfert. 28. 1. & 29. 14.
Reſpublica in republicâ. 6. 22.

Reſuſci-

Reſuſcitatus à mortuis priſtina jura recuperat. 31. 8. *ut talis intelligatur verè debuit eſſe mortuus.* 31. 9.
Ruſticas innocens & quieta non debet turbari. D. 1. 67.

S.

Salvum conductum indulgere non eſt jus majeſtatis. 7. 12.
Scabini quot neceſſarii ad cadaver inſpiciendum? 4. 12.
Scobs adamantis an venenum? 24. 11.
Secundinæ relictæ mortem puerperæ adferunt. 26. 1.
Sectio cadaveris quandò locum habeat? 23. 10. & 24. 1. 26. 1. & 27. 1. *atq; ſeq.*
Securitas reip. attrectari non debet. D. 1. 15.
Sententia in indefenſum lata eſt nulla. 22. 2.
Sepelire cadavera eſt juris gentium. 10. 9. *& ſeq. An quis ibi ſepeliri debeat, ubi voluit?* 37. 2. *& ſeq.*
Sepulchra hodiè ſunt in commercio. 16. 3.
Sequentia declarant antecedentia. 4. 5.
Serpentes ex medullâ cadaveris humani naſcuntur. 1. 3.
Servi olim medicinam faciebant. 46. 3.
Simile non eſt idem. D. 1. 57.
Singulari lege quod cavetur magis obſervatur. 3. 6.
Sportula an judici debeatur pro cadavere inſpecto? 35. 2. *quid ſi ſtudioſi ſit?* 35. 13.
Sternutoria naribus admota vitam excitant. 32. 3.
Stoicis eſt alluſio vocum familiaris. 44. 1.
Stuyver *numus unde dicatur?* 14. 14.
Subtilis diſputatio cedit utilitati communi. 6. 27.
Suſpenſus an vivus homo fuerit an mortuus unde noſcatur? 20. 4.
Suſpicio cædis oritur contra eum qui cadaver inventum non indicat judici. 19. 25. *fallit.* 14. 3.

T.

Tacitus explicatus. 28. 19.
Talio contra Gallos exerceri poteſt. 15. 4. *etiã contra Lutheranos.* 37. 9. & 10.
Territorium unde ſit dictum? 6. 18. *eſt vel materialiter;* 6. 12. *vel formaliter tale.* 6. 17. & 18. *non illud ſequitur cadaveris inſpectio.* 5. 5.
Terror vires pellit. 29. 16.
Tertiana febris vires magis adimit quàm quartana. 29. 18.
Thamar prægnans ad ſupplicium poſtulata 27. 10.
Tintinnabula cur equis alibi addantur? D. 2. 12.
Titulum qui habet an is requirendus pro tranſitu exercitus? D. 1. 59.
Titulus poni ſolet in loco ubi quis caſus. 17. 1. *& ſeq.*
Transfugarum cadavera quomodo tractentur? 18. 5. & 6.
Tranſitus cum exercitu an & quando per alienos fines fieri poſſit. D. 1. 13. & *per tot. incolis tunc eſculenta ſolvi debent.* D. 1. 36.
Tremonienſes laudantur. 37. 11.

Vaſallus

V.

Vaſallus an domini ſui hoſtibus tranſitũ per ſuos fines permittere debeât? D. 1. 48.
Vectigal non debetur pro tranſvectione cadaveris. 39. 3. aliud in Italiâ obtinet. 39. 11.
Vel particula interdum pro & etiam. 48. 6. & 7.
Veneni alluſio & definitio. 24. 5. eſt duorum generum. 24. 7. idem non quoquo modo nocet. 24. 10. eſt quoddam innatum. 25. 2. & ſeq. indicia ejus fallacia. 25. 3. eo tela fuiſſe tincta unde noſcatur? 57. 18. & ſeq.
Verba prima quibus actiones reſque aliæ proponuntur iis nomen aliquandò dant. 3. 1. eorum origo inveſtiganda. 1. 1.
Venter quo caſu inſpiciatur? 2. 5. eum inſpiciens tangere non debet. 2. 9. & 10. etiam B. Mariæ venter inſpectus dicitur. 2. 5.
Vento non poteſt vivere homo. 26. 3.
Veſtes oſtendunt hominem. D. 2. 39. fallit. D. 2. 40. an modus eis præſcriptus obſervetur? D. 2. 40.
Vetuſtas vicem legis obtinet. D. 2. 8.
Vi amiſſa ſemper repeti queunt. D. 1. 29.
Via publica ad quem pertineat? D. 1. 13. in eâ unus tantum juris habet de aliis. D. 2. 5. ejus jus ſingulare habens poteſt cadavera inſpicere. 5. 5. quandò uſus ejus privatis interdictus? D. 1. 23. & ſeq.
Victoria proxima inſtrumentum ſequentis. 18. 14. & D. 1. 70.
Viduam teſtatoris ſtuprans privatur fideicommiſſo. 6. 26.
Viſus pro omni ſenſu. D. 2. 12.
Vitæ ſigna quæ & quomodo in eam inquiratur? 32. 1. 3. 7.
Vivi ſæpè pro mortuis ſepulti. 32. 5.
Voluntas defuncti ratione ſepulturæ an ſervanda? 37. 2. per eam pauperes fraudari non debent. 37. 3.
Uſus quandoque videtur improbari propter abuſum. 17. 6. & 7.
Utilitas publica non eſt conjuncta cum alterius jacturâ. 26. 6.
Vulgi judicium lubricum. 44. 17.
Vulnus definitur. 54. 2. differt à noxiâ & tubere. 54. 1. etiamque ab ulcere. 54. 3. abſque ſanguinis fluxu cur aliquando? 54. 3. & 1. lethale eſt non unius generis. 55. 2. neceſſariò tale quodnam. 55. 3. & 4. externo aere tale poteſt fieri. 52. 2. & 55. 6. qualitas, quantitas & locus eam differentiam introducit. 55. 7. & ſeq. etiam tempus quo illatum. 55. 9. & intra quod mortuus. 58. 1. & ſeq. etiam digiti, brachiique vulnus aliquando mortem attulit. 57. 13. & 14. ſæpè latet quale ſit ob profunditatem. 58. 12. ejus conſolidatio an indicium ſit id non fuiſſe lethale? 57. 7. ex eo poteſt infirmus mori cum tamen robuſtus inde convaleſcat. 57. 14.

W.

Wapen-geſchrey quid & an in uſu? 59. 13. & 14.

Z.

Zacchias commendatur. 24. 8. & 30. 21.

F I N I S.

Arn 131P078

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

XXI
C 21

Digitized by Google